CHRISTOPHORI WITTINCHII CONSENSUS VERITATIS IN SCRIPTURA DIVINA...

Christoph Wittich

Digitized by Google

ALIONALE
VITT. EMANUELE
13
22 G
22

4
3
H
6

Digitized by Google

L1-10

Digitized by Google

Digitized by Google

VI. 19. A.
V. 11.

Digitized by Google

CHRISTOPHORI WITTICHII

CONSENSUS VERITATIS

IN

SCRIPTURA DIVINA

ET

INFALLIBILI REVELATÆ

CUM

VERITATE PHILOSOPHICA

A

RENATO DES CARTES DETECTA,

Cujus occaſione Liber II. & III. Principiorum Philoſophi[æ] dicti des-Cartes maximam partem illuſtrantur: cum Indice.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Editio ſecunda à multis mendis emaculata & non parum auctа.



LUGDUNI BATAVORUM,

Impenſis CORNELII BOUTESTEYN & CORNELII LEVER, 1682.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO
AD
LECTOREM
Secundæ Editioni præfixa.

Sapientiſſime, ut alia omnia, dictum eſt à Salomone : Librorum multorum faciendorum non eſſe finem & multam meditationem fatigare corpus *Eccl. XII.* 22: *Quibus tamen verbis non prohibet ille omnem librorum ſcriptionem, ſicut nec omnem meditationem vult eſſe ſublatam. Ex oppoſito præcepto Scopus & mens Regis Sapientiſſimi facilè cognoſcitur. Timorem Dei commendat præ omnibus, quo ſi careant, ſive meditatione multâ fatigantes corpus, ſive ſcriptione multorum libro-*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

rum ſe macerantes, vana ſunt eorum opera & fruſtranea omnia. Sed ſi accuratius attendamus ad omnia, non aliud videtur Eccleſiaſtes voluiſſe indicare, quàm, ſi quis de ſingulis rebus, quæ humano generi cognitu ſunt utilia, plenè & accuratè ſcribere velit, nullum eorum finem eſſe futurum, cùm filum vitæ incidatur prius, quam omnia abſolveris; compendium verò horum omnium in timore Domini vult contineri, cui propterea omnem operam navandam eſſe monet. Neque enim videtur, iſtis temporibus adeo excreviſſe librorum copiam, ut eo nomine conquerendum fuerit Regi. Is quippe ægrè non fert, libros ſacros θεοπνεύστους eſſe auctos, præter quos an alii fuerint ſcripti privatâ induſtriâ & labore, non niſi merâ conjecturâ poteſt firmari. Inſana tamen poſt illa tempora invaluit ſcribendi conſuetudo, de quâ jam olim Iuvenalis lib. II. Sat. 7. verſ 51. — tenet inſanabile multos Scribendi cacoëthes, & ægro in corde ſeneſcit. Id nunc his temporibus in immenſum eſt auctum, ut omnem medelam ſuperaſſe videatur, nec alio modo poſſit coërceri, quam ſi plures divulges libros; quam rationem agendi ſorte paradoxam aliquis dixerit, optimam tamen nemo jure negaverit. De multitudine librorum utilium immenſo numero non eſt quod jure conqueramur, qui non facile nimis augentur. Quamvis enim de rebus iiſdem ſcribunt plures, modo illa ſint cognitu di-

gna

gnæ, nullum id nocumentum veritati videtur inferre, quæ ſic ad plures ſibi viam pandit, cùm lectorum alii his potius, quàm illis ſcriptoribus delectentur, quamvis de eodem argumento commentatis. Quod rectè obſervavit Auguſtinus lib. I. de Trinitate cap. 3. Neque enim omnia, quæ ab omnibus conſcribuntur, in omnium manus veniunt. Et fieri poteſt, ut nonnulli, qui etiam hæc noſtra intelligere valent, illos planiores non inveniant libros, & in iſtos ſaltem incidant. Ideoque utile eſt, plures à pluribus fieri diverſo ſtylo, non diversâ fide, etiam de quæſtionibus eiſdem, ut ad plurimos res ipſa perveniat, ad alios ſic, ad alios autem ſic. *Quâ ratione inutiles libri ſenſim eliminantur, ut alii poſtea non ſint uſui, quàm ut piperi & thuri involvendo inſerviant. Nec errores noxii melius tolli ex hominũm animis, nec libri peſtilentes commodius ex manibus excuti poſſunt, quam per ejuſmodi commentarios, qui errores detegunt & refutant. Quid me ad* Conſenſum Veritatis *ante plures annos edendum impulerit, & quam juſtam ejus ſcribendi habuerim cauſam, ex Præfatione ſequenti, quæ primæ editioni antea fuerat præfixa, & nunc hîc eſt repetita, cognoſcere poteſt Lector. Hoc re meo ſcopo non viſus fui planè excidiſſe, cùm multi rectius de veritatibus illis, quæ ibi tractantur, cæperint*

 judi-

judicare. Iam à multis annis deſiderata exemplaria ſecundam editionem flagitabant, quæ in publicis librorum auctionibus iniquo pretio vendebantur. Itaque undique omnes petere, rogare, inſtare, ne ſibi in hâc parte deſim; in quo tamen difficiliorem me experti ſunt, fateor, quàm ſperaverant; anni enim viginti & tres inter hanc & primam editionem interceſſerunt; donec tandem cùm animadverterem, vel me invito Typographum aliquem Secundam Editionem multis forte mendis deturpatam protruſurum, malui hunc laborem in me ſuſcipere, ut menda Typographica, quæ in primam editionem irrepſerant, tollerem, quæ verò ad uberiorem intellectum veritatum demonſtratarum facere viderentur, variis in locis adjungerem, ne ſine novo ornatu hæc editio prodiret. Adverſariorum, quantum ſciam, nemo refutationem hujus opuſculi aggreſſus fuit; & quamvis alii hinc & inde quædam carpſerint, quia nihil tamen attulerunt, quod vel à veritatis defenſoribus non fuerit refutatum, vel quod nullâ operâ à quovis attento lectore mei Conſenſus, *falſitatis poſſit convinci, operæ pretium non videbatur inutili repetitione eorum, quæ ſæpius in eo fuerunt dicta, Lectorem onerare. Ex adverſariis Cl. Herbinius, cujus majorem præ aliis modeſtiam antehâc laudavi, veritati ceſſit, ſcriptis ad me Anno* CIↃ IↃC LXIV *a. d.* X. *Dec. humaniſſimis Traje-*

cto

Digitized by Google

cto ad Rhenum, literis, in quibus, inter alia benevolentiæ & amicitiæ ſigna, hæc lego: Gaudeo magnopere mihique palam de Te tantæ Virtutis adverſario gratulor, reſponſionibns tuis contentus ſum. Contuli tecum & cum aliis Magnis Viris ſententiam meam communicavi: ad quam quia modeſtiſſimè repoſuiſti, cùm non tanti ſit momenti, ſcribere ultra atque diſputare de eâ superſedeo. Contentus ſum, & gratias tuæ Claritati ago pro tam amicâ animi ſententiæque ſuæ mecum collatione, meque Tibi ac tuorum ſervituti pro hâcce benevolentiâ, quoad vixero, addictum fore ſcito. *Utinam verò ſimilis eſſet aliorum omnium animus! utinam nemo niſi ea mente ad ſcribendum ſe accingeret, ut veritatibus ſibi revelatis alios imbueret! quod profectò nunquam obtineri poteſt per convitia, per calumnias, per detorſiones verborum alienorum in aliam planè mentem, per ſannas, per ſarcaſmos, quibus potius animus à veritate indagandâ avertitur; ſed per placidam veritatis demonſtrationem ad conſcientiam, & ut ſcriptum pro Veritate propagandâ adornatum ſpiret amorem erga proximum, & ſtudium illum juvandi quævis pagina loquatur. Sic* ἀληθεύωμεν ἐν ἀγάπῃ *verè & ſincerè, ſi charitatem non ore, quâvis occaſione, verborum vaniloquentiâ jactemus, ſed corde geramus & ipſo*

opere

opere demonſtremus. Sic in iis, ad quæ omnes pervenimus, eadem ambulantes regulâ, idem ſentiremus, & ſpe magnâ armati confidere poſſemus, Deum reliquas veritates noſtrâ operâ interveniente etiam aliis revelaturum. Id quod faxit Deus benigniſſimus, gratiâ & efficaciâ Spiritus Sancti nos ducens in omnem veritatem. Amen.

Digitized by Google

PRÆFATIO
AD
LECTOREM CORDATUM.

Haud rarò contingit, ut remedia diſcordiis civilibus exſtinguendis apta nata, culpâ eorum, quibus turbida læta & tutiora, magis illas excitent & incendant. Idem aliquando fatum diſſenſionibus eorum, quibus literarum ſtudia ſunt cordi, ut, dùm moderata ingenia iis tollendis, dextrâ & ſanâ mentis ſuæ ſinceræ interpretatione, intentorumque criminum purgatione, omnem navant operam, magis exardeſcant, enixe id agentibus calumniarum reis, ne, veritate in lucem protractâ omniumque oculis expoſitâ, ipſi in crimine deprehendantur. Quamprimùm Philoſophia Nobiliſſimi Carteſii caput ſuum extulit, quamvis non-intenta ſententiis aliorum oppugnandis, pervulgata inter Philoſophos hujus & aliquot præcedentium ſeculorum conſuetudine, intra ſua ſe munimenta contineret, ſoli veritati inveſtigandæ dedita, non defuerunt, qui eam tùm voce tùm ſcriptis vehementer aggrederentur, neque tàm juſtis armis quàm veneno calumniarum & tinctis maledicentiæ felle ſpiculis peterent, & quoad potuerunt confoſſum irent; hac via ſibi certiorem de ea victoriam promittentes. Igitur neceſſitas impoſita iis, qui per eam ſe profeciſſe profitebantur, illiuſque beneficio multa, quæ ignara adhuc, quamvis multum quæſita, protuliſſe in apricum, niſi pro fungis & ceritis, qui omnes anteirent ſtultitia, vel, quod gravius, pro atheis & devotis haberi vellent; ut, expoſitis ſententiis, quibus non ſua & nativa facie, ſed ſub horrenda larva, quam impoſuerat ambitioſa ignorantia aut maligna eruditio, productis invidia quærebatur, ſeque & eam, quam merito probabant Philoſophiam propugnarent, & propulſata calumniantium iniquitate indigno reatui eriperent. Herbornæ quietè & qua debui modeſtia unà cum Clariſſimo Claubergio ex munere noſtro ſtudioſam juventutem inſtruebam, rarioremque illam philoſophandi rationem, quæ à præjudiciis veritati percipiendæ nimium quàm obſtantibus defæcatam mentem in veritatis pene-

penetralia deducit, commendabam, cum ab invidis & æmulis livido oculo noſtri ſucceſſus adſpiciuntur, & quæ tunc calumniandi materies, ſententiæ incond.tæ & inficetæ, impiæ imo nefariæ, & quæ ſanctam Dei aut verbi divini majeſtatem violarent, nobis affinguntur, & quas ipſi agnoſcebamus, malevolis rumoribus & ſcriptis differebantur. Carteſius & Carteſiani odii & probri erant vocabula. Tum Cyriaco Lentulo Eloquentiæ & Hiſtoriarum Profeſſori (ad quem nihil attinebat Philoſophia, ſed putabat ſuis luminibus à nobis offici) dum munia Profeſſionis ſuæ obeunda, placuit invectiva in Carteſium & nos inſurgere, qua ut Sceptici, Athei, impii, novarum rerum cupientes, aliiſque indignis nominibus traducebamur. In vulgus rumores audiebantur, quibus nos tum aliorum horrendorum dogmatum, tum quod negaremus Reſurrectionem mortuorum inſimulabamur. Sententia imprimis Carteſii, quæ viciſſitudinem diei & noctis non Solis circa Terram rotationi, ſed Telluris circa ſuum axem volutationi acceptam refert, tanquam lymphatorum delirium populo differri, & tanquam Dei oraculis manifeſtiſſimè contraria incuſari, exſibilari. Oſtentabantur varia Jacobi Revii ſcripta, interque ea *Statera Philoſophiæ Carteſianæ*, quibus calumniæ memoratæ tanquam tibicinibus innitebantur: nobiſque, his ſcriptis injuriam fieri Philoſophiæ innoxiæ & immeritiſſimò præcepta illius, detorta ſcilicet & mala fide deformata atque ita propoſita lacerari, teſtantibus dictitabatur, etiam ab iis qui amicitiam noſtri præ ſe ferebant; *non itaque debuiſſe tamdiu multa ferri, ſed, ſi cauſa noſtra potior, de gradu dejici & calumniatorum convinci*. Tandem patientia noſtra audacior factus, ſcriptiſque Revii tanquam tibicine nixus Lentulus properavit, ſi ſtylum excipias, ſcriptum ineptiſſimum, titulo: *Nova Renati des Cartes Sapientia*, in quo acerbius & iniquius in Carteſium à Revio jacta iterantur & inculcantur, noviſque calumniis detortæ ſententiæ Carteſii proſcinduntur. Igitur his injuriis quaſi vi quâdam pertracti & neceſitate conſtricti ſumus (quod quivis æquus judex exiſtimabat) ad nos & noſtra modeſtè defendendum, atque innocentiæ demonſtratione ſententiarumque Carteſii dextrâ expoſitione, ceu ſcuto objecto, tela adverſariorum tàm conſertim ad nos obruendos conjecta repellendum. Tunc Clariſſimus Claubergius editâ *Defenſione Carteſianâ* contra Revium & Lentulum in varia Carteſii dogmata commentari orſus eſt: ego peculiarem materiam de Volutatione Telluris circa ſuum axem, maximæ invidiæ nullâ cauſâ obnoxiam defenſitare, nec adverſus ſacras literas infeſto incurrere agmine, demonſtrare. Editæ itaque à me *Diſſertationes duæ, quarum prior de S. Scriptura in rebus Philoſophicis abuſu,*

altera

altera de verâ quiete & vero motu Terræ; utraque deſtinata reſtinguendo incendio, quod alii conflaverant. Ad loca ſcripturæ Gyrationi Terræ, ut videntur, contraria, eoque opponi ſolita, reſponderam, loquendi ratione à Copernicanis frequentatâ, *ſcripturam iis in locis loqui ſecundùm opinionem vulgi, non ſecundùm accuratam veritatem*; quam nullo modo putabam, tanquam labefactantem & evertentem eam, quæ ſacris diviniſque literis tribuenda eſt Auctoritas & Veritas omnium verè Chriſtianorum conſenſu, acceptum iri, cum, ſi hæc mea mens fuiſſet, compendioſiore viâ potuerim iſta ſcripturæ loca, tanquam Auctoritate & Veritate deſtituta rejicere. Ego vero è contrario fueram teſtatus, me *ſcripturæ auctoritatem ſumma cum reverentia ſuſcipere*, & teſtimoniis adductis variorum Theologorum, qui eodem illo loquendi modo in locorum ſcripturæ interpretatione utuntur, quorum nubem lector videre non negligat cap. 31. hujus libri, ſatis tutus videbar, minimeque reus criminis, quo arguor, quaſi iſtis verbis utendo Auctoritatem & Veritatem ſcripturæ læderem, imo convellerem; niſi quis forte eadem opera ejuſdem criminis poſtulare tot orthodoxos Theologos ſuſtineret. Ceterum longe alius ac ſperaveram ſcripti hujus fuit eventus, & quod defendendæ & liberandæ opinioni Carteſii à profana temeritate & impietate, conciliandæque cum ſacris literis erat comparatum, hominum malevolorum opera impietatis & profanæ temeritatis accuſatum, & tanquam Auctoritati & Veritati ſcripturæ evertendæ adornatum, fuit traductum. Primus impetus contra illud factus ex Academia Ultrajectina per Diſputationes ſub titulo: *De Auctoritate, Veritate & Infallibili Fide ſacræ Scripturæ in rebus Philoſophicis*, auctoribus iis (nam librorum titulis fides deroganda non eſt) qui reſpondendi navaverunt operam, quibus inſimulatus fui, quod *ſtuduerim infringere Auctoritatem & accuratam Veritatem S. Scripturæ in rebus Philoſophicis*. Quibus, omiſſis Reſpondentibus, unâ Diſputatione Duisburgi habita ita reſpondi, ut & ſententiam meam clarius explicarem, & adverſarii mecum conſenſum, dum concedit: *Scripturam fuiſſe uſam formulis receptis, etſi innitterentur opinionibus erroneis*, docerem, eaque Diſputatio dein ſub titulo: *Conſideratio Theologica de Stylo Scripturæ* Anno LVI. publici juris fuit facta. Quantumvis autem poſtea iidem Reſpondentes *Vindicias* ſinguli pro ſuis Diſputationibus auſi fuerint, quando tamen Præſes earum infra ſe exiſtimaverit, ut alio modo quàm per Reſpondentes in ſcenam productos mecum congrederetur, nec in ipſis Diſputationibus quicquam ſit, ſpeciem veri habens, quod, repetitum ab aliis adverſariis, in hoc tractatu à me non ſit dilutum, nec in Vindiciis crimen calumniarum Præſi-

Digitized by Google

di impactum ſit purgatum (conferat tantum Lector meam accuſationem in *Conſideratione* cum *Vindiciis*), nemo mihi vitio vertet, ſi ulterius contentionis ſerram cum Reſpondentibus reciprocari dedigner. Attigeram quædam contra hanc ſententiam objecta à Dn. Jacobo du Bois in *Dialogo Theologico Aſtronomico*, eaque modeſte inter alias objectiones refutaveram, qua re bilis ipſi adeo mota, ut tractatu virulento, cujus inſcriptio: *Veritas & Auctoritas ſacra in Naturalibus & Aſtronomicis*, me cenſuerit adoriendum & lacerandum. Dn. Revius reliquis, quæ ad ipſum pertinebant, prætermiſſis, quæſtionem, quæ in priori opere per occaſionem erat tractata, de *Indefinito Mundo*, ſolam ſibi ſumſit ventilandam, compoſito ad id libello, cui titulum fecit tractatui parum convenientem *AntiWittichius*, cum non niſi pauciſſima mei libri tangat, ſtatumque Controverſiæ, *de Infinitate Mundi* à me nullibi aſſerta, præter meam mentem conſtituat. Ac ne quid deeſſet oppoſitionum, acceſſerunt præterea, tum Dn. Petri van Maeſtricht *Vindiciæ*, quas vocat, *Auctoritatis & Veritatis Scripturæ*, tum Dn. Johannis Herbinii *Examen Theologico-Philoſophicum famoſæ de Solis vel Telluris motu controverſiæ*, quo inter alios adverſarios etiam me ſibi ſumſit invadendum, ut ita Oppoſitionum & adverſariorum multitudine tantum non viderer obruendus. Hi omnes uno ore â me Auctoritatem & Veritatem ſcripturæ oppugnatam aſſerebant, quam etiam in titulis librorum contra me defenſuros pollicebantur, eorumque ſcripta, ut fit ab iis, qui quam ſemel imbiberunt animo ſententiam, nunquam vel examinare volunt, ſola volvebantur. Nec defuerunt alii, qui quâvis occaſione & loco, in Cathedris Scholaſticis, Eccleſiaſticis, Claſſibus, Synodis, ſcriptum meum tanquam profanum & inimicum ſacris literis traducerent, & ut in ſummam adduceretur invidiam, omni ope & operâ niterentur. Acceſſit ad gravandam meam cauſam, quòd à non paucis, ineptiſſimis ſcilicet judicibus, tum ex frontiſpicio libri, è quo, ſi animum nolis advertere ad explicationem à me in ipſo libro adhibitam, non impoſſibile eſt dirius quid colligere, judicium ferebatur; tùm nimium habebatur fidei cuidam Suetonio Tranquillo, qui verba mea excerpta, tanquam membra aliqua à corpore ſuo divulſa propoſuit, quò ſeparata ab antecedentium & conſequentium connexione atque illuſtratione deteriora viderentur. Quæ occulta perverſitas ſcribendi & judicandi ſi obtineat, nihil quicquam erit, in quo damnatoria ſententia non poſſit ferri. His cauſis ſimul concurrentibus factum eſt, ut Synodi & Claſſes commota, neſcio quod malum Eccleſiæ à Philoſophiâ Carteſiana promtum putaverint, atque Auctoritatem & Veritatem Scripturæ ea nimium

quantum

Digitized by Google

quantum infirmatum iri metuerint. Quapropter, ut & quæ offenſionem concitaviſſe ex ſcriptis adverſariorum didici, dextra explicatione vel ſubſtitutione clariorum tollam, & ab illo metu quoſcunque liberem, dummodò non velint ſponte tuta timere, & meæ Defenſioni poſt adverſariorum accuſationem alteram aurem apertam præbeant; vel, ſi ne nunc quidem id obtinere queam, poſteritas aliquando iniquitatem iſtiusmodi judicum cognoſcat & miretur, iteratam hanc ſcriptionem neceſſarium habui ſuſcipere. Eſt ea *Diſſertationum ſecunda Editio*, diſpoſitione commodiori & alio titulo. Poſt explicatam differentiam, quæ inter Cognitionem humanam Communem omnibus hominibus, atque eò Vulgarem dictam, & Philoſophicam, ac propterea Accuratam appellatam, demonſtro argumentis, Philoſophicæ iſtius Cognitionis Principium non eſſe Sacram Scripturam, quam oſtendo, non datam eſſe à Spiritu Sancto, ut Philoſophos & ſapientes mundi efficiat, verùm eo fine Deum hominibus largitum eſſe lumen rationis, quo, ſi benè utantur, atque legitimæ viæ tramite incedant, ad multarum abſconditarum veritatum cognitionem pervenire poſſunt, exemplo Carteſii, cujus progreſſuum tali methodo factorum aliquot ſpecimina adduco; qui ſic cognovit, tum Mundi Extenſionem Indefinitam, quam declaro, probo & defendo, tum legitimum ſitum & Ordinem præcipuorum Mundi corporum inter ſe, qua occaſione determinatur; num viciſſitudo dierum & noctium à Solis circa Terram Motu, an à volutatione Telluris circa ſuum axem dependeat? His adjicio, quòd quamvis Carteſius ex lumine tantùm naturæ Philoſophicam rerum cognitionem hauſerit, tantam tamen ſemper deferat (quod & ego facio) ſcripturæ Auctoritatem, ut, ſi eam cognoſcat aliquid revelare, quod cum lumine rationis pugnet, potius velit Auctoritati divinæ, quàm proprio ſuo judicio fidem adhibere, qua occaſione evinco, etiamſi ſtatuatur, *ſcripturam ſacram de rebus naturalibus loquentem ſtylo uti vulgari iiſque formulis, quæ, nullam quidem docentes falſitatem, veritatem tantùm generalem, relatam ad homines, & præjudiciis quoad modum enunciandi involutam, ſignificent*, nihil quicquam aſſeri, quod Auctoritatem & Veritatem ſcripturæ evertat; ſimul ſpeciatim arguo, per opinionem de Gyratione Telluris nihil quicquam Auctoritati & Veritati ſcripturæ adverſum doceri, atque loca ſcripturæ, quæ ei videntur contradicere, cum eadem concilio. Mutatus prioris Editionis titulus, ne porrò offenderentur, qui ſolis è titulis, ipſis interim libris non inſpectis, toto de librorum argumento, quod ne opera quidem perfunctoria luſtrarunt, judicium ferre conſueverunt. Etiam hoc dedi infirmiorum teneræ Conſcientiæ, ut modum

Digitized by Google

dum illum loquendi, *ſcripturam ſæpe de rebus naturalibus loqui ſecundum opinionem vulgi, non ſecundùm accuratam veritatem*, quo antea eram uſus, iſti lapidi offenſionis removendo, mutaverim: alia commodiore formula ſubſtituta; qui vero arbitrantur, ſe offenſos phraſeos iſtius uſu, mihi unà cum Theologis plurimis Orthodoxis, quibus idem dicendi genus uſitatum, ignoſcant peto. Simul rogo, ne iterum offendantur, ſi dicam cum adverſario Ultrajectino: *Scripturam uti formulis receptis etſi præjudiciis innitantur*; vel, *Scripturam uti talibus loquendi modis, qui veritatem aliquam, ſed generalem tantùm atque relatam ad homines & præjudiciis quoad verba involutam ſignificent.* Idem enim his verbis quamvis diverſis ſignificatur, meaque verba eandem referunt ſententiam, ac eſt Clariſſimi Dn. Velthuſii, (quod & ipſe obſervavit pag. 42. in libello Belgico, *Naeder Bewijs, dat noch de leere van der Sonne ſtilſtandt &c. noch de gronden van de Philoſophie van Renatus des Cartes ſtrijdigh zijn met Godts Woordt*) & Irenæi Philalethii pag. 62. in tractatu Belgico: *Bedenckingen op den ſtaat des geſchils over de Carteſiaenſche Philoſophie.* Cavi, quantum potui, in hac ſecunda Editione, ne verba exciderent, in quibus quiſquam meritò offenderetur, ideoque pacis ſtudio omiſi locutiones, quas vidi in ſequiorem ſenſum facilè detorqueri, atque ita materia m ſcandali eſſe poſſe; &, ſi, præter ſpem, ejuſcemodi quid non animadverſum huic editioni adhuc inſit (quis enim immunitatem ab omni defectu etiam in verbis ſibi tribuere auſit?) id, perſpecta ſana mea ſententia, per alia mea verba clariora ut exponatur, precor. Locupletata eſt altera hæc Editio acceſſione Inſtantiarum, quæ contra primam à Dn. du Bois, Revio, Herbinio & Maeſtricht fuerunt motæ, & Reſponſionum, quibus illæ retunduntur. Ex his itaque, ſed lectis & accuratè perpenſis judicate, quicunque eſtis, Doctores, Paſtores, Synodi, Claſſes, num mereatur Carteſianæ Philoſophiæ laudatorum cauſa cum Arminianorum comparari, & num ſimiles turbæ Carteſianorum dictorum opera & culpa metuendæ? quo metu ſimpliciores quoſdam & rei ignaros corripi fertur. Nos utique, præterquàm quòd Verbi divini Auctoritati libentèr omnes noſtros ſenſus & opiniones ſubjicimus, nihil quicquam innovamus in Confeſſionibus receptis, nihil reprehendimus, ſed eas tanquam communis fidei Reformatorum teſſeras recipimus, atque ſubſcribendo probavimus, & ex animo etiamnum probamus. Non fidem ſpectant, non Theologiam Revelatam Controverſiæ, quas excitare placuit Sophiſtis. Philoſophia Carteſiana quieta eſt, & tantum in mente amatorum ſui veritate inſtruendâ, non aliorum opinionibus & falſitate evertenda occupatur. Spectant vel mentem Carteſii, quam Sophiſtæ

Sophiſtæ conantur pervertere, vel res naturali lumine cognoſcendas, quas is optime intelligere dicendus, qui rectiſſime iſto lumine utitur. Ac, niſi ab antagoniſtis ſcriptura in partes fuiſſet vocata, atque pro illorum ſententia adducta, nulla controverſia circa eam fuiſſet exorta. Quæ tamen non eſt de ejus Veritate & Auctoritate, cui, ſi non plus, ſaltem non minus deferunt Carteſiani, atque iſti, qui eâ malè intellectâ ſuos errores conantur palliare, ſed de ejus *Senſu*, adverſariis ei, quod nolis ſuis pueri, affingentibus ſenſum opinionibus ſuis convenientem. Non quæritur: *An Scripturæ ſit credendum? An Scriptura falſum loquatur? An Scriptura multis falſitatibus ſcateat?* quod adverſarii petulantiſſime mihi affingunt, mihi tamen nunquam in mentem venit aſſerere. Sed quæſtio eſt: *An non Scriptura utatur ſermone è trivio deſumto & phraſibus, quæ ex præjudiciis habent ortum, non tamen illa ipſa præjudicia docendo, ſed veritatem generalem talibus verbis quaſi involutam?* ubi ego affirmantium ſententiam ſequor. Quis enim negabit, quin ſermo quavis in lingua multis præjudiciis ſit involutus? Quis dicet, novi ſermonis inventorem eſſe ſcripturam ſacram, & non potius inter homines recepto, quamvis non ſatis accuratè reſpondente rebus, earumque naturam non accuratè exprimente, uti? Atque hic eos, cum quibus mihi eſt negotium, etſi contra meam ſententiam varia objiciant, veritatis vi coactos mecum conſentire oportet. Sic enim Dn. Herbinius pag 248. de Chananja loquens, qui in ſcriptura Propheta vocatur inquit, *Spiritus Sanctus mutuatus eſt hic verbum opinionis ſive nomen a populo, non verò opinionem*; quæ profectò ipſiſſima mea eſt ſententia. Et Dn. Maeſtricht pag. 115 inquit: *Sufficere, ſi ſtatuamus Cordis vocabulum ea verè ſignificare, quæ Sp. S. eo nobis ſignificare intendit, ſive ea vera ſignificatio errorem aliquem N B auctorum iſtius phraſeologiæ ſupponat, ſive non.* Ergo Spiritus Sanctus poteſt uti phraſeologia, cujus vera ſignificatio errorem aliquem auctorum ejus ſupponit, quod tamen à me dictum tanquam adverſans Veritati verbi divini impugnatur. Atque cum Dn. du Bois ſæpius repetat: *A proprio verborum ſenſu ſi ſit recedendum, debere eſſe cogentes rationes*, vide pag. 19, 72, & 127, quæſtione prius dicta inſuper habita, inter me & adverſarios tantum diſceptandum imposterum: An ſint claræ rationes, quæ nos jubeant à proprietate verborum recedere circa textus contra volutationem Telluris adductos? vel potius: An in laudatis textibus non ſint tales formulæ loquendi, quæ ex præjudiciis habentes ortum, non niſi veritatem aliquam generalem, nihil contra gyrationem Telluris facientem, doceant? quod ego tueor contra adverſarios id negantes. Neque eſt, quod dicatur: Clara eſſe iſta loca contra

Terræ

Terræ gyrationem adducta, & proinde in iis doceri Terræ quietem & Solis motum: Sic enim dicere etiam potuerunt, qui terram aquis innatare perſuaſi fuerunt & Antipodes negárunt, clarè id docere Pſal. XXIV. 2. *Nam ipſe ſuper maria fundavit Terram & ſuper flumina ſtabilivit illam*, & Pſal. CXXXVI. 6. *Qui expandit Terram ſuper aquas, quia in ſeculum eſt benignitas ejus*; cùm tamen homo liber à præjudicio id inde non colligat. Non ergo ex noſtris præjudiciis ſcriptura exponenda, ſed iis prius depoſitis videndum, ex conſideratione ſcopi & circumſtantiarum textus, quid Sp. S. quovis in loco nobis velit teſtari. Proin non convelluntur fundamenta Theologiæ per Philoſophiam Carteſianam, quod multis eſt perſuaſum. Quærit tamen Dn. du Bois pag. 140. *quanam ſit ratio tam vehementis querimoniæ, quæ in prioris editionis præfatione habetur, ſi Controverſiæ hæ fundamentum ſalutis non tangant, & neutri errores obſint ſaluti?* Verba mea ſuper quibus hanc quæſtionem fundat in Præfatione prioris Editionis ſunt: quòd Veritas *Diaboli omnis Veritatis oſoris inſtinctu graviſſimis calumniis impetatur, oneretur & prematur*; item, quòd *doloſus Cacodæmon nihil potuerit invenire aptius ad majorem ejus curſui remoram injiciendam, quàm ſi larvis mendaciorum & abſurditatum dedecoratam mundo exhiberet, ut ſic odioſam & invidioſam redderet*; quæ juſtæ querelæ rationem habere poſſunt, etiamſi non omnis Veritas pertineat ad fundamentum ſalutis, vel non ſpectet Fidem & Theologiam Revelatam. Cùm enim omnis Veritas mentem perfectione ornet, eique jucunda & grata accidat vera multarum rerum & cauſarum naturalium cognitio, non poteſt non menti veritatis cupidæ eſſe moleſtum, quòd propter iſtas calumniarum & mendaciorum nebulas ſibi aditum ad eam videat eſſe factum difficilem, aliis etiam, eas non ſentientibus, & propterea nec diſcutere conantibus, impervium. Dubitatio Carteſiana, neque ad res fidei neque ad uſum vitæ ſe extendens, eumque reſpiciens, qui philoſophari incipit, nihil aliud denotat, quàm ſerium examen omnium opinionum, quas quis ab infantiâ hauſit, ut nulla admittatur, niſi quæ fundamentis ſolidis inſiſtat; quod non tantùm licitum, ſed etiam neceſſarium eſſe ei, qui certam & indubitatam quærit ſcientiam, quis non videat? Quidni etiam, dùm Fide firmitèr teneas Dei exiſtentiam, liceat inquirere, num eadem ex lumine naturæ poſſit cognoſci & demonſtrari? Verùm lucernam in meridie accenderem, ſi pluribus de his agere conarer, cùm Dubitatio Carteſiana integro tractatu à Dn. Claubergio ſit explicata, & ab omnibus incommodis libera facta. Qui ea legere dedignatur, & tamen deſiſtere ab hâc Dubitatione accuſandâ detrectat, ejus improbitas nec noſtrâ ſcriptione poterit coërceri. Sententia

Digitized by Google

tia Carteſii de Libero Arbitrio eadem planè eſt, quæ noſtrorum Theologorum omnium, quod ex Meditatione quartâ cuilibet poteſt eſſe manifeſtum. *Neque enim*, inquit, *opus eſt, me in utramque partem ferri poſſe, ut ſim liber, ſed contra, quò magis in unam propendeo, ſive quia rationem veri & boni in eâ evidenter intelligo, ſive quia Deus intima cogitationis meæ ita diſponit, tantò liberius eam eligo; nec ſanè divina gratia nec naturalis cognitio unquam imminuunt libertatem, ſed potius augent & corroborant. Indifferentia autem illa, quam experior, cùm nulla me ratio in unam partem magis quàm in alteram impellit, eſt infimus gradus libertatis, & nullam in ea perfectionem, ſed tantummodò in cognitione defectum ſive negationem quandam teſtatur*; quæ verba ad Carteſii conſenſum cum noſtris Theologis probandum à ſolidiſſimæ eruditionis Theologo Johanne Coccejo in tractatu de Fædere Dei art. 99. laudantur. Dominium quod ei aſſignat non eſt abſolutum, ſed dependens à Deo, nihilque hic eſt diverſitatis inter Carteſium & Theologos noſtros. Vide Claubergii Defenſionem Carteſianam cap. 20. De Omnipræſentia Dei quæ ſit Carteſii ſententia, eadem cum ſententia multorum Theologorum, conſiſtens in accuratiori Omnipræſentiæ explicatione Philoſophicâ, videre licet hujus mei tractatus art. CCI. An beſtiæ ita ſentiant, ut homines? eſt quæſtio Philoſophica, ubi negativam Carteſius non ſine magnâ ratione tuetur, beſtiis denegans cogitationem & rationem. Plures poſſe eſſe mundos negat Carteſius, quia implicat contradictionem, atque eo ipſo divinam Omnipotentiam non evertit, non negans, quòd Deus plures poſſit creaturas ſive corporeas ſive incorporeas condere. Sed hoc facto, eæ non novam aliquam Univerſitatem corporum, ſi ſint corporeæ; nec novam aliquam Univerſitatem creaturarum, adeoque non novum mundum eſſent conſtituturæ. Vide art. CLIV. hujus tractatus & Claubergii Defenſionem Carteſianam p. 487. & ſeqq. In his ergo & ſimilibus vel detorquetur mens Carteſii, &, quod non eſt controverſum pro controverſo habetur; vel quæſtio eſt potius de nomine quàm de re; vel ad ſummum Philoſophica, non ad Fidem, ſed ad explicationem quandam ex lumine naturæ pertinens. Rogatos itaque volo & monitos quoſcunque, qui huc uſque clamoribus iniquis adverſariorum in tranſverſum acti, zelo forte Dei, ſed non ſecundum ſcientiam judicàrunt, ſententias, quas Carteſianas vocant, adverſâ fronte cum ſacris literis concurrere, vel in fundamenta Religionis arietare, ut æquo animo citra affectus expenſis juxta noſtris defenſionibus ac adverſariorum accuſationibus, mitius de nobis judicent, certoque ſibi perſuaſum habeant, nihil nos innovatum in religione & re-

ceptis fidei ſymbolis, Confeſſionibus Reformatôrum, velle. Diſtinguant obſecro inter quæſtiones de Veritate ſententiarum & illarum Pondere, &, ſi Carteſianas ſententias minus veras exiſtimant, fruantur ſuo judicio, ſed & permittant nos frui noſtro, habeantque has quæſtiones ſaltem eo loco, circa quas ſalvo Religionis Reformatæ vinculo liceat modeſtè diſſentire, prout tales multas ipſâ etiam in Theologia dari omnes Theologi agnoſcunt. Sin è contra io ſententias vobis vix auditas, niſi vocabulo Carteſianas, vel ex adverſariorum accuſationibus tantùm cognitas, nunquam verò libratas trutinâ incorrupti judicii, tanquam adverſas Verbo divino cæco judicio placet condemnare, eoque fine judicia, verè præjudicia, Academiarum vel Synodorum & Claſſium emendicare, ſciatis nos parum iſtis iri motum; vos autem ita veſtra opera implicitum iri crimine neglectæ charitatis, poſteroſque habituros, in quo veſtram injuſtitiam accuſent. Reprehenditis Pontificiorum iniquitatem, quòd à lectione librorum à noſtris pro defenſione Religionis ſcriptorum, tanquam condemnatorum abſtineant, & ſic in errore permaneant; cavete itaque, ne eandem mereamini notam, atque eadem judicii temeraria iniquitate pervertamini. Vos nunc compello, quibus præter meum meritum in me acerbius invehi, & contra meas Diſſertationes placuit vehementius inſurgere. Cauſſam Dei agere contra me arbitramini, atque defendere Auctoritatem & veritatem ejus verborum, quam tamen juxta vobiſcum indubitatam & infallibilem agnoſco. Etiam id putabant amici Jobi, pervertentes ejus verba, contra quos tamen Deus pronuntiavit ſententiam. Si veſtra cauſſa bona, quid tanta virulentia opus eſt? cui bono contumeliæ & criminationes? Si par pari voluiſſem rependere, quoties mihi ſubminiſtratis materiam, ut vos potuiſſem aceto perfundere, & ſale multo perfricare! Sed vobis condono, & ipſe mihi in refutatione veſtrarum objectionum occaſionem præſcindo, dum prætermiſſis reliquis, ea tantum, quæ ad cauſſam faciunt, cito & refuto. Velim tantum, ut ex multis ſequentia veſtra verba expendatis, eorumque iniquitatem agnoſcatis. Tu imprimis Dn. du Bois conſidera ſerio, an conveniant cum tuo munere ſacro, quæ paſſim in tuo tractatu comparent. Tota tua Præfatio tuba eſt belli excitandi contra eos, qui Carteſii Philoſophiam probant, à quibus malum Eccleſiæ gravius portendis, quàm à Remonſtrantiſmo Initio tractatus hoc argumentum proponis: *Quod ſacræ literæ claris & diſertis verbis teſtantur eſſe verum, id etiam ut verum à nobis habendum & credendum eſt: Atqui Solem circa Terram moveri ſacræ literæ claris & diſertis verbis teſtantur: Ergo*, atque inquis: *Concedi à nobis Majorem*.

rem in materiis fidei, ſed negari in rebus naturalibus, Phyſicis, Aſtronomicis. A quonam verò iſtam reſponſionem didiciſti? Id vel oſtende vel calumniam agnoſce. Non Majorem, ſed Minorem negamus, quam falſiſſimam eſſe ſumus perſuaſi, neque magis aſſeri à ſacris literis, quàm eædem docent, Terram aquis innatare, & proinde nullos dari Antipodes. Pag. 25. me accuſas *contortarum expoſitionum ſcripturæ, novitatum in Theologiâ & heterodoxarum opinionum*, de quo te injuriæ poſtulo. Quoties verò ſtudio & opera data mea verba pervertis? Sic p. 83. ex eo, quòd dixeram: *Ne videamur tantum niti præſumtionibus*, mihi tribuis, quòd *mea argumenta habeam tantùm pro præſumtionibus. Juvenilis audacia & temeritas, puerilis reſponſio, ingenium novaturiens, me nimis citò pulverem ſcholaſticum excuſſiſſe*, & ſimilia ubique tuas paginas exornant. Nos *vilia mancipia Carteſii, qui credamus & omnibus viribus defendamus, quod ab ipſo didicimus, quia αὐτὸς ἔφα* pag. 213. Cùm tamen non auctoritate, ſed rationibus à Carteſio monſtratis, & à nobis rectè perceptis ducamur, nemoque minus auctoritatibus humanis in ſcientiarum ſtudio tribuat, quàm dicti Carteſiani, ſatis exploratum habentes, ſcientiam non niſi demonſtrationibus & rationibus indubitatis generari. *Deum in nobis non obſcura lineamenta proponere Philoſophorum, qui poſtquam tramitem verbi divini deſeruerunt, juſto Dei judicio prolabuntur in ματαιολογίαι*, inquis pag. 266. Scomma in Carteſium acerbum eſt: *Damnum illud eſſe deplorandum, quòd hoc demùm ſeculo in lucem è Jeſuitarum ſcholis prodierit tantus doctor, qui ſi tempore Joſuæ vixiſſet, virum illum ſecundum veritatem loqui docuiſſet* pag. 152. Hæc & ſimilia innumera, quæ paſſim conſpiciuntur in tuo libello, cauſſam tuam nulli modeſto & pacis amanti lectori probabunt. Itaque imposterum à talibus ut abſtineas hortor, &, ſi huic meæ Defenſioni quid opponere velis, id fiat citra calumniam & contumelias. Memineris tamen, tibi prius ſatisfaciendum Dn. Velthuſio, cujus tractatui ſub titulo: *Naeder Bewys, dat noch de Leere van der Sonne ſtilſtandt en des aerdtrÿcks beweging &c. ſtrydigh zÿn met Godes Woordt tegens I. du Bois*, reſponſum adhuc debes, ut & Irenæi Philalethii ſcripto: *De verſtrickte Aſtronomus Jacobus du Bois.* Hos ſi accuratè refutaveris, ſatis maturè ad mihi reſpondendum te accinges. Tu vero Dn. Maeſtricht perpende, num ad ſacri Miniſterii functionem acerbo tuo & virulento ſcripto rectè te præparaveris? Præfat. pag. 3. inquis: *Satanam operâ Renati des Cartes enervatis genuinis fidei Chriſtianæ principiis in Scepticiſmum primò, poſt in Atheiſmum Eccleſiam proturbare conatum eſſe.* Item, *Carteſium imitatum exemplum Iulii Vaninii Atheiſmum propagare volentis.* Pag. 5. *Satanam ad expugnandum ſcripturam propoſuiſſe*

Digitized by Google

ſententiam de Terræ motu, quibus nihil contumelioſius & iniquius in Carteſium dici potuit. Pag. 8. tibi ſum *novitius & novaturiens Theologus*. pag. 11. *incurro πολυπραγμοσύνης notam*. pag. 12. *non vereor in arenam cum ſcriptura ſacra conſcendere*. Sic in ipſo tractatu p. 39. dicor, *locutionibus Sp. S. falſitatis dicam ſcribere* pag. 61. *Veracitatem ſcripturæ nefario auſu in dubium adducere*. pag. 232. *ea tantum ex adverſariis meis*, te ſic volente, *excerpſi, quæ meis exceptionibus & cavillationibus maximè judicaverim expoſita*. Quibus ſi te audactèr & impudentèr calumniari & convitiari dixero , quod res eſt pronuntiavero. Pag. 206. mihi tribuis: *Conceptus ſcripturæ de Deo ejuſque attributis exigendos eſſe ad limam rationis humanæ eâque corrigendos*, cùm non de conceptibus ſcripturæ , ſed de conceptibus vulgi fuerim locutus. pag. 210. verba mea pervertis, id quod dixeram; *Nulla blaſphemia in Sp. S. committitur*, ſic exponendo: *dicendo ipſum deſertâ accuratâ veritate ad errorem deflexiſſe*, cùm hic eorum ſit ſenſus: *Nulla blaſphemia in Sp. S. committitur, ſi dicamus, ipſum relictis accuratis locutionibus ad populares deflexiſſe erroribus innitentes*. Pag. 218. calumniatoriè admodum agis, dum inquis, me dicere: *Scripturam aliquâtenus eſſe verbum Dei non purum*, idque more doloſi generalitèr proponis, & poſtea impietatis accuſas; cùm ſi verba mea, quæ reſpicis, rectè conſiderentur, nihil quicquam ſit, quod temetipſum concedere non oporteat. Quæro enim, ſi per *purum Dei verbum* intelligatur tale verbum, in quo nulla ſit locutio humana à Deo adoptata, & ſuam originem referens ad aliquod præjudicium, an eo ſenſu Scripturam audeas aſſerere purum Dei verbum? Reverâ ergo fluctus in ſimpulo moves, quando hîc ita paratragœdias. Tandem, ut infinita alia omittam, conſidera, num à calumniâ excuſare poſſis, quòd p. 257, dum tractatum concludis, ais: *me ne nimis honorifice de ſacrâ ſcripturâ ſentirem, eam erroribus vulgi ſcatere aſſerere non vereri*. Hæc & alia tibi opinor oſtendent, non fuiſſe Zelum Dei, quo agitatus contra charitatem tot aliena à meâ ſententiâ mihi tribuiſti. Ad te nunc me converto Dn. Herbini, qui ceteris modeſtior & doctior, ſtyloque elegantiori uſus, tamen non potuiſti cavere, quin quædam duriora in me dicta tibi exciderent, qualium ſpecimina ſunt, (ne dicam de Epiſtolâ Dedicatoriâ, in quâ acerbiſſimè adverſarios tuos generatim perſtringis) p. 93. *me ex hypotheſi Copernicaa S. Spiritui in ſua materia loquenti audacter præſcribere non dubitaſſe*. pag. 94. *me dediſſe rationibus meis Deum, Deo ne reverentiam quidem; me temere & indigne tractaviſſe ſacras literas*. pag. 113. *Eſtne Chriſtiani hominis taceo Theologiæ Doctoris tremendæ Majeſtatis taliter tractare oracula?* p. 193. *Taliter philoſophari illos decet*,

qui

qui præconceptam ad furorem uſque deperientes hypotheſin, omninò omni atque adeò & ſupra rationem veneratione digniſsimis contradicunt literis. p. 199. inquis: *demirari te non poſſe ſatis ſuperque D Wittichii Spiritum, qui ex ſolita Spiritui S. contradicendi, ejuſque oracula ad hypotheſin ſuam retorquendi libidine, quid non tandem de Deo ſtatuit?* Ego verò hujuſmodi dictis injuriam mihi fieri, & ſententiam attribui, quæ nunquam mihi venit in mentem, proteſtor. Spero fore & opto, ut his perpenſis & meâ ſententiâ clarè ſatis nunc ſaltem cap. 20. hujus tractatus propoſitâ agnoſcatis, vos vel erraſſe in mente mea percipienda, vel, ſi eam antehac agnoviſtis, gravium calumniarum crimine vos obligaſſe, ac proinde ſeriò earum veniam à Deo petendam, & impoſterum à ſimilibus abſtinendum. Dn. Revius, dum Defenſio mea ſub prælo eſt, fatis conceſſit; itaque quamvis non mitius mecum egerit quàm alii, à recenſendis durioribus ejus dictis abſtineo. Quod ſupereſt, Deum veneror, ut fratribus de rebus levioribus diſſentientibus tales inſpiret mentes, ut linguas & calamos ſuos non convertant in gladios, ſed invicem amice conferant, & leviorem diſſenſum patienter ferant, ſpiritu lenitatis alter alterum inſtituentes, donec quoque Deus ea, quæ ignorant, aliis revelet. Amen.

Cæterum adhuc te monitum velim, Amice lector, me in citandis adverſariorum meorum ſcriptis compendio fuiſſe uſum, quod ne tibi ea cum noſtris conferre volenti obſtaculo ſit, notas iſtas compendiarias hîc explicare lubet.

Litera B. deſignat tractatum *Jacobi du Bois,* titulo: *Veritas & Auctoritas ſacra in Naturalibus & Aſtronomicis &c.*

B. *Dial.* vel B. D. ſignificat ejuſdem *Jac. du Bois Dialogum Theologico-Aſtronomicum.*

H. ſignificat *Joh. Herbinii famoſa de Solis vel Telluris motu Controverſiæ Examen Theologico-Philoſophicum &c.*

L. *Novam Renati des Cartes Sapientiam faciliori quàm antehàc methodo detectam à Cyriaco Lentulo.*

M. *Petri van Maeſtricht Vindicias Veritatis & Auctoritatis Sacræ Scripturæ in rebus Philoſophicis.*

R. A. *Jacobi Revii Anti-Wittichium.*

R. St. *Jac. Revii Stateram Philoſophiæ Carteſianæ.*

S. *Martini Schoockii de Scepticiſmo Partem Priorem.*

INDEX CAPITUM.

CAPUT I. Cognitio humana duplex, Vulgaris & Accurata, ſive Communis & Philoſophica. Art. 1.

CAP. II. Cognitionem Accuratam & Philoſophicam rerum naturalium ex ſacris literis hauriri non poſſe hîc conſtituitur in ſequentibus demonſtrandum. 25.

CAP, III. Argumentum pro ea ſententia proponitur primum, à formulis loquendi ſcripturæ uſitatis, & ſecundum à ſcripturæ finibus. 35.

CAP. IV. Argumentum tertium ex eo deſumtum, quod ſcriptura in ſe non quærendam ſapientiam Philoſophicam doceat, proponitur & defenditur. 55.

CAP. V. Argumentum quartum, cuius ſumma, quòd Deus ab iis, quos ſapientia Philoſophica ornaverat, nihil ad eam faciens voluerit conſcribi, proponitur & vindicatur. 64.

CAP. VI. Argumentum quintum ab omiſſione eorum, quæ Salomon de rebus naturalibus conſignaverat, cum vindiciis. 75.

CAP. VII. Argumentum ſextum quo oſtenditur, ea quæ oppoſitæ ſententiæ Patroni ex ſacris literis afferunt ſpecimina doctrinæ Philoſophicæ, talia non eſſe. 81.

CAP. VIII. Objectiones in contrarium adductæ ſolvuntur & refutantur. 93.

CAP. IX. Carteſii ſententia de Mundi Extenſione & Magnitudine proponitur. 110.

CAP. X. Demonſtratur ſententia Carteſii de Muudi Indefinitate. 137.

CAP. XI. Objectio prima contra Indefinitatem Mundi à Spatiis Imaginariis deſumta proponitur ac refellitur. 164.

CAP. XII. Objectio ſecunda contra Indefinitatem Mundi à cognitione limitum Mundi, quæ omnibus conveniat, expenditur & ſolvitur. 170.

CAP. XIII. Objectio tertia ab Infinitate deſumta propoſita & refutata. 192.

CAP. XIV. Refutantur Argumenta pro Mundi rotunda figura adducta, & oſtenditur, talem figuram nec Cœlo ſtellato aſſignari poſſe. 206

CAP. XV. De Centro Mundi nec non circumvolutionum Planetarum, 216.

CAP. XVI. De Situ & Ordine præcipuorum Mundi corporum inter ſe. Sententia Carteſii & Copernici collata cum ſententia Ptolemæi & Tychonis Brahe recitatur, porroque origo & vetuſtas ejus exponitur. 244.
CAP. XVII. Termini quæſtionum propoſitarum explicantur, oſtenditur, quid Terræ nomine veniat, quid itidem per Mundum intelligamus. 258.
CAP. XVIII. Demonſtratur duobus argumentis, Terram deferri circa Solem annua delatione, & circa axem ſuum diurna. 283.
CAP. XIX. Objectiones contra delationem Terræ à ſenſu & ratione deſumtæ refutantur. 412.
CAP. XX. Carteſius Auctoritatem ſcripturæ omnibus ſuis ratiociniis anteponit & ego cum ipſo. Ejus Auctoritati ut nec Infallibilitati repugnat ſententia de ſtylo ſcripturæ vulgari circa res naturales. Status Controverſiæ iſtius quæſtionis conſtituitur. 446.
CAP. XXI. Scripturam uti debere formulis uſu tritis, etſi præjudiciis eæ innitantur atque veritatem iis involutam referant, probatur Argumento ex Eſ. VIII. 1. deſumto. 461.
CAP. XXII. Secundum Argumentum pro ſententia dicta à modo agendi ſcripturæ Dialectico deſumtum. 468.
CAP. XXIII. Argumentum tertium ab Inductione eorum ſcripturæ locorum, quæ continent formulas vulgares referentes phænomena atque veritatem ad ſenſus relatam & præjudiciis involutam. 475.
CAP. XXIV. Quartum Argumentum, quo ſententiæ noſtræ veritas oſtenditur & demonſtratur. 542.
CAP. LXV. Sententiam de uſu formularum receptarum veritatem aliquam præjudiciis involutam referentium non pugnare cum Auctoritate & Veritate Scripturæ probatur primò Argumento ex locutionibus ſcripturæ de Corde uſurpatis. 554.
CAP. XXVI. Idem probatur ſecundò Argumento deſumto ex locutionibus in ſcriptura uſurpatis de moralibus & practicis, apparentiæ & opinioni ſuper ea fundatæ innitentibus. 566.
CAP. XXVII. Tertium Argumentum, quo probatur, ſententiam dictam cum Auctoritate & Veritate ſcripturæ nequaquam pugnare, ex eo deſumtum, quòd ſcriptura aliquid neget, non quia revera eſt negandum, ſed quia à nobis non eſt cognitum. 615.
CAP. XXVIII. Quartum Argumentum pro ſententia dicta deſumtum ex argumentationibus ad hominem in ſcriptura uſurpatis. 621.
CAP. XXIX.

CAP. XXIX. Quintum Argumentum ex phraſibus de Deo adhibitis deſumtum proponitur & defenditur. 632.

CAP. XXX. Sextum Argumentum ab uſu verſionis LXX. Interpretum in N. T. proponitur ac vindicatur. 661.

CAP. XXXI. Conſenſus Theologorum cum ſententia noſtra oſtenditur. 674.

CAP. XXXII. Objectiones contra hanc ſententiam examinantur, quarum prima urget, quòd ex ea ſequatur, ſcripturam falſum docere. 684.

CAP. XXXIII. Objectio ſecunda, quòd per iſtam ſententiam omnis certitudo ſignificationis Scripturæ evertatur, eaque in naſum cereum commutetur, proponitur & refutatur. 704.

CAP. XXXIV. Objectio tertia deſumta ex Joh. XVI. 13. cum inſtantiis proponitur & refellitur. 726.

CAP. XXXV. Objectiones quarta & quinta, quarum illa deſumitur à potentia & voluntate Dei, hæc à comparatione Dei cum artificibus manuariis proponuntur & refelluntur. 735.

CAP. XXXVI. Objectio ſexta à puritate ſcripturæ divinæ deſumta proponitur & refutatur. 739.

CAP. XXXVII. Septima Objectio inde deſumta, quòd poſita hac ſententia ſufficiens habeant hæretici fundamentum negandi, Chriſtum eſſe hominem. 752.

CAP. XXXVIII. Octava, Nona, Decima, Undecima & Duodecima Objectiones refutantur. 758.

CAP. XXXIX. Objectio decima tertia à comparatione rerum naturalium cum Myſteriis, Prophetiis & Chronologicis deſumta proponitur & refellitur. 763.

CAP. XL. Objectio decima quarta à fide Spiritui Sancto debita, 773.

CAP. XLI. Objectio decima quinta à comparatione rerum naturalium cum miraculis. 777.

CAP. XLII. Objectio decima ſexta deſumta à comparatione rerum naturalium cum rebus gravibus, & captum noſtrum excedentibus. 783.

CAP. XLIII. Objectiones à decima ſeptima uſque ad vigeſimam ſeptimam proponuntur & refutantur.

CAP. XLIV. Sententiam de Gyratione Telluris non adverſari Auctoritati & Veritati ſacrarum literarum oſtenditur. In ſpecie verò cum ea conciliatur Joſuæ cap. X. verſus 12. & 13. 811.

CAP. XLIV.

Digitized by Google

CAP. XLV. Cum ſententia dicta conciliatur locus Eſ. xxxviii. 8. 852.

CAP. XLVI. Proponitur Pſal. xix. 5, 6, 7. ac cum ſententia noſtra conciliatur, 857.

CAP. XLVII. Pſal. xciii. verſus 1. & Pſ. civ. verſus 5. proponuntur, & cum ſententia dicta conciliantur. 900.

CAP. XLVIII. Pſalmi civ. verſus 19. & Matth. v. verſus 45. cum ſententia dicta conciliantur. 907.

CAP. XLIX. Adducitur locus Eccleſ. I. 4, 5. & cum ſententia noſtra conciliatur. 925.

CAP. L. Gen. I. 14. conciliatur cum dicta ſententia. 936.

Digitized by Google

CAPUT I.

Cognitio humana duplex, Vulgaris & Accurata, ſive Communis & Philoſophica.

I. Omnis homo, eo ipſo quòd homo eſt, animâ nempe rationali præditus, habet facultatem *percipiendi* & intelligendi varia Objecta, quorum quædam, prout perfectus eſt, clarè & diſtinctè percipit, ita ut menti ejus ſint præſentia & aperta, nihilque iis ſit admixtum, quod non ſit planum & perſpicuum; alia vero, prout participat de nihilo atque aliquam imperfectionem ſibi habet admixtam, obſcurè & confusè intelligit, ita ut vel planè mentis acie penetrare nequeat, vel ſi ex parte perſpiciat, multa tamen iis maneant admixta, quæ ipſius intellectionem effugiunt.

II. Sed & eidem competit tum Facultas *Judicandi* de illis ipſis objectis, eaque vel ad mentem, vel ad ſe invicem in mente, vel ad res extra intellectum referendi, tum facultas *proſequendi* quædam, alia *fugiendi*, cui utrique Libertas eſt conjuncta, quâ ad id quod ab intellectu proponitur affirmandum aut negandum, ſive proſequendum vel fugiendum ita fertur, ut à nullâ vi externâ ſe ad id determinari ſentiat.

III. Ac quando Intellectus quidem aliquid clarè & diſtinctè affirmandum vel negandum, ſive proſequendum vel fugiendum propoſuit, non poteſt fieri, quin illud affirmemus vel negemus, proſequamur vel fugiamus quamdiu ad id attendimus; ſed cùm ab eodem aliquid confuſe & obſcure eſt perceptum, quamvis fieri poſſit, ut ad illud affirmandum vel negandum, proſequendum vel fugiendum feramur, tamen etiam contingere poteſt, ut non feramur, ſed ſuſpenſi maneamus. Poſterius ſi faciamus, non erramus, nec prave agimus, nexum illum, qui inter Perceptionem & judicium, ita ut illa præcedat hoc ſequatur, eſſe debet, non violantes; ſi prius, vel erramus & peccamus, dum nempe affirmamus ea quæ ſunt neganda & contra, & proſequimur ea quæ ſunt fugienda & contra, vel caſu tantùm incidimus in verum aut bonum, adeoque nec verum ſcire, nec bonum appetere ſumus dicendi.

IV. Communis ergò Regula eſſe debet omnis Certitudinis humanæ,

Digitized by Google

næ, *ut nihil admittamus tanquam verum, niſi quod clare & diſtinctè cognovimus, & percepimus verum,* quâ obſervatâ ab erroribus nobis cavebimus; *& ut omne quod clare & diſtincte percepimus, verum eſſe judicemus*, qua ratione veritatem aſſequemur. Atque hanc regulam nemo ſanus in dubium revocare poteſt, niſi eo ipſo omnem certam cognitionem & ſcientiam è rebus humanis velit ſublatam, atque ad ſcepticiſmum palàm defectionem paret.

V. Neque iſti Regulæ obſtat, quòd *fide multa ſint admittenda, quæ clare & diſtincte non fuerunt percepta*: eſt enim per ſe manifeſtum, illam ſpectare cognitionem naturalem, quam homo per naturam acquirere poteſt. At in Fide loco iſtius claræ & diſtinctæ perceptionis rei credendæ eſt revelatio divina, cui fides innititur, cùm ſit aſſenſus & judicium, quo aliquid affirmatur vel negatur propter teſtimonium divinum. In quo tamen ipſo clarâ & diſtinctâ opus eſt perceptione, in tantum, ut nihil divjnâ fide admittamus, niſi de quo conſtiterit, illud à Deo credendum eſſe propoſitum, quodque Deum teſtatum eſſe clarè & diſtinctè cognoverimus.

VI. His facultatibus dum rectè homo utitur, innoteſcunt ei, Primò, *Notiones quædam communes,* quæ ſunt tam claræ ex ſe ipſis, ut earum cognitio poſſit ſine meditatione acquiri, quales ſunt: Totum eſt majus ſuâ parte. Impoſſibile idem ſimul eſſe & non eſſe &c.

VII. Deinde, per eaſdem addiſcimus omne id, quod experientia ſenſuum docet, qualia ſunt 1. nos habere corpus arctiſſimè nobis junctum & quaſi permixtum, ut unum quid noſtra anima cum illo componat.

VIII. 2. Varia corpora circa nos exiſtere, quæ nos commodis vel incommodis afficere poſſunt, eaque pro re natâ vel proſequenda vel fugienda, talia ſunt: Ignem urere, aquam madefacere; cultrum ſcindere, gravia decidentia contundere &c.

IX. 3. Sic variæ qualitates ſenſibiles, quales calor & frigus, humiditas & ſiccitas, varii ſapores, odores grati & ingrati, ſoni acuti & obtuſi, lumen & colores varii &c. ita percipiuntur, ut inde concludere poſſis, aliquas eſſe in corporibus, à quibus variæ iſtæ ſenſuum perceptiones adveniunt, varietates iis ſuo modo reſpondentes, quæ etiam per iſtam ad ſenſuum perceptionem relationem diſtinguuntur, ut hinc corpora lucida, calida, colorata, ſonora &c. denominentur.

X, 4. Extendit etiam ſe iſta per ſenſus cognitio ad varias corporum magnitudines, varias figuras, varium ſitum, motum & quietem rectè diſtinguenda,

ſtinguenda, ut & ad perceptionem ſubſtantiarum quarundam extenſarum, quibus hæc omnia inſint, quæ etiam per hæc à ſe invicem diſtinguantur, unde & oritur, ut quilibet communem his naturam animo abſtrahere & contemplari poſſit.

XI. 5. Notamus inſuper ſenſuum imprimis viſus adminiculo varias corporum actiones, vel unius in aliud, ut cum ignis comburit corpora, & reſolvit in cineres, aqua fervida carnes coquit, ſecuris ſignum ſecat: vel alterius cujuſvis Corporis in noſtrum inſignem inducentis mutationem, quemadmodum in medicamentorum uſu experimur.

XII. Dum autem ita per ſenſus non paucarum rerum cognitionem homo acquirit, impreſſæ imagines à memoriâ conſervantur, quæ Phantaſia poſtea contemplatur; atque ita licet menti hæc ſenſuum Objecta inter ſe conferre, ut inde agnoſcatur, ſæpiùs unum eſſe alterius antecedens vel conſequens, cauſam vel effectum, unde unius notitiâ alterius cognitionem inſigniter promoveri percipimus. Sic elevationem vaporum cauſam pluviæ cognoſcimus, auroram antecedens eſſe ortus ſolis, & ſimilia.

XIII. Sed & hæc cognitio efficit, ut quia ex communi inſtituto & conſuetudine res una alteram ſignificat ac notam facit, per præſentiam unius non tantùm provehamur ad recordationem alterius, ſicut ex vocibus & ſermone, picturis & variis characterum generibus, geſtibus item & ſcripturâ apparet; ſed etiam propter ſimilitudinem variam aliarum rerum cognitionem conſequamur.

XIV. Ex his ita per ſenſum notatis, Memoriæ mandatis, & interveniente Phantaſiâ inter ſe invicem collatis per Diſcurſum plurima alia fuere inventa, quæ Anatomiæ, Arti Medendi, Mechanicis variis artificiis, Geographiæ ipſi ſpeciali & aliis ortum dederunt.

XV. Atque hæc eſt notitia *Communis*, omnibus hominibus communibus adminiculis acquirenda conceſſa, in quâ tamen etiam alii aliis ulterius progrediuntur, quæ, collata *cum cognitione Philoſophicâ* rerum naturalium, deprehenditur imprimis in his duobus ab eâ ſuperari, nimirum, 1. quòd obſcuræ admodùm ſint & confuſæ qualitatum ſenſibilium perceptiones. Quamvis enim quilibet minùs attendendo ſibi facilè perſuadeat, ſe clariſſimè videre lucem, colorem &c. percipere calorem, frigus &c. verè etiam unum ab altero per ſenſus ritè diſpoſitos diſtinguat, ſi tamen quidnam ſit examinet, quod iſte calor vel color repræſentat, omninò fatebitur, ſe id ignorare, præſertim ſi conferat cum magnitudinis, figuræ, ſitus, motus, quietis longe evidentiori cognitione. Quòd

ſi verò

ſi verò per ſenſus earum qualitatum natura perciperetur, nonne quo ſenſus firmiores, tanto etiam evidentior earum cognitio eſſe deberet, & quandoquidem, ſecundùm vulgatum verſiculum

Nos aper auditu præcellit, aranea tactu,
Vultur odoratu, lynx viſu, ſimia guſtu,

nonne etiam beſtias iſtas clariorem habere harum qualitatum cognitionem erit cenſendum?

XVI. 2. Quod pauca ſint comparate ad Philoſophicam cognitionem, quæ hoc modo percipiuntur. Nulla enim ſubſtantiæ intima natura per hanc notitiam nobis innoteſcit; unde non tantùm vulgus, ſed etiam philoſophi multi, qui aliis non utuntur cognitionis ſubſidiis, fateri coguntur, ſe cum vulpeculâ Æſopi vas vitreum lambere, pultem non attingere, cum omnium rerum formæ ſubſtantiales, exceptâ ſolâ animâ rationali, ignotæ illis dicantur. Multa etiam corpora ſuâ ſubtilitate & exiguitate ſenſus noſtros plane effugiunt, ut vel ex acari membris ſubtiliſſimis, item ex ſpirituum quorundam Chymicorum ſubtilitate vaſa vitrea penetrantium &c: patet. Ut non dicam de hujus adminiculi tenuitate circa ea, quæ pluribus ſenſibus uſurpare non poſſumus, præſertim, quæ à nobis valde ſunt remota, circa quæ nonniſi pauca & valde generalia ſenſus nos docent.

XVII. Verùm enim vero, quoniam facultatibus à Deo conceſſis homo non raro abutitur, judicium ultra perceptionem extendens, & ſic ordinem ab ipſo Deo conſtitutum infringens; fit, ut in iſtâ cognitione multa *Præjudicia*, nec pauci errores reperiantur, quibus veritas, quæ per notitiam communem & vulgarem retegitur, eſt involuta. Horum hic exempla plurima afferri poſſent, niſi id jam ab aliis, nominatim à Clariſs. Dn. Claubergio in fine Defenſ. Carteſ. ſequente præeuntem Carteſium, eſſet factum, attamen in gratiam Lectorum quædam hic attingemus. Ortum ea communem debent non tam ipſis ſenſibus, ut ſunt à Deo dati, quàm quod ultra eorum perceptionem ſeſe judicium in primâ infantiâ extendit, plus judicat rebusque adſcribit, quàm unquam in iis percepit, quibus præjudiciis tam firmiter adhæret impoſterum, ut ea, ne examinari quidem libenter patiatur, quemadmodum exemplum hujus rei manifeſtum in adverſariis exiſtit.

XVIII. Et cùm viſus omnium ſenſuum ſit communiſſimus, & quàm latiſſimè ſe extendat, fit etiam, ut Præjudiciorum ſegetem ampliorem præbeat reliquis. Hoc modo decepti ab ineunte ætate exiſtimamus, terram eſſe planam, quod ob magnitudinem ejus gibboſitas obtutu oculi

Digitized by Google

cognoſci non poſſit; & contra plana ejus figura oculis inſinuare ſe apertè videatur, qui error non potuit corrigi citiùs in vulgo, quam navigationes circa totum orbem terrarum & hiſtoriæ fide dignæ aliter homines edocuiſſent. Quo Præjudicio non minus eſt ſuâ naturâ, quod ab infantiâ judicemus, Cœlum Terræ incumbere, ubi oculorum noſtrorum acumen ſiſtitur, quamvis faciliùs deponatur, quod cuivis per experimenta contraria illum errorem liceat emendare. Tale eſt, quòd cuilibet è vulgo perſuaſum, Lunam poſt Solem reliqaas ſtellas & luce & magnitudine in tantum ſuperare, quantum nobis apparet, quod & firmiter retinetur à multis, qui nomen Eruditorum ſibi vendicant, ſed ab Aſtronomiæ ſtudiis alieni exiſtunt. Sic exiſtimamus, ex viſus indicio, Solem ſuâ luce & magnitudine tantum ſuperare ſtellas, quantum nobis apparet; cum tamen ſola nimia ſtellarum remotio cauſa iſtius diverſæ apparentiæ eſſe poſſit: ipſas etiam ſtellas fixas tantoperè inter ſe differre magnitudine, ut aliæ ſint primæ, ſecundæ, tertiæ &c. magnitudinis, cum diverſæ earum diſtantiæ à nobis ſine variatione magnitudinis hoc phænomenon tanquam cauſæ adſcribi poſſit. Eſſe enim omnes in unicâ ſphæricâ ſuperficie creditum quidem fuit vulgo, ſed hactenus à nemine demonſtratum, imò contrarium ejus facile evinci poſſet: ut nunc de aliis non dicam. Qui vero omnia Præjudicia ſenſuum pro nugis habent ea agnoſcere nolentes, ſatis oſtendunt, quantis ipſi adhuc ſint Præjudiciis obruti.

XIX. His obſervatis apparet, umbratilem eſſe Objectionem B. p. 27. *ſenſus nimirum non fallere in naturali ſuâ diſpoſitione conſtitutos, ſed judicium Intellectus errare poſſe, & ſæpiſsime errare circa ea quæ à ſenſibus percipiuntur. Senſus à Deo optimo & perfectiſsimo Creatore, cujus opera omnia valde ſint bona, Gen. I. 31. nobis eſſe increatos, ut eorum adminiculo ad cognitionem rerum, quæ extra nos ſunt, perveniremus, & aptos eſſe creatos ad attingendum eum finem in quem nobis ſunt inditi, qui ſit Objecta externa taliter ſenſui Communi & per eum Intellectui deferre, qualiter ſeſe exhibent, & in eo nec errare, nec decipere &c. Vaniſsima ergo eſſe quæ de errore ſenſuum circa propria Objecta docet Philoſophia Carteſiana.* Nam 1. nec Philoſophia Carteſiana docet, ſenſus oppoſite ad Intellectum nos fallere, cùm ſic non aliter, quàm ut motus quidam corporei poſſint ſpectari, excitati à corporibus extra nos poſitis. 2. Ne quidem in illis ideis, quatenus à ſenſibus oblatæ ſolo intellectu percipiuntur, ulla eſt falſitas, ſi nullum judicium intercedat, ſed in eo eſt error, quando judicium ſeſe ultra perceptionem extendit, & de illis Ideis, quas per ſenſus accepit, plus judicat

quam

quam in iis percepit. Vide Carteſ. Medit. quartam & ſextam. 3. per Intellectum eſt cognoſcendum, an ſenſus ſint in ſuâ naturali diſpoſitione conſtituti, ut appareat, quid in Ideis per ſenſus oblatis reverâ percipiamus. 4. ſi ſenſus propterea non ſunt fallaces, quia à Deo Opt. Max. nobis ſunt increati, Ergo nec judicium, quod dicit, Intellectus, propter eandem rationem; itaque diſtinguendum ipſum judicium, in quo nullus error, ab abuſu ejuſdem, qui cauſa erroris exiſtit.

XX. Sic dicta Notitia Communis diſtinguitur à Notitiâ Accuratâ, quæ iſtius imbecillitates tollit & errores emendat. Hæc Notitia Communis appellatur à Salomonem Eccl. III. 18. דברת בני האדם juxta quam dixit ſe cogitâſſe olim : אמרתי אני בלבי על דברת האדם *Dixi ego in animo meo juxta rationem filiorum hominum*, h.e. juxta ductum, quem homines in cogitando ſequi ſolent ex ſenſibus & iis, quæ extrinſecus apparent, judicantes. Quamdiu talia cogitent homines oſtendit in ſeqq. לברם האלהים ולראות שהם בהמה להם *donec diſcernat eos Deus & videre faciat, quod illi ſint beſtia ſibi ipſis*, h.e. donec Deus lumine Sp. Sancti eos illuſtret iiſque demonſtret, quod dum hanc ſequuntur viam ratiocinandi, in his rebus externis ut ἄλογα ζῶα corrumpantur. Hîc ergo Notitiam iſtam Communem emendat notitia illa, quam Sp. Sanctus per verbum divinum hominibus ſuggerit; quòd circa ea, quæ ſpectant ad ſtatum futuræ vitæ Ratio & Notitia Philoſophica homini non multum ſuppeditare poſſit, quod facat ad Notitiæ iſtius Communis emendationē. Quid jam Salomon juxta iſtam notitiam communem judicaverit oſtendit verſ. 19. & ſeqq. quòd idem eventus ſit homini & beſtiæ, quod æquè moriatur homo ac beſtia, quod unus Spiritus ſit omnibus illis, quod excellentia hominis præ beſtia nulla deprehendatur, quia omnes ſint vanitas &c. Hæc notitia emendatur à Sp. Sancto juxta dicta, quo referri poteſt Eccl. XII. 7. ubi docetur, *pulverem redire in terram, ſicut ille fuit, ſed ſpiritum redire ad Deum, qui dedit eum.* In cæteris, quæ captum Rationis non ſuperant, emendat Ratio & ſupplet ea, quæ Notitia communis vel non attingit, vel perperam collegit, & Præjudiciis imprimis ſenſuum remedium affert.

XXI. De cætero cum Præjudicia hominibus adſint, antequam ſermone uti poſſint, hinc factum eſt, ut ſermo ordinarius ſuper iis fuerit fundatus, qui etiam poſt Præjudicia depoſita debuit retineri, ut homines ſe mutuò intelligerent; unde Aſtronomi etiam poſt detectos errores phraſes conſuetas uſurparunt, ut apparet, quando ſolem oriri dicunt & occidere, Lunam varias ſubire phraſes, nunc corniculatam, nunc plenam,

Digitized by Google

nam, nunc ſemiplenam eſſe. Hinc eſt *locus aſtri verus*, qui etiam vocatur apparens, *Eclipſis Solis*, quæ Soli tamen non convenit, ſed potius viſui noſtro. Inde orta eſt formula loquendi apud Ptolemaicos, ut Cœlum dicatur moveri ab Oriente in Occidentem, quod non niſi reſpectu noſtri Horizontis eſt intelligendum: nam ab alterâ parte movetur ab Occidente in Orientem. Videatur Clavius in ſphær. de ſacro Boſco p. 40. Manifeſtum itidem talis locutionis exemplum, quando apud Aſtronomos dicitur, *ſtellas fixas ingredi ſolis radios*, item *ex iis emergere*, cum tamen nec ſecundum Copernicum, neque ſecundum Ptolomæum, id Stellarum, ſed vel Terræ, vel Solis motui convenit. Videſis Kepl. Epit. Aſtron. Copern. lib. 6. parte 1. ab init. Atque is ſermo ſuper præjudiciis fundatus non tantum eſt proprius, ſed etiam ſæpe Metaphoricus, ita ut Metaphoræ ratio ab aliquo Præjudicio ſit deſumta, à Poëtis imprimis frequentatus. Eæ autem locutiones à nemine reprehenduntur, nec Aſtronomi mendacii & deceptionis propter eas accuſantur (ſicut antagoniſtæ ſcripturam accuſandam putant, ſi eodem modo phraſes conſuetas uſurparet.) Imo tota Aſtronomia cum in Phænomenis, hoc eſt, apparentiis explicandis verſetur, etiam phraſes apparentiis convenientes debuit retinere.

XXII. Atque hic eſt craſſus ſtylus, hoc eſt loqui παχυλῶς & ἐξωτερικῶς, quando uſurpas phraſes, quæ quidem veritatem aliquam, ſed ad nos relatam & generalem, confuſè etiam perceptam & præjudiciis involutam, ſignificant. Hic autem uſus ſermonis in multis præjudicia confirmat, qui ſuos conceptus verbis alligantes, poſthac non niſi ad ea Præjudicia attendere ſolent, dum phraſibus vulgatis utuntur; unde etiam per totam ætatem ea non deponunt. Nec enim eſt, quod Præjudiciorum depoſitionem facilem cum Adverſariis putemus; vel ipſum illud Præjudicium de Cœli extremitatibus, quamvis inter populos cultiores ſit depoſitum ab hominibus adultæ ætatis, qui vel propria experientiâ contrarium didicerunt, vel ex aliorum converſatione, tamen apud populos incultiores, infantes, ſimpliciores, quibus fortè nec propria experientia, nec cum aliis converſatio illud ademit, manet.

XXIII. Cum ergò hæc Præjudicia ſint firmiter radicata, ut homines ab ineunte ætate putent, ſe â naturâ de iis edoctos, adeoque quicquid iis repugnat, niſi certo ordine & Methodo clarè fuerit demonſtratum, pro commento ſoleant habere; etiam ſcriptura loquens de rebus naturalibus cenſenda eſt retinuiſſe ſermonem receptum, ne difficultatem non neceſſariam objiceret idiotis. Pone enim, ſolicitè caviſſe ſcriptores ſacros, ut

ubi

Digitized by Google

ubi formula uſitata alicui Præjudicio inniteretur, eam mutarent in accuratam, quæ nudam veritatem exprimeret, annon inde magna confuſio fuiſſet exorta, multumque de intelligentiâ & perſpicuitate ſacrarum literarum periiſſet; ad cujus mentem percipiendam opus fuiſſet accuratâ rerum iſtarum cognitione, quæ per formulam accuratam fuerint expreſſæ?

XXIV. Propter iſta Præjudicia & errores fit, ut Philoſophica rerum cognitio non tantùm in eo vulgarem ſuperet, quod multa, quæ per communem cognoſci nequeunt, detegat, quæ obſcure & confuſe tantum fuerunt percepta, clare & diſtincte explicet, prout ſuprà dictum; ſed etiam, quod iſta Præjudicia & errores tollit & emendat veritate retecta. Hæc cognitionem rerum naturalium deducit à primis earum Principiis & Cauſis, iiſque tam claris & evidentibus, ut ingenium humanum non poſſit dubitare de eorum veritate, quando ſe cum attentione ad illa conſideranda applicat. Atque eam deductionem ſic inſtituit, ut nihil ſit in totâ iſtius deductionis conſequentia, quod non ſit valde manifeſtum. Sic aperiuntur interiora rerum naturalium, earumque abditæ eruuntur cauſæ, ſic cognoſcuntur minutiſſimarũ partium ſtructuræ, nexus, intervalla, latenteſque motus notantur; ſic earum veræ formæ & intima conſtitutio declarantur, totumque naturæ artificium retegitur. Per Cognitionem Philoſophicam rationes formales & cauſæ qualitatum ſenſibilium, vulgò confuſe cognitarum, explicantur, & quomodo tam diverſas in ſenſu affectiones excitent, diſtincte oſtenditur. Hæc in effectuum cauſis reddendis, non in generali & confuſa cauſæ redditione conſiſtit, cum vulgo dicens, hanc eſſe rerum naturam, taleſque iis inditas potentias, ut opera quæ præſtari videmus præſtent, ſed harum ipſarum potentiarum & hujus talis naturæ cauſas inveſtigat. Et quoniam omnia à primis principiis manifeſtâ deductionis conſequentiâ derivat, nihil admittens, niſi quod vel per ſe ſit clarè & diſtinctè perceptum, vel ex claris notionibus per apertam & perſpicuam Conſequentiam deductum, Præjudicia Infantiæ & ſenſuum errores vulgari notitiâ hauſtos ſponte ſua cadere oportet.

Digitized by Google

CAPUT II.

Cognitionem accuratam & Philoſophicam rerum naturalium ex ſacris literis hauriri non poſſe hic conſtituitur in ſequentibus demonſtrandum.

XXV. Ex dictis apparet, quid obſervandum, quibuſque principiis innitendum ei, qui accuratam & philoſophicam rerum naturalium cognitionem acquirere cupit, oportere nempe, ut à principiis lumine naturali evidenter cognitis, manifeſta conſequentia quævis particularia deducantur, eorumque cauſæ diſtincte & clare explicentur. Hæcque ſi conferat Lector cum iis quæ M. c. i. de Principiis cognitionis humanæ diſſerit ſufficientem iis paratam refutationem videbit: neque enim tanti ſunt, ut particularem mereantur reſponſionem.

XXVI. Hoc tantum ad M. p. 4. & 5. annotamus, 1. Rectam rationem conſiſtere in omnium hominum mentibus originaliter, ſed non ab omnibus rectè adhiberi. Quòd ſi enim cò uſque ſit corrupta ratio, ut nullus niſi regenitus ea rectè poſſit uti in naturalibus & civilibus, nonne hoc modo omnem certitudinem è rebus humanis ibis ſublatum? 2. Lumen Rationis & ſcripturæ eſſe diverſa lumina formaliter, cuivis per ſe eſſe notum, etiamſi in eo conveniant, quod utrumque à Patre Luminum veritatem docente ſit derivatum.

XXVII. Ex eodem præcedente capite manifeſtum evadit, quid de ſcriptura ſacra cenſeamus ratione ſcientiæ & cognitionis Philoſophicæ, nimirum, 1. *cognitionem Philoſophicam rerum naturalium non poſſe ex ſacris literis hauriri*. 2. *ex ſcripturâ non debere nec poſſe ſyſtemata Phyſica concinnari.* Utrumque ſtatuimus contra eos, qui nobis Phyſicas Moſaicas, ſacras, Chriſtianas &c. voluerunt procudere, quales Caſmannus, Valeſius, Danæus & alii, ita tamen, ut argumenta noſtra ad primum directe inferendum inſtituamus, cum poſterius ex priori aſſerto tanquam corollarium ſponte fluat. Fruſtra ergo quærit M. p. 222. contra quem diſputem, cum hoc ſatis & ex hac & priori editione fuerit manifeſtum.

XXVIII. Huic ſententiæ meæ videntur conſonare ea verba (H. p. 259.) *Dixerunt multi, dicó & ego, ſcripturam poſſe hominem in Phyſicis reddere materialiter, confuſe & certo modo ſcientem atque in particulari doctum, & p. 261. ſcripturam non loqui, quomodo Philoſophus debeat loqui, explicare, philoſophari formaliter*, quæ tamen poſtea p. 262. his verbis evertuntur,

Accu-

Digitized by Google

Accurate & philoſophice loqui eſt rem ſecundum formalem eſſentiam & nativam ſuam ſignificationem proponere & conſiderare, hoc eſt, ſicuti in ſe & ſua eſt natura, idque facere Sp. S. non in paucis. Non enim hæc inter ſe invicem conciliare poſſum: *ſcripturam non loqui, quomodo Philoſophus debet loqui, explicare, philoſophari formaliter*, & tamen *rem ſecundum formalem ſuam eſſentiam &c. proponere.* Saltem planè mecum conſenſit Cl. Coccejus in Gen. I. p. 83. *Neque Dei propoſitum fuit, neque eſſe debuit rerum eſſentias explicare.*

XXIX. Quod autem dicitur (H. p. 259.) *Neminem dixiſſe, ſcripturam poſſe hominem reddere in Phyſicis diſtincte & formaliter eruditum*, id falſum comperitur, ſi quis ſyſtemata illa Phyſica Danæi, Valleſii &c. inſpiciat, quæ oſtendunt, mentem iſtorum auctorum directè oppoſitam fuiſſe meæ ſententiæ prout patet ex ſtatu Controverſiæ, quem ſuprà conſtitui; falſum etiam oſtenditur per verba antea ex p. 262. citata.

XXX. Quod ſi vero forte per *τὸ Philoſophari formaliter* intelligas cum ordinem & modum obſervare, quem Philoſophi in ſyſtematibus vulgaribus obſervant per Definitiones & Theoremata, facile concedo neminem dicere, ſcripturam ita philoſophari; neque verò ratio ita Philoſophandum docet; ſed & tibi concedendum, me hoc nomine nemini ullam litem moviſſe. Manet ergo ſtatus Controverſiæ, *An Cognitio Philoſophica,* prout explicata cap. præced. *poſſit ex ſacris literis hauriri, & an ex ſcriptura poſſint debeantve ſyſtemata Phyſica concinnari?* ubi ego negativam teneo & defendo.

XXXI. Quamvis autem negem, ſcripturam debere haberi pro Principio Cognitionis Philoſophicæ, nihil tamen ejus Auctoritati vel Infallibilitati etiam in rebus Philoſophicis detraho. Nam pro certo & indubitato teneo, & à quovis Chriſtiano tenendum cenſeo: *Omne illud quod ſcriptura teſtatur & docet; de quacunque re id fuerit, etiamſi illud ratione noſtra aſſequi non valeamus, imo etiamſi illud pugnare videatur cum ratione, pro certo & indubitato eſſe habendum, idque propter ejus Auctoritatem divinam; quæ ei fidem divinam & infallibilem conciliat.*

XXXII. Verùm ſciendum, illud omne, quod ita ſuſcipitur propter auctoritatem divinam, non ſcientifice & philoſophice cognoſci, ſed Fide Divinâ definita cap. præc. art. 5. quod non tantùm intelligendum de ipſis illis, quæ αὐτολεξεὶ in ſacris literis habentur, ſed etiam de iis, quæ exinde per manifeſtam & certam conſequentiam eliciuntur. Omnis enim concluſio à Principio ſuo, ex quo deducitur, naturam & nomen ſuum mutuatur.

 XXXIII. Quic-

Digitized by Google

XXXIII. Quicquid autem ſit, quod ſcriptura de rebus naturalibus docet & teſtatur; aliam quàm cognitionem vulgarem & Communem in nobis ex eâ formari poſſe, nego, quod ex ſequentibus evadet manifeſtum.

CAPUT III.

Argumentum pro eâ ſententiâ proponitur primum à formulis loquendi Scripturæ uſitatis, & ſecundum à Scripturæ finibus.

XXXIV. Argumentum primum pro noſtra ſententia à formulis loquendi, quibus ſcriptura utitur, hoc modo formamus: Si Scriptura loquens de rebus naturalibus promiſcuè utitur formulis receptis, ſive eæ veritatem nudam exprimant, ſive talem, quæ ad hominum ſenſus ſit relata & præjudiciis atque erroribus involuta: E. non poteſt cognitio Philoſophica rerum naturalium ex Scripturâ peti: ſed verum eſt prius: E. Maj. manifeſta fiet ei qui Cap. I. attente conſideraverit. Min. probamus Cap. 21. & ſeq.

XXXV. Secundum Argumentum pro noſtra ſententia petimus à Fine ſcripturæ. Hoc argumento utitur Cl. Coccejus in Gen. I. ubi §. 17. ſic loquitur: *Qui ſcopum Scripturæ novimus eſſe eum ut credamus Deo, quippe in quo habeamus juſtitiam & vitam; quæ Scriptura non tantùm pro Sapientibus, ſed etiam pro inſipientibus facta eſt; neque Dei propoſitum ſit, neque eſſe debuerit, rerum eſſentias nobis explicare: ſatis habemus, quod noſcimus, Deum initio feciſſe diſcrimen inter diem & noctem, quanquam dies eſſet ſine ſole & nox ſine lunâ & ſideribus: quanquam etiam nullus eſſet adhuc oculus, qui luce illuminari poſſet.* Fines ſcripturæ in ipſa ſcriptura nobis recenſentur 2 Tim. III. 16, 17. *Tota ſcriptura divinitus eſt inſpirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad Diſciplinam in juſtitia: ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum perfecte inſtructus.* Deut. VI. 1, 2. *Hoc eſt præceptum, ſtatuta, judiciaque illa, quæ præcepit Jehova Deus veſter, ut doceam vos, ut exerceatis ea in terra: ut timeas Jehovam Deum tuum, obſervando omnia ſtatuta ejus & præcepta ejus, quæ ego præcipio tibi.* Rom. XV. 4. *Quæ ante ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ante ſcripta ſunt, ut per tolerantiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.* Joh. XX. 31. *Hæc autem ſcripta ſunt ut credatis, Jeſum eſſe Chriſtum illum filium Dei, & ut credentes vitam habeatis per nomen ejus.* Omnes autem Fines ſcripturæ ſecundum ductum loci 2 Tim. III. referri poſſunt ad hos quatuor, ad doctrinam, ad redargutionem,

Digitized by Google

gutionem, ad correctionem, ad diſciplinam in Juſtitia. Utilis autem eſt ſcriptura *ad doctrinam* non quamvis, ſed, explicantibus Belgis, quæ eſt de capitibus Chriſtianæ religionis, *ad redargutionem* errorum in fide, *ad correctionem* vitæ & morum pravorum, *ad diſciplinam* in juſtitia, oſtendendo, quid juſtum & injuſtum, honeſtum & turpe ſit. Nullibi autem invenimus finem Scripturæ eſſe inſtructionem in cognitione Philoſophiæ naturalis. Neque etiam Theologi quando fines ſcripturæ recenſent, unquam inter eos referunt cognitionem & ſapientiam philoſophicam. Cum autem finis mediis præſcribat ordinem & menſuram, æquum eſt, ut hæc illi ſint adæquata, non latiora nec anguſtiora. Ergò exiſtimandum eſt, à ſcriptura etiam non alia præſcribi media, quam quæ ad cognitionem ſalutarem ſint appropriata, & ſine quibus illa obtineri non poſſit. Verùm enim vero tantum abeſt, ut æſtimemus, ſine explicatione naturæ rerum ſcopum ſuum ſcripturam obtinere non poſſe, ut certum ſit, potius ſufficere παχυλῶ & craſſiorem rerum naturalium explicationem, qualis per ſenſus & experientiam haberi poteſt. Non malè Cl. Gauſſenius de util. Phil. ad Theologiam p. 31: *Quis enim eſt hodieque, qui cœlum inſtar metalli eſſe conflatum; tellurem baſi tanquam tibicine niti, ſibi tuendum ſumat, & ſexcenta ſunt alia hujuſmodi nota, quæ brevitatis cauſa prætermitto.* Et paulò poſt: *Quod Phyſica in ſcripturis tractantur, id ſit illuſtrationis cauſâ tantum, cum non quod maximè verum eſt, ſed quod maximè verum eſſe plebi videtur, auctores ſacri ediſſerant.* Sufficit, ſi Scriptura nos *ſapientes reddat ad Salutem* 2 Tim. III. 15. etſi non ſapientes in rebus Phyſicis: ſufficit, ſi per eam perfectus reddatur *homo Dei*, ſatagens rerum divinarum, etſi homo mundi vel Philoſophus inde parum de rebus naturalibus cognoſcat. Ex quibus tale conſtitui poterit argumentum: Quidquid non eſt neceſſarium, ut ſcripturâ omnes ſuos fines obtineat, illud non quærendum in ſcriptura: At Explicatio Philoſophica rerum naturalium non eſt ad id neceſſaria. E Min. probatur: Ad fines ſupra recenſitos non eſt neceſſaria, quoniam hi ſine illa poſſunt obtineri, neque alius quis indicatur finis ſcripturæ. Quod, ſi hic inter alios eſſet finis ſcripturæ, ut nobis enuclearet interiorem rerum naturalium eſſentiam, futurum eſſet, ut ſi non de omnibus rebus naturalibus in ſpecie ageret, ſaltem fundamenta talia jaceret & principia poneret, ex quibus opera artificum omnia erui poſſent, quod fieri nullibi videmus.

XXXVI. *Exc. 1. (R. St. p. 321.) Hoc argumentum præſupponit, vel de natura nihil agi in Scriptura, quod falſum eſt, vel quæ in ea de rebus naturalibus, non pertinere ad doctrinam &c. quod itidem falſum eſt, vide Pſal.*

VIII, XIX. CIV. Rom. I. & infinita alia loca quæ contrarium evincunt.

Reſp. 1. quo tendat hoc argumentum, liquet ſatis ex præcedentibus, eò nimirum, ut ex mediorum ad Finem proportione manifeſtum fiat, non quærendam in ſcriptura rerum Phyſicarum naturam accurate explicatam, ſed ei, cui curæ ſint hæc ſacra, aliis principiis innitendum. Non autem negamus de natura vel rebus naturalibus agi in ſcriptura, & ſic pertinere ad doctrinam, dummodo nobis concedatur, id fieri tantum incidenter, indirecte & propter aliud, non ex inſtituto & propter ſe, παχυλῶς non ἀκριβῶς, ut concernat cognitionem vulgarem & communem, non accuratam & Philoſophicam. 2. quando ſcriptura inter alios finem ſuum eſſe *doctrinam* docet, intelligit utique doctrinam non quamvis, ſed ſalutarem, ſed illam quæ eſt de articulis fidei, uti ſuperius ex Belgis interpretibus didicimus; unde bene inferimus, cum nullius alterius finis mentio fiat, quàm iſtorum quatuor, de quibus 2 Tim. III. ejus ergo finem non eſſe doctrinam Phyſicam; quamvis autem faciles largiamur cognitionem rerum naturalium eatenus ad doctrinam ſalutarem prodeſſe, quatenus ex iis cognoſcuntur Exiſtentia Dei, Sapientia, Potentia, Bonitas &c. ad id tamen ſufficit cognitio qualiſcunque, qualem etiam vulgus obtinet, cum liber naturæ pateat plebejis juxtà ac eruditis, quamvis fatear multo uberiora exempla cognoſcendæ divinæ Potentiæ, Sapientiæ & Bonitatis &c. reperiri in rerum natura ab iis, qui per lumen naturæ eam habent accuratius cognitam, quàm ab illis, qui ultra vulgarem cognitionem non aſcenderunt. Hic autem commodum notanda verba Riveti in Iſagoge ad Scripturam Sacram p. 49. *Dum ſcriptura verſatur circa ea præcipue, quæ gratiam & gloriam æternam ſpectant, cognitionem omnem Philoſophicam ſibi ipſa ſubſternit, eque rerum naturis tantum ſumit, quantum opus eſt ad fabricandum ſpeculum, per quod divina oculis noſtris quadantenus repræſentantur.*

XXXVII. Inſt. 1. (M. p. 224.) *Dato, non conceſſo, hunc non eſſe finem ſcripturæ, nihilominus iſta, de quibus Sp. S. incidenter agit, multo ſunt certiora, quàm omnes veſtræ demonſtrationes, adeoque Phyſica ex illis multo certior conſtruitur, quàm ex omnibus demonſtrationibus veſtris.*

Reſp. illa quæ in ſcripturis de rebus naturalibus dicuntur, docenturque, ſunt certiſſima, ſed cum tantum pertineant ad notitiam communem, non poteſt ex illis Phyſica conſtitui ſecundum antea dicta.

XXXVIII. Inſt. 2. (M. p. 225.) *Inter fines ſcripturæ non comparent quoque hiſtorica & Chronologica, quis hinc concludet, Hiſtoriam quoque & Chronologiam non poſſe conſtrui ex ſcripturâ?*

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Ea tamen neceſſaria ſunt ad finem aliquem ſcripturæ, nempe ad cognitionem Chriſti nativitatis, vel ad cognitionem ſtatus Eccleſiæ Iudaicæ &c. Ergò ut *media* traduntur in ſacris literis; & ſic hiſtoriæ quoddam & Chronologiæ ſyſtema exinde poteſt conſtitui. 2. Res hiſtoricæ & Chronologicæ pertinent ad vulgarem notitiam tantùm & ad τὸ ὅτι, non ad τὸ διότι.

XXXIX. Inſt. 3. (M. p. 225.) *Omnia quæ in ſcripturis traduntur, ſive ſint naturalia ſive ſupernaturalia, pertinent eò ut credamus &c. Act. XXIV. 14. Ergò abſque ratione negatur rerum naturalium expoſitionem facere ad doctrinam.*

Reſp. Quæ traduntur in ſcripturis, eò facere ut credamus concedo; Verum ego hoc modo arguo, quod cum Accurata & Philoſophica rerum naturalium cognitio non ſit neceſſaria, ut ſcriptura omnes ſuos fines obtineat, ſed ſufficiat Vulgaris, non cenſendum ſit illam in ſacris literis reperiri.

XL. Inſt. 4. (M. p. 225.) *Si ſcriptura finis non ſit tradere res naturales,* (intellige Philoſophice) *ſequetur, cum certum ſit vel ex ipſa Adverſariorum Confeſſione: eam ſaltem agere de aliquibus rebus naturalibus, ut Eccleſiaſt. 1. de fluminum ortu, ſequetur, inquàm, Sp. S. agere hoc abſque fine, adeoque temere & irrationabiliter.*

Reſp. quod tradit Sp. S. de rebus naturalibus, illud eo ipſo quo tradit facit ad finem ipſius; ſed nego, quod id notitiam communem excedat, qualis vulgaribus cognoſcendi mediis haberi poteſt. 2. etſi igitur concedatur, ſcripturam docere quædam de rebus naturalibus eo modo quo explicatum eſt, tamen non ſequitur, quod illa doctrina ſit ſcripturæ finis, ſed ad ſummum erit medium, cùm non propter ſe, ſed propter alia expetatur.

XLI. Inſt. 5. (M. p. 226.) *Quò ego tendam hoc meo argumento apertum quidem; ſed quo ipſum meum argumentum tendat, id neceſſe habuiſſe mihi monſtrari.*

Reſp. At oſtendi, non eò tendere argumentum, ut exin colligi poſſit, vel in eo *præſupponendum, de natura nihil agi in ſcripturis,* vel quæ in ipſa de rebus naturalibus leguntur, nihil facere ad doctrinam: neutrum enim ex argumento ſequitur: ſed tantum non niſi cognitionem vulgarem rerum naturalium in ſacris literis tradi, quam ad doctrinam facere non nego; nec quærendam in iis cognitionem Philoſophicam.

XLII. Inſt. 6. (M. p. 227.) *ſi non negetis, ſcripturam agere de natura & rebus naturalibus, non negabitis quoque, ſcripturam id agere in hunc finem,*

ut

Digitized by Google

ut nos erudiamur de natura & rebus naturalibus, adeoque id agere ad doctrinam noſtram.

Reſponſio ad illud jam ſæpius eſt ſufficiens data.

XLIII. Inſt. 7. (M. p. 227.) *Id vobis libenter largiemur, ſcripturam aliquando de natura & rebus naturalibus agere παχυλῶς, dummodo vos nobis concedatis, ubicunque ſcriptura de rebus naturalibus agit, nunquam tamen aberrare à ſtricta rei veritate.*

Reſp. Id verò utraque manu largimur; *neque enim unquam* (Deum ſancte teſtor) *mihi venit in mentem*, quod unanimiter mihi adverſarii affingunt, *Sp. S. in ſacris literis cum vulgo errare.* At demonſtratum hic exiſtimo, non tantum ſcripturam aliquando παχυλῶς loqui, ſed in univerſum cognitionem Philoſophicam & accuratam rerum naturalium ex ſacris literis non poſſe hauriri. Eſſent verò & alia, quæ loco Inſtantiarum ex M. p. 228. ad 232. poſſent afferri: verùm Lectori & tempori parcendum cenſeo, cùm ea omnia ex dictis ſatis poſſint refutari. Si cui tamen tanti videantur, is reſponſionum loco hæc quatuor annotet. 1. Nos non negare cognitionem rerum naturalium facere ad doctrinam ſalutarem, ſed huic rei ſufficere exiſtimamus cognitionem communem. 2. Etiam agnoſcimus, ea quæ dicuntur & traduntur de rebus naturalibus facere ad doctrinam ſimpliciter, ſive, ut hactenus inſtituamur in rebus naturalibus, ut notitia communis confirmetur: in quo tamen non acquieſcit ſcriptura, ſed illam inſtitutionem ad aliquid aliud ordinat: unde inter fines ſcripturæ hæc cognitio referri nequit. 3. Concedimus, ex inſtituto hactenus agere ſcripturam de rebus naturalibus, quatenus dirigit illam doctrinam qualemcunque ad iſtum finem, nempe doctrinam ſalutarem; ſed non ex inſtituto agit, quatenus rerum naturalium Eſſentiam & conſtitutionem interiorem non explicat. 4. Ignorationem Elenchi eſſe vel calumniam, quando mihi tribuitur, *falſum eſſe aut exprimere* (ſive ſignificare) *vulgi opinionem erroneam, quod Spir. Sanctus in Scriptura tradit.*

XLIV. Inſt. 8. (H. p. 260.) *me tamen in reſponſione ſecunda concedere, finem Scripturæ ſecundarium eſſe reddere hominem Eruditum in Phyſicis.*

Reſp. Nequaquam hoc conceſſi: nam non is poteſt dici Eruditus in Phyſicis, qui notitiam habet vulgarem & communem rerum naturalium, ſed is, qui novit rerum cauſas interiores, formas & conſtitutionem, quod nemo ex ſcripturis poteſt diſcere.

XLV. Inſt.

Digitized by Google

XLV. Inſt. 9. (H. p. 262.) *Eccl 1. 7. explicat philoſophice & accurate, fluminum ortum, quem dicit ex mari eſſe, item cur mare non redundet, & ſuperfluat, cum tot & tam vaſta flumina in illud influant? hanc reddit rationem, quia ex eo aquæ ſeſe ſubducunt ut iterum influant. Ergò ſcriptura accurate & philoſophice aliquam rem naturalem explicat.*

Reſp. Hanc quidem veram eſſe explicationem ortus fluminum, ſed qualis per communem notitiam haberi poteſt, non philoſophicam, quæ proximas & interiores rei cauſas ſcrutatur (vide Claub. Defenſ. Carteſ. c. 31. de fontium origine & aquis) nam eo ipſo, quo (concedente H. ibid.) Eccleſiaſtes modum refluendi per canales & Terræ colationem non oſtendit, ſed nobis meditandum reliquit, cum hæc demum ſit philoſophica & accurata explicatio, largitur illud ipſum quod petebam.

XLVI. Inſt. 10. (H. p. 263.) *Sp. S. philoſophice res naturales diſtinguit, Ergo Philoſophice etiam agit & loquitur. prob. antec. quia Pſal. CXLVIII. 1. incipit ab excelſis cœlis, pergit v. 7. ad Elementorum ſyſtema, deſcendit poſtea ad corpora animata v. 10. deſinit in homine v. 11. &c.*

Reſp. Talis eſt illa diſtinctio, qualis per notitiam communem facile haberi poteſt, ut quis à cœlo ſupremo & iis quæ in eo ſunt, ordine, quem per ſenſus facilè cognoſcere poteſt, progrediatur ad terram & ea quæ ſuper eâ reperiuntur. Si autem Pſaltes Philoſophicam diſtinctionem ex mente Adverſarii obſervare voluiſſet, debuiſſent fortè præponi ſtellæ fixæ Soli & Lunæ, quia his ſunt ſuperiores. 2. debuiſſet meteora conjunctim tradere, cum tamen v. 4. agat de aquis quæ ſuprà in cœlo ſunt, quæ ſunt nubes; & poſtea, interpoſitis verſu 7. terreſtribus, iterum v. 8. de meteoris agat grandine & nive. Inſpiciatur totus ille Pſalmus, & apparebit, non tam ſollicitum & ſcrupuloſum fuiſſe in ordine, qualem fortè Philoſophus quis præſcribere vel ſequi voluiſſet, obſervando, ita ut hoc argumentum exigui admodum ſit momenti. Verum ille auctor videtur exiſtimaſſe, mihi rerum naturalium explicationem non philoſophicam & accuratam eandem eſſe cum falſa, quæ cum ſatis diſtinxerim ſæpius, cadunt reliqua omnia, quæ contra me, ex iis quæ habet p. 264. & 265. fortè dirigi poſſent: quæ ſi ita videatur, lector cum meis poterit conferre.

XLVII. Except. 2. (S. p. 405.) *Quamvis non diffitendum ſit, primarium ſcripturæ ſacræ ſcopum eſſe, ut nobis viam monſtret ad vitam æternam; hic tamen principalis finis non excludit alios minus principales. Cum enim hæc ipſa variis in locis res naturales, earumque ſeriam meditationem nobis proponat,*

ut objectivè nos excitent ad Deum laudandum, quis dubitare auſit, quin de his ipſis rebus veras aſſertiones proponat, quarum ſubſidio rerum naturalium cognitionem acquirere queamus. Item p. 406. *Vera explicatio rerum naturalium à Spiritu S. in ſcriptura propoſita nequaquam avertit fideles à primario ſcripturæ ſcopo, ſed illa eos ipſos convenienter ad eundem ſcopum dirigere poteſt.*

Reſp. 1. Nec primarium, nec ſecundarium ſcripturæ finem eſſe reddere hominem Eruditum in Phyſicis oſtenſum. 2. etſi ſcriptura per res naturales velit nos excitari ad Deum laudandum, tamen non propterea cognitio accurata rerum naturalium inter fines ſcripturæ reponenda eſt; & ad id ſufficit cognitio vulgaris, aut ſi quis velit plura argumenta habere Dei laudandi, illi accuratiorem rerum naturalium cognitionem è libro naturæ petere licebit. 3. non dicimus, quod ipſa vera explicatio rerum naturalium homines fideles avertat à primario ſcripturæ ſcopo per ſe & naturâ ſuâ, ſed tamen exiſtimamus, facilè fieri potuiſſe, ut rudiores turbarentur, ſi in ſcripturâ de rebus naturalibus tam ſubtilia reperiſſent captum ſuum excedentia, vel etiam ſenſuum præjudiciis contraria.

XLVIII. Exc. 3. Danæus part. 1. c. 33. *Nonne ab iiſdem iſtis Theologia & Ethica Philoſophiæ pars toto genere diſcernuntur? Et tamen quis eorum tam temerarius erit, qui Ethicem, eamque veriſſimam & univerſam Sacrâ Scripturâ tradi negare audeat? Ergò diſtincti artium & tractationum fines non obſtant, quò minus eadem Sacra Scriptura iiſdemque literis & Phyſica illa Univerſalis, & Theologia ſit comprehenſa, quia & ipſa Phyſica quodammodo Theologiæ pars eſt, illique ſubſervit.*

Reſp. 1. Ita quidem vulgò obtinet, ut Ethica diverſa tradatur à Theologiâ Practicâ, quod an rectè fiat non eſt hujus loci prolixius diſputare. Ameſius tamen lib. 2. Medullæ Theol. c. 2. ab illâ vulgatâ ſententiâ recedit, ſtatuens, non aliam debere dari virtutum diſciplinam, quam ipſam Theologiam. Nec ab ejus ſententia ratio abludit. Certum quippe eſt, non niſi gradibus differre virtutes morales ita dictas à virtutibus Chriſtianis: at gradus non mutat ſpeciem, uti fert vulgata ſententia. Et annon abſurdum, diſciplinarum diſtinctionem ex modo tradendi aliquid perfectè vel imperfectè eruere? quis unquam audivit, Phyſicam aliquam imperfectè explicatam eſſe aliam ſpecie diſciplinam à Phyſicâ perfectè explicatâ? quin ergò hic lux major exſtinguit minorem, gradus perfectior abſorbet imperfectiorem, & quemadmodum in vitâ æternâ Fides mutabitur in Viſionem; ita exortâ Euangelii luce, id quod imperfectum ex lacunis Ethnicorum de virtutibus moralibus eſt

hauſtum

Digitized by Google

hauſtum, per illud perfectum abſumitur, inque illud transmutatur. Ita que ſic Danæi exceptio ſponte ſuâ collabaſcit; unde & diverſitatis ratio apparet inter Phyſicam & Ethicam, quod ſcripturæ finis ſit mores noſtros ſecundum normam legis divinæ informare, unde moralia præcepta perfectiſſima tradit, non vero rerum naturalium eſſentiam enodare, uti oſtenſum. 2. qui vero volunt, diſtinctas eſſe Ethicam & Theologiam practicam diſciplinas, illi à diverſitate Principiorum limites iis ponunt, nimirum, ut Ethica tantùm tradat illas Regulas morum, quæ è reliquiis luminis naturalis poſſunt erui, ſed Theologia practica eas, quas divina revelatio præſcribit; Ergo ſecundum hanc ſententiam ſcriptura non traderet Ethicam, ſed Theologiam Practicam tantum, adeoque nec hâc ex parte allata Exceptio nobis oberit.

XLIX. Objicit (M. p. 232.) *ad me nihil facere hanc exceptionem, cum auctor ibi videatur agere ad hominem, ſive ex hypotheſi eorum, qui Ethicam & Theologiam diverſas eſſe diſciplinas admittebant &c.*

Reſp. Contra me omninò facit hæc exceptio, quoniam Major mei argumenti ſi in formâ proferatur, talis erat. Quicquid non eſt neceſſarium, ut ſcriptura omnes ſuos fines, quales recenſiti ſunt 1 Tim. III. obtineat, illud non eſt quærendum in ſacrâ ſcripturâ, cujus fundamentum in eo conſiſtit, quod diſtincti ſint artium fines, qui etiam faciunt, ut diſtincta media adhibeantur: quod omnino evertere Danæus conatur, dum dicit, diſtinctos artium fines non obſtare, quò minus eâdem Sacrâ Scripturâ iiſdemque literis & Phyſica illa Univerſalis & Theologia ſit comprehenſa, idque probat exemplo Theologiæ & Ethicæ, ad quæ ſic reſpondeo. 1. Ita quidem vulgò &c. Vid. art. XLVIII. adeoque nego Danæi Minorem. 2. nego etiam Majorem propoſitionem, ut ex dictis manifeſtum.

L. Except. 4. (B. Dial. p. 9. & 10.) *Apoſtolus ibi agit de rebus creditu & actu neceſſariis ad ſalutem, & de fundamentis fidei ſalvificæ; ad quæ ſacram Scripturam ſufficientiſsimam eſſe nemo orthodoxus negat; ſed non negat Apoſtolus, textum Biblicum habere uſum præter illa neceſſaria. Quid? annon habemus multa Hiſtorica, Chronologica, Phyſica, aliaque, quæ citra ſalutis diſpendium ignorari poſſunt: an ergò propterea poterunt illa floccifieri, vel argumenta inde deducta rejici? Verum Chriſtianum decet, teſtimonia ſacra in omni materiâ arripere, ut veriſsima, & doctrinam ſuam ad ea formare.*

Reſp. Apoſtolus ibi docet, hos eſſe Scripturæ fines non alios, ex quibus de mediis judicandum exiſtimo: Ergo non eſt, quod in ea quæramus rerum naturalium explicationem accuratam, quemadmodum ſuperiùs

Digitized by Google

rectè intulimus; Adverſario vero oſtendendum fuiſſet, vel Scripturæ finem eſſe accuratam rerum naturalium doctrinam, vel eam eſſe medium neceſſarium ad obtinendum aliquem ejus finium, ita ut niſi adhiberetur, aliquis etiam finis obtineri non poſſit, quorum neutrum quamdiu præſtatur ab adverſario, nihil obtinetur. 2. Non negamus, etiam ſcripturam agere de hiſtoricis & chronologicis, ſed illa quamvis non pertineant ad Eſſentiam Fidei, tamen neceſſaria ſunt ad ejus amplitudinem, defenſionem & explicationem. Quod autem incidenter agens de rebus naturalibus formulas adhibeat non accuratam & nudam veritatem exprimentes, inde exiſtit, quod homines per ſenſus varia præjudicia de iis hauſerint, quæ habent pro naturâ notis: at non ita eſt comparatum cum rebus hiſtoricis, ubi, ſi homines forte falſi aliquid habeant præconceptum, id fundatum eſt in auctoritate humanâ, cui cum vident opponi auctoritatem divinam, facile poſſunt ab eo deflectere. Imo ampliùs dicam: ſi aliquid in hiſtoricis fuerit, quod communiter ab hominibus fuiſſet receptum pro vero, & firmiter radicatum, dummodo illud non pugnet cum fide, etiam hic Sp. S. pro ſuâ ſapientiâ ſe hominibus errantibus, formulas receptas adhibendo, non vero errando cum errantibus, accommodaturum fuiſſe, ſi non potuiſſet ſine magnâ turbatione ſimpliciorum contrarium doceri; ſimili modo, quo oſtendemus poſtea, Apoſtolos condeſcendiſſe hominibus in uſurpandâ verſione minùs correctâ.

LI. Inſt. 1. (M. p. 233.) *me hic non rectè concludere, ſed hoc modo debuiſſe concluſionem formare. Ergo non eſt quod in Scriptura quæramus rerum naturalium cognitionem, τὸ vero accuratam gratis annecti.*

Reſp. Imo rectiſſime, cum mens mea ſit demonſtrare, non eſſe quærendam in ſcripturis Phyſicam, hoc eſt, ſcientiam qualis debet eſſe Phyſica, quæ utique debet tradere explicationem rerum naturalium accuratam.

LII. Inſt. 2. (M. p. 234.) *Potuiſſe Sp. S. ex ſuperabundanti gratia alia quoque ad ſalutem præciſe & per ſe non ita neceſſaria rebus fidei gratioſè auctarii loco adjicere vel admiſcere.*

Reſp. Quæ Deus tractat in ſacris literis, ea etſi omnia non ſint præciſè ad ſalutem neceſſaria, attamen neceſſaria ſunt ad amplitudinem & explicationem fidei defenſionemque, atque ita etiam de rebus naturalibus Scriptura agit, ad quod ut ſæpius dixi, cognitio communis abundè eſt ſufficiens.

LIII. Inſt. 3 loco ſit id quod (M. p. 235.) arguitur, *à tractatione rerum Chronologicarum & hiſtoricarum, ad tractationem rerum naturalium accuratam.*

Reſp.

Reſp. Verum id non procedit, propter hanc differentiam, quia tractatio rerum naturalium accurata non eſt neceſſaria ad amplitudinem, defenſionem & explicationem fidei, ſed ſufficit cognitio vulgaris; At tractatio hiſtorica & Chronologica eſt neceſſaria ad aliquod ex dictis.

LIV. Inſt. 4. (M. p. 237.) *Quod ſi iſtud præjudicium per oppoſitas à Carteſio rationes è me & ſimilibus tolli potuerit, quidni perſuaſio Auctoritatis & Infallibilitatis divinæ æquè vulgum retrahere potuiſſet à præjudicio aliquo phyſico, atque eundem retrahit à præjudicio Hiſtorico & Chronologico.*

Reſp. Differentiam jam dedimus, nempe non ita firmiter radicatum eſſe id, quod ſuſcipitur propter auctoritatem humanam adeoque facilius poſſe relinqui, poſitâ auctoritate divinâ contrariâ, ac id quod ſuſceptum eſt propter ſenſuum præjudicia, ac habetur tanquam ſi natura notum eſſet.

CAPUT IV.

Argumentum tertium ex eo deſumtum, quòd Scriptura in ſe non quærendam doceat ſapientiam Philoſophicam, proponitur & defenditur.

LV. Sequitur noſtrum Argumentum tertium. Sed non tantum non docet Scriptura, finem ſuum eſſe doctrinam rerum naturalium, verum ita etiam in ſolidum doctrinam ſalutis ſibi vendicat, ut non quærendam in ſe dicat ſapientiam humanam ſive Philoſophicam. Conſiderentur ea quæ Paulus habet 1 Cor. I. 22, 23. *Quandoquidem & Judæi ſignum petunt, & Græci Sapientiam quærunt. Nos autem prædicamus Chriſtum Crucifixum, Judæis quidem offendiculum, Græcis verò ſtultitiam.* Item 1 Cor. II. 6, 7. *Sapientiam vero loquimur inter adultos: ſapientiam autem non ſeculi hujus neque principum ſeculi hujus, qui abolentur: ſed loquimur ſapientiam Dei in myſterio.* Et verſ. 12. *Nos vero non ſpiritum mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui eſt ex Deo, ut ſciamus quæ Deus eſt nobis gratificatus. Sapientiam mundi vocat eam, qua homines ſeculi naturali perſpicacia in rebus mundanis theoreticis & practicis excellere poſſunt, cujuſmodi ſapientes Græcia præſertim jactabat Thaletem, Solonem, Socratem &c.* Verba ſunt Parei in hunc locum. Illam ſapientiam quærebant Græci, utpote apud quos il is temporibus ſtudium Philoſophiæ florebat. Illa per *ſpiritum mundi*, hoc eſt, rationem naturalem ſive ſpiritum naturalis intelligentiæ, qui communiter hominibus eſt conceſſus, poterat reperiri. Hanc ſapientiam dicit ſe non tradere,

 Græcos

Græcos eam apud ſe vel in ſuis dictis non reperire, ideoque fruſtrà ibi quæſituros; negat, ſe *ſapientiam mundi* docere, ſed eam quæ eſt in *myſterio*, quam mundus naturali indagatione indagare non poteſt. Hinc eſt, quod omnia quæ in ſcripturis, ad Chriſtum referantur. Quemadmodum teſtatur Auguſtinus ſuper Pſalmum 71, ita dicens: *Ad illum (ſcil. Chriſtum) omnia, quæ divinitus ſcripta ſunt, referuntur.* Cum itaque expreſsè teſtetur Scriptura, ſe non docere ſapientiam humanam, ſapientiam mundi, ſed Chriſtum crucifixum, omniaque ad ipſum referri, quis non videt, multum falli eos, qui contra mentem & proteſtationem Scripturæ, ex eâ ſapientiam humanam, Philoſophiam naturalem volunt educere?

LVI. Exc. 1. *Eâtenus ſaltem doceri, quatenus ad Chriſti cognitionem juvant.*

Reſp. Juvant ad cognitionem exiſtentiæ Dei & Attributorum divinorum, ſed parùm admodum ad Chriſti Servatoris & Mediatoris notitiam, & ſufficit ad illud cognitio craſſior & minus accurata, ut ſæpius jam dictum.

LVII. Exc. 2. (M. p. 240.) *Me ipſum concedere res Phyſicas, Hiſtoricas, & Chronologicas in ſacris literis tradi, & Moſen, Davidem, librum Jobi, Salomonis, ſi non concedam, mihi facile os obſtructuros.*

Reſp. 1. De hiſtoricis & Chronologicis non eſt quæſtio. 2. nullibi conceſſi, res Phyſicas ſecundum interiorem Eſſentiam & naturam, ſecundum cauſas proximas in ſacris literis tradi, nec contrarium ex Moſe, Davide, libro Jobi & Salomonis poteſt oſtendi.

LVIII. Exc. 3. M. p. 240. *per σοφίαν, veram & ſanam non intelligi locis citatis, ſed eam quam Col. II. Apoſtolus vocat κενὴν ἀπάτην &c.*

Reſp. Ego verò probavi ſapientiam veram & ſanam intelligi his verbis: *Illam ſapientiam quærebant &c. quæ mea probatio fuiſſet refutanda.*

LIX. Exc. 4 M p. 240. *agitur hic de hujuſmodi σοφίᾳ, quæ 1. apta eſt κενῶν τὸν ςαυρὸν τοῦ Χριςοῦ 1 Cor. I. 17. 2. quæ judicabat Chriſtum & ſalutarem de eo Theologiam eſſe μωρίαν v. 18, 21, 23. eſſe vanam & inutilem. 3. Cui Deus, utpote rei in ſe malæ, extremum minatur exitium v. 19. 4. Quæ Chriſtianæ Theologiæ opponitur ut inimiciſſime cum ea pugnans.* E. non etiam de ſapientiâ verâ agitur.

Reſp. Neg. iſta majoris Connexio, quoniam de omni ſapientiâ, quam Græci quærebant, & quæ per ſpiritum mundi hoc eſt rationem naturalem indagatur, agitur, eaque rejicitur; At Græci non tantum vana quærebant vel inveniebant, ſed etiam vera & ſolida Græcorum ſapientia conſiſtebat in cognitione naturæ habente vera falſis admixta, in Eloquentiâ

Digitized by Google

quentiâ probâ, cum vanitate tamen conjunctâ: utramque rejicit: Abuſum & vanitatem propter eas rationes, quæ in Exceptione allata; veram etiam & ſolidam non eſſe ſufficientem ad ſalutem docet. Expreſſe enim dicit Apoſtolus 1 Cor. I. 21. *quoniam mundus per ſuam ſapientiam Deum in ſua ſapientia non agnoverit, propterea Deo placuiſſe per ſtultam concionem ſalvare eos qui credunt.*

LX. Exc. 5. M. p. 241. *per ſpiritum mundi intelligitur hujus ſapientiæ Auctor, Satanas, qui Eph. II. 2. appellatur ab hoc effectu τὸ πνεῦμα ἐνεργοῦν ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας, ſana v. Philoſophia nullibi appellatur τὸ πνεῦμα τοῦ κόσμου.*

Reſp.. Per *πνεῦμα τοῦ κόσμου* intelligi debet naturalis perſpicacia ſecundum Paræum, ſpiritus naturalis intelligentiæ, qui communiter hominibus eſt conceſſus; Eodemque modo ſpiritum mundi alii Interpretes intelligunt. Sic Martyr, *Spiritus mundi*, inquit, *eſt conſueta vis animi, quâ homines ad agendum & cognoſcendum incitantur ſecundum rationem & facultatem ſuæ naturæ &c. quæ vide apud ipſum.* Gualtherus, *ſpiritum mundi hic dicit; non malum illum & impurum, per quem Diabolus in Impiis agit, ſed mentem ſive rationem, quâ homines naturaliter intelligunt, ſapiunt, cogitant, ea denique faciunt, quæ naturali illa animæ facultate perfici poſſunt.* Muſculus. *Et quid vocat ſpiritum mundi? Dixit, neminem ſcire quæ Dei ſunt, niſi ſpiritum Dei, ut nec quæ hominis ſunt niſi ſpiritum hominis, ita nunc dat mundo, hoc eſt, mundanis hominibus ſuum ſpiritum, veluti homini cuipiam, per quam intelligit eam partem, quâ conſtat rerum cognitio, ſapientia & intellectus (hoc enim loco de ſapientia Dei & humana loquitur) ut ſpiritus mundi ſit ſapientia & intellectus mundi.* Atque hæc interpretatio textui, ſi is inſpiciatur, convenientiſſima.

LXI. Exc. 6. M. p. 241. *Interpretationem Paræi his Exceptionibus non adverſari.*

Reſp. Contrarium patet ex collatione, Paræus intelligit talem ſapientiam, quam homines ſeculi naturali perſpicacia conſequuntur; at ſuperior interpretatio vanam & inanem, quæ non naturali perſpicaciâ, ſed ſophiſticatione acquiritur.

LXII. Exc. 7. M. p. 242. *At poteſt intelligi hic per σοφίαν, ὑπεροχὴ λόγου ἢ σοφίας.*

Reſp. Quid debeat intelligi ſuperius à me eſt oſtenſum.

LXIII. Exc. 8. M. p. 242. *Si omnia ad Chriſtum referuntur, ut paulo ante cum Auguſtino referebas, quomodo ergo hoc loco aſſeris, res naturales parum admodum facere ad Chriſti Mediatoris & Salvatoris notitiam.*

Reſp,

Digitized by Google

Reſp. Id quod hic dico ex mente omnium Reformatorum dico, qui ad Obj. Arminianorum ex cap. 1. &c. ad Rom. pro vocatione Univerſali deſumtas, reſpondent, hanc vocationem quæ fit per creaturas, earumque conſiderationem non ducere ad Deum Redemtorem, ſed ad Deum Creatorem, Ergò parum admodum per ſe, & quatenus tales, juvant ad Chriſti Mediatoris quatenus talis notitiam, quamvis remote & per ſingularem directionem divinam ad Chriſtum referantur, in quibus nulla plane eſt contradictio.

Reliqua quæ hic objiciuntur (M. p. 243.) de σοφίᾳ quam Apoſtolus docuit, item, quod non tantum incidenter egerit ſcriptura de rebus naturalibus, ut & de cognitione erronea, ſunt meri coccyſmi, de quibus ſæpe eſt dictum.

CAPUT V.

Quartum argumentum cujus Summa, quod Deus ab iis, quos ſapientiâ Philoſophicâ ornaverat, nihil ad eam faciens voluerit conſcribi, proponitur & vindicatur.

LXIV. Quartum argumentum inde petimus, quod Deus ab illis, quos ornaverat ſapientia humana & cognitione Philoſophica, nihil voluerit ad hanc rem ſpectans conſignari. Patet id 1. Exemplo Moſis, de quo legimus Act. VII. 22. *Et eruditus fuit Moſes omni ſapientia Ægyptiorum.* Erant ii tunc temporis Philoſophiæ Antiſtites, unde & in Græciam eſt tranſlata. Quare nullum dubium eſſe poteſt, quin Moſes inſignem habuerit rerum naturalium cognitionem. Is tamen cum Creationis opus deſcribit, ubi occaſio erat de iſtis Creaturis & operibus Dei ſubtiliter diſſerendi, earumque interiores naturas & eſſentias explicandi, breviter tantum recenſet earum præcipuas ſpecies, omnia uno capite abſolvens, omittens etiam ea, quæ ſenſibus non erant obvia; unde factum, ut Angelorum Creationis diſertis verbis non meminerit, nec etiam Metallorum, Gemmarum & aliorum in viſceribus terræ reconditorum mentionem ullam fecerit, abunde ſe ſuo ſcopo ſatisfeciſſe ſtatuens, ſi omnia illa, quæ in oculos hominum incurrunt, oſtenderit, à Deo creata & producta fuiſſe: contra verò quam prolixus eſt in iis, quæ ad Eccleſiam ejuſque adminiſtrationem ſpectabant, deſcribendis! Ibi non unum caput

Digitized by Google

caput ſufficit, ſed ferè omnia capita Exodi poſteriora, à 25. ad 40. incluſivè, exceptis 32, 33, 34. eò collimant, ut tabernaculi conſtructio & cultus Levitici adminiſtratio plenè quoad omnes partes explicentur. Tota Geneſis abſolvitur in fatis Eccleſiæ ab initio mundi uſque ad ſua tempora deſcribendis; ſuccenturiantur ei reliqui quatuor Moſis libri, qui in formandâ & deſcribendâ Eccleſiâ Iſraëliticâ toti occupantur. Aliorum ſcriptorum ſacrorum ſimilis eſt ratio. Unde vel cœco patere poteſt, non quærendam in S. Scriptura Phyſicam vel Philoſophiam, quæ præcipuè à Moſe in his ſacris erudito, occaſione tàm egregiâ datâ, per operum Creationis deſcriptionem, debuiſſet explicari, ſi Deus librum ſcripturæ huic rei voluiſſet deſtinatum. Sententiæ meæ accinit Paræus in Gen. cap. 1. v. 1. jam ſupra viſus c. 4. art. 35. Is, ubi inquirit, cur Moſes Angelorum non expreſſe meminerit Creationis, rejectis cauſis ab aliis allatis, inquit: *Simplicior eſt ratio Chryſoſtomi homilia 2. in Geneſin, quam & Baſilius attingit Hom. 1. in Hexaem. Moſen hiſtoriam ſuam ruditati Judæorum attemperâſſe. Erant enim homines terreni, tantum ſenſibilia ſapientes, tantum igitur ſenſibilium Dei operum deſcriptionem Moſes aperte proſequi voluit, quorum contemplatione ac ſenſu ad intellectum ſublimiorum rerum, & ad ipſius inviſibilis Dei conditoris agnitionem populus quaſi infans eveheretur, omiſſa doctrina de cœleſtium ſpirituum formatione, quæ captum ejus longe ſuperatura videbatur, & quam ſatis ei fuit obſcure per nomina Cœli & cœlorum exercitus quaſi per tranſennam oſtendi.* Conſentit Calvinus, qui *Comment. in Geneſ. cap. 1. verſ. 14. Tenendum eſt illud, Moſen non acute philoſophari de occultis myſteriis, ſed referre quæ etiam rudibus nota ſunt, & poſita in vulgari uſu.* Et ad v. 16. *Moſes populariter ſcripſit, quæ ſine DOCTRINA & LITERIS omnes idiotæ COMMUNI SENSU percipiunt*; & paulo poſt. *Nec Moſes ſane ab eo ſtudio (puta Aſtronomico) retrahere nos voluit, cùm omiſit, quæ ſunt artis propria. ſed quia non minus indoctis & rudibus, quàm doctis ordinatus erat Magiſter, non aliter partes ſuas potuit implere, quam ſi ſe demitteret ad craſſam iſtam rationem. Si de rebus vulgò ignotis locutus foret, cauſari poterant Idiotæ altiora hæc eſſe captu ſuo. Denique cum hic ſpiritus Dei promiſcuam omnibus ſcholam aperiat, non mirum eſt ſi ea maxime deligat, quæ poſſunt ab omnibus intelligi.*

LXV. Exc. 1. M. p. 244. *Negatur minor, quam refutarunt Zanchius, Valleſius, Danæus & alii, nec illi tantum, ſed & ipſa ſacra pagina Gen. 1. Pſal. VIII. Item IX. Item CIV. &c. liber Jobi &c. diſerte huic commento reclamant.*

Reſp. Ego vero oſtendi, ea quæ Valleſius & Danæus habent ex ſcri-

Digitized by Google

ptura de rebus naturalibus, non eſſe talia quæ Phyſicam cognitionem generare poſſint, atque ſimilis ratio eſt Zanchii & aliorum. De interiori natura rerum naturalium, an ex ſcriptura poſſit haberi talis rerum naturalium cognitio, quæ ſcientifica queat dici quæritur? quod nego. Afferant vero adverſarii legitimas demonſtrationes ex ſcriptura, quibus hæc vel illa proprietas & operatio rerum naturalium ex proximis cauſis demonſtretur, & victores eos prædicabimus. Quin Gen. I. Pſal. VIII. & alibi mentio fiat rerum naturarum nos non negamus, ſed de ſcientifica & philoſophica eſt quæſtio.

Ut autem cauſæ redderentur (à M. p. 245. & ſeq.) brevitatis, quare à Moſe præcipuæ rerum naturalium ſpecies tantum tractentur, non erat opus, cum manifeſtum ſit ita breviter tractari, ut tantum illæ ſpecies recenſeantur & referantur ad cauſam primam, earum vero interioris conſtitutionis nulla fiat mentio. Itaque non ſcientifice res naturales tractantur, quod eſt illud de quo hic quæritur. Chryſoſtomum & Calvinum habeo conſentientes, qui ſtatuunt expreſſe, Deum ſe ruditati Judæorum attemperaſſe, non ſubtiliter diſſeruiſſe, ſed retuliſſe ea quæ rudibus etiam nota ſunt, (quibus verbis notitia communis ſignificatur). Per quam obſervationem noſtram cadunt & aliæ objectiones (confer ſi placet M p. 245 & 246.)

LXVI. Exc. 2. Danæi, *ſimpliciter quidem Moſes, ſed verè; nude, ſed rectè: populariter ſed ſincerè tradit, quæ ſunt nobis de mundo, ejus partibus præcipuis, rerum cauſis & effectis credenda & tenenda & docenda inter homines. Ingenuè etiam fateor, ad noſtri ſenſus captum Moſen ſe attemperaſſe, nego tamen quod illi ajunt, propterea ad rei veritatem illum nec collimaſſe nec attendiſſe; fuit enim illi propoſitum facile, nude & vere illa ſcribere.*

Reſp. Facilis eſt ad illa reſponſio. Nam 1. quod dicit, ſincere tradidiſſe, quæ ſunt nobis de mundo, ejus partibus præcipuis, rerum cauſis & effectis credenda &c. admittimus, ſed inde colligimus, quia de præcipuis: Ergo non de omnibus. Et quia de rerum cauſis externis tantum, nempe de Deo agit: E. non de interiori earum formatione, texturâ & conſtitutione; adeoque quærenda in ſcriptura rerum omnium cauſa Prima, Univerſalis & Remota, ſed non ideo cauſa Secunda, Particularis & Proxima omnium rerum naturalium proprietatum & effectuum; Atque ita manet noſtrum Argumentum firmum & immotum. 2. Et nos concedimus, Moſen ad rei veritatem generalem collimâſſe, per formulas præjudiciis & ſenſuum apparentiis innitentes ab ipſo uſurpatas, ſed negamus, omnibus & ſingulis verbis ſpeciale quid, quale homines præjudiciis

Digitized by Google

ciis occupati talibus verbis ſignificarent, fuiſſe teſtatum. Vide infra ſpecialiter dicenda de formulis ſcripturæ, quas adhibet, cum de rebus naturalibus loquitur.

LXVII. Inſt. 1. M. p. 247. *Si concedis, Moſen de mundo & præcipuis ejus partibus &c. egiſſe, qua fronte ergo ſupra dixiſti, eum nihil conſignaſſe ad rem Philoſophicam ſpectans. quo pacto negaveris, ex præcipuis (quales ſunt Eſſentiales) mundi partibus, ex præcipuis rerum cauſis, præcipuis earum effectis Phyſicam aliquam eſſentialiter totam concinnari poſſe?*

Reſp. Nihil conſignavit Moſes ad rem Philoſophicam præcisè quatenus talem, oppoſitè ad notitiam vulgarem, ſpectans, qui tantum effecta refert, & Primam atque Univerſalem cauſam, non verò interiorem naturam & proprietates ſcientifice explicavit & demonſtravit. 2. Præcipuæ mundi partes (de quibus agit ſcriptura) ſunt Cœlum & Terra, & præcipua rerum Cauſa eſt Deus; At quoniam hæ ſunt partes & cauſæ nimis generales, cum in Phyſica requiratur proximarum cauſarum & ſpecialium partium explicatio, recte dicitur, ex his Phyſicam concinnari non poſſe. Nec, præcipua tradi (eo ſenſu quo conceſſi) in ſcriptura, ſufficit ad Phyſicam cognitionem inde deducendam, quia ea tradi oportebat, quæ ſcientiam generare queant.

LXVIII. Inſt. 2. (M. p. 248.) *At Moſes agit de omnium rerum materiâ, quæ eſt cauſa rei interna, item multarum rerum formas tradit. E. non tantum de cauſis rerum externis tractat.*

Reſp. Non ſufficit generalis materiæ cognitio omnium rerum, ſed requiritur ſpecialis cujuſque corporis materia, atque ad demonſtrationes Phyſicas, & inde ortam ſcientiam (de quâ agitur) opus eſt cognitione cauſarum efficientium proximarum. 2. Mirum eſt, quod ſi Moſes tradat multas rerum formas, hactenus Scholaſtici profeſſi ſint, ſe nullius rei formam ſubſtantialem noſſe, præterquam ſolius hominis, & quod hic nulla nobis forma ſubſtantialis ex Moſe monſtretur.

LXIX. Inſt. 3. M. p. 248. *Non ſequitur, ſi Moſes tantum tractat de omnium rerum cauſa prima externa, Univerſali, remota &c. E. non eſt quærenda in tota Scriptura cauſa rerum ſecunda particularis & proxima.*

Reſp. 1. Argumentum meum tale eſt: Si Deus voluiſſet Phyſicam ſcientiam in Scripturis tradi, curaſſet eam proculdubio à Moſe & Daniele, quos ſingulariter ea ſapientia inſtruxerat, deſignari; At neuter ex his eam habet. Non Moſes, quod hic demonſtratum. Nec Daniel, quod mox probabitur. Ergo. Cui argumento, ſi quid reſpondendum, neganda fuiſſet Prop. Maj. ejuſque probatio refutanda, & dein afferendi alii

F 2 ſcripto-

ſcriptores ſacri, atque ex iis demonſtrationes Phyſicæ aſſignandæ. 2. Non nego, quod Moſes & Prophetæ ſubſequentes Judæos in artibus ingenuis inſtruxerint, verùm quod hoc in Scripturâ fecerint pernego.

LXX. Inſt. 4. M. p. 249. *Philoſophus ipſe omnium rerum naturalium omnes proprietates, omnium effectuum omnes cauſas non explicuit, E. inique hoc à ſcriptura exigitur.*

Reſp. Philoſophus Principia ſcripſit rerum naturalium eaque fundamenta, ex quibus rerum variarum interior natura e. g. magnetis, ignis, vitri &c. ab ipſo ſcientifice explicata, pluresque alii effectus poſſunt ſimiliter explicari. Inde nomine Phyſicæ ejus tractatus recte poteſt venire, licet obſtante vi majori tractatum de homine, de plantis &c. non potuerit abſolvere. Ac in Scriptura talis ſcientifica explicatio non habetur, nec ab ea exigitur, ab iis qui ſtatuunt, non eſſe hunc ejus ſcopum, ut inſtruat in cognitione ſcientifica rerum naturalium: ſed ab adverſa parte convenienter ſuis principiis non tantum exigenda, ſed etiam oſtendenda.

LXXI. Patet 2. Minoris Propoſitionis præcedentis argumenti veritas ex Daniele, de quo legimus Dan. I. 17. *quod Deus illi dederit notitiam & intelligentiam in omnibus literis & ſapientia, & v. 4. quod fuerit inſtitutus literis & lingua Chaldæorum.* Noluit tamen is in libro Prophetiæ ſuæ iſtius ſapientiæ Chaldaicæ, quæ in cognitione Philoſophiæ præcipuam partem conſiſtebat, ſpecimina edere, neque de rerum naturalium interiori Conſtitutione & Eſſentia diſſerere, ut oſtenderet, hæc ex diſciplina humana non divina hauriri.

LXXII. Exc. 1. M. p. 251. *Nullam eſſe in hoc argumento conſequentiam: non enim ſequi: Daniel in Philoſophia naturali egregie exercitatus noluit ſpecimen ejus in libello Prophetiæ ſuæ extare: E. Spiritus Sanctus noluit quicquam res Philoſophicas ſpectans in tota Scriptura exſtare.*

Reſp. Hoc non eſt meum argumentum, ut patet ex articulo 64. & 69. cujus etiam conſequentia per rationes articulo 64. eſt ſtabilita.

LXXIII. Exc. 2. M. p. 249, 251. *Moſis & Danielis erat ſpecialis ratio: Moſes noluit hoc agere, quia hæc non conveniebant ruditati Judæorum ſervitiis Ægyptiacis uſque adeo emancipatorum, ut rerum naturalium & Philoſophicarum contemplationi vacare plane non potuerint.* p. 246, 249. *Daniel ne ſcilicet anſam præberet Judæis pauxillum illud tempus, quod exercitiis fidei & pietatis, inter quæ meditatio verbi divini concedebatur, ſpeculationibus philoſophicis impendendi.* p. 251.

Reſp

Reſp. Quaſi verò in deſerto per integros annos quadraginta non potuiſſent rerum Philoſophicarum contemplationi incumbere, quando non amplius ſervitute Ægyptiaca diſtinebantur, ſi Moſes voluiſſet eos in Pentateucho de rebus Philoſophicis informare. 2. ſi Jobi & Pſalmorum meditatio, in quibus adverſarius vult Philoſophica contineri, non avocavit Judæos ab exercitiis fidei & pietatis. E. etiamſi Deus à Daniele ſcribi philoſophica voluiſſet, non tamen per ea fuiſſet Judæos ab iſtis exercitiis avocaturus.

LXXIV. Exc. 3. H. p. 298. *Illa quæ Moſes & Daniel naturalia ſuis ſcriptis inſeruerunt, non tantum Ægyptiaca & Chaldaica fuerunt inſtitutionis, ſed divini quoque ſpiritus.*

Reſp. Ego vero non nego, quod ſi fuiſſent Moſes, Daniel &c. de rebus naturalibus ſcripturi, ex immediatâ Inſpiratione fuiſſent acturi, quamvis Chaldaicam ſapientiam haberent cognitam, eodem modo, quo ea, quæ Apoſtoli ipſi viderant de Chriſto, ita Deus libris Euangeliſtarum inſeri curavit, ut infallibiliter & ex dictamine Spiritus Sancti ea retulerint; ſed nego, quod in eorum libris Philoſophica rerum naturalium explicatio reperiatur.

CAPUT VI.

Quintum Argumentum ab amiſſione eorum, quæ Salomon de rebus naturalibus conſignaverat, cum vindiciis.

LXXV. Moſen itaque & Danielem, ut ſapientiæ ſuæ Philoſophicæ ſpecimina in ſacris literis ederent, Deum noluiſſe vidimus. At quid de Salomone dicemus, quem Scriptura à ſapientiâ præ omnibus hominibus 1 Reg. commendat? Hic verò ne quidem voluit Deus, ut ea quæ de rebus naturalibus diſſeruerat, proculdubio egregia & rerum naturam accuratius explicantia, quàm ab aliis factum fuerat, conſervarentur, ſed ea intercidere eſt paſſus. Ita enim legimus 1 Reg. IV. 33. *Elocutus eſt etiam de plantis, à cedro quæ in Libano uſque ad hyſſopum, quæ prodit à pariete: denique elocutus eſt de jumentis, & de volucribus, & de reptilibus, & de piſcibus.* Nec tamen vel veſtigium eorum invenitur, cum contrà Providentia Dei in conſervandis iis, quæ ad ſalutem nobis ſunt neceſſaria, ubivis eluceat. Nonne ergo hoc facto tacitè quaſi Deus ſignificare voluit, naturæ lumine nos in harum rerum indagatione contentos eſſe debere, & fruſtra

Digitized by Google

agere, ſi naturas rerum ex ſcriptura cognoſcere velimus, cum ea, quæ de his optimè nos potuiſſent inſtruxiſſe, Deus permiſerit interire. Unde tale argumentum in forma poteſt conſtitui: Si Deus voluiſſet Phyſicam ſcientiam in ſacris literis tradere, tum proculdubio conſervaturus fuiſſet præcipua, quæ ad eam fecerunt, qualia Salomonis fuerunt, vel ſaltem ea alibi fuiſſet ſuppleturus. At hoc non fecit: E. M. quoniam qui vult finem vult etiam media ad finem imprimis facientia.

LXXVI. Exc. 1. (M. p. 252.) *Deus paſſus eſt Salomonis de rebus naturalibus ſcripta interire, quia judicavit reliqua ſufficere ad ſcopum ſuum.*

Reſp. Hæc quæ legimus de rebus naturalibus in ſacris literis, omninò ſufficiunt ad ſcopum Dei, nimirum ut per ea ad cœleſtia nos manuducat, quod etiam ſufficienter fit per talem earum cognitionem, qualis communiter ab hominibus, communibus mediis cognoſcendi haberi poteſt. At ſi ſcientificam inſtitutionem ſibi pro ſcopo propoſitam habuiſſet, nego ſuffectura ea fuiſſe, nec dubito, quin ea quæ ad hunc ſcopum apprimè faciebant (qualia Salomonis fuiſſe crediderim) Deus fuiſſet conſervaturus.

LXXVII. Exc. 2. (M. p. 253.) *Quidni eâdem Conſequentiæ ratione dicamus leges adminiſtratæ quondam Reipublicæ Judaicæ ex Scriptura addiſci non poſſe nec debere, quoniam librum Recti, cujus hæ proculdubio principale fuerunt argumentum, intercidere eſt paſſus, Joſ. X. Eodem modo quis dicet, res politicas & bellicas in Republ. Judaicâ quondam geſtas non debere addiſci ex Scriptura, quod librum bellorum Domini, de quo Num. XXI. 14. interire Deus paſſus ſit.*

Reſp. Si ad meæ conſequentiæ rationem attendas, videbis te per eam de Republicâ Judaica inferre non poſſe; Qui enim defectus ex amiſſione *Libri Recti* (ſi tamen non ſit intelligendus liber Joſuæ) *& Libri bellorum Domini* eſt exortus, abundè compenſatus fuit, per ſubſtitutionem aliorum ejus generis & argumenti: at negamus in Scripturis ſuppletum fuiſſe, qui ex amiſſione rerum Philoſophicarum ſcientifice tractatarum à Salomone, obtigit defectus.

LXXVIII. Exc. 3. M. p. 253. *Similiter colligi debere Phyſicam prorſus non poſſe diſci ex Ariſtotele, quia multi ejus libri perierunt.*

Reſp. At ego hic colligo, Deum noluiſſe Phyſicam ſcientiam in ſacris literis tradere, quoniam ea, quæ Scriptores ſacri, de eâ conſcripſerant, intercidere eſt paſſus, neque in Canonem, qui ſemper debuit in Eccleſia conſervari, retulit, cujus argumentationis ratio ſuperius eſt reddita. Non verò ſimpliciter ex eo, quod quidam libri Phyſici à Scriptoribus

ptoribus ſacris profecti interierint, colligo, in reliquis nihil Phyſici reperiri.

LXXIX. Exc. 4. M. p. 253. *Iſti Libri non pertinuerunt ad Canonem Scripturæ ſacræ, Ergo ex illorum interitu nulla ratione poteſt concludi, Deum noluiſſe ut à Scripturis rerum Philoſophicarum cognitio peteretur.*

Reſp. Hoc nihil ad rem facit: potuiſſet enim proculdubio Deus iſtos libros conſervare, & Canonicam auctoritatem iis conferre, quod quia non fecit, nec defectum hunc compenſavit, omnino concludendum eſt, ejus ſententiam non fuiſſe Phyſicam ſcientiam in ſacris literis tradere.

LXXX. Exc. 5. H. p. 13. *Abſurdum eſt dicere, Deum libros illos naturales Salomonis interire paſſum eſſe, propterea quia non neceſſarii vel inutiles nobis ad ſalutem. Cur enim,* inquit, *nobis uſui eſt ſcire genealogiam Eſau: menſurationem terræ Palæſtinæ in tribus duodecim? Quid ad ſalutem eſt, Reges poſt Salomonem, eorumque vitam & res geſtas ſcire? &c.*

Reſp. Ego vero non autumo, Deum ea omnia ſcripta virorum θεοπνεύςων, conceſſiſſe interire, quæ non præcisè ad ſalutem nobis ſunt neceſſaria; ſed tantum ſtatuo, Deum etſi nihil permiſerit perire ſcriptorum, de rebus quæ nobis ad ſalutem ſunt ſcitu neceſſariæ, tamen quędam conceſſiſſe ut interirent, ſcripta aliàs utilia, quæ non ad ſalutem neceſſaria dogmata complexa fuerunt, quæ eo ipſo, quia perierunt, cenſeo non fuiſſe canonica.

CAPUT VII.

Sextum Argumentum, quo oſtenditur, ea quæ oppoſitæ ſententiæ Patroni ex ſacris literis aſſerunt ſpecimina doctrinæ Philoſophicæ, talia non eſſe.

LXXXI. Argumentum ſextum. Sed ex ipſa re tandem deſumamus Specimina quædam eorum, quæ contrariæ ſententiæ Patroni de rerum Phyſicarum natura in Scriptura ſe putant reperire. Et Valleſius quidem, ubi Scriptura mentionem aliquam rerum naturalium injicit, occaſionem inde ſumit de rebus naturalibus diſſerendi, & quidem ex lumine naturali, adeò ut ſcripturâ vix aliter utatur ac catalogo rerum naturalium, uti patebit ei, qui eum voluerit conferre. Similem fere viam inſiſtit Danæus, quamvis videatur ulterius procedere, & velle probationem deſumere ex ſcriptura de rerum naturalium conſtitutione & cauſis,

Digitized by Google

& cauſis. Sed ipſe modus procedendi, qui ab illo ſervatur, ſatis oſtendit, eum rectam viam non inſtitiſſe, quæ ad Phyſicæ cognitionem ducat. Nam primò quidem concedit ipſe, multarum rerum ſcripturam ne quidem meminiſſe: *Cometarum*, inquit, *Lampadum*, *Doliorum*, *Chaſmatum cœli*, *Caprarum ſaltantium*, *& aliorum ejusmodi meteororum igneorum, quæ nonnunquam in hâc expanſione (quæ ſub cœlo Lunæ eſt) apparent*, *nuſquam meminit ſcriptura*, quibus & multa alia connecti poſſent, de variis animalium, plantarum ſpeciebus &c. quæ inter res naturales ſunt referenda, & ſuam habent ſingularem naturam: Ergò ſaltem non poteſt haberi ex ſcriptura perfecta rerum naturalium cognitio. Et niſi ipſe ille Danæus ſubſidium à ratione & ſcriptis Philoſophicis petiiſſet, multò pauciora potuiſſet dicere de rebus naturalibus quam dixit, & multa, quæ ex locis ſcripturæ obſcuris elicere voluit, elicere non tentaſſet, niſi antea Philoſophiæ cognitione imbutus fuiſſet. Quænam etiam ex ſcripturis cauſæ dari poſſunt Iridis & aliorum meteororum, præter eas de quibus ipſa experientia teſtatur? Quam cauſam ſcriptura aſſignat albedinis nivis? Ubi demonſtratur Tonitrus cauſa proxima? quid de cauſâ fluxus & refluxus maris, Salſedinis ejusdem? Quænam cauſa recenſetur ſtellarum ſcintillationis? Quid de Lunæ & Solis Eclipſi è ſcriptura depromi poteſt, ad cauſarum intelligentiam faciens, ut taceam ſexcenta alia.

LXXXII. 2. De principio quidem rerum omnium externo, Deo, ſive omnium rerum Cauſâ Efficiente Primâ & Univerſali Scripturam agere non diffitemur, & eâtenus ejus cognitionem prodeſſe nos met ipſi aſſerimus, ſed non poteſt Danæus nec quisquam alius, ex ſcripturâ oſtendere, Materiam primam & Formas ſubſtantiales, vel Elementa eſſe rerum omnium Principia, ex quibus componantur & in quæ reſolvantur, quæ tamen pro principiis vulgò habentur, alia etiam veriora principia rerum interna à Scripturâ doceri non videmus.

LXXXIII. 2. Multò minus ex ſcripturâ poſſunt proferre demonſtrationes, quomodo, vel ex vulgaribus illis Peripateticorum Principiis proprietates & effectus rerum naturalium oriantur, vel ex aliis Principiis ſolidioribus.

LXXXIV. 4. Craſſè admodum Danæus philoſophatur, ubi ſe ex ſcripturis philo ſophari putat. Sic Tract. 1. ſ. 8. Ex Eph. 5. 13. Lucem definit ab effectu, *Lux eſt quæ omnia manifeſtat*: at ipſe hanc definitionem corrigit poſtea, vel hoc facto ſuo teſtatus, eam non fuiſſe accuratam. Sed nec prior nec poſterior definitio multum facit ad Lucis naturam explicandam, de quâ Reuſnerus Opt. lib. 1. th. 13. conqueritur, eam

Digitized by Google

eſſe valde abſtruſam, idem ferens de colorum natura judicium, ejusdem lib. th. 36. *Videtur coloris natura non plus eſſe comprehenſibilis intellectui, quàm lux fuit ipſa, cauſaque tam obſcura & difficiles, quàm eſt color ipſe promtu adſpectuque manifeſtus.* Nec tamen de colorum naturâ quicquam Scriptura docet. Ita Tract. 2. cap. 9. Aërem ferè in nihilum redigit, nitens (uti putat) ſcripturâ, aut ſaltem non pro corpore diſtincto ab Aqua & Terrâ habet. Plura ſimilia annotare poterit, cui ejus Phyſicam perlegere vacabit.

LXXXV. 5. Multa, quæ ex ſcriptura probare tentat, talia ſunt, ut à quovis, vulgari tantum notitiâ prædito, cognoſci poſſint per experientiam. Ita quando probari vult, nubes elevari ex terra & mari ex Jer. IV. 13. *Ecce tanquam nubes aſcendit,* & 1 Reg. XVIII. 44. *Fuitque ſeptima vice, ut diceret, ecce nubes parva ſicut vola hominis aſcendit à mari,* nihil præſtat, niſi quod à quovis per experientiam cognoſci poteſt: nam quod nubes ita eleventur ex aqua ad oculum patere poteſt, uti ex poſteriori loco apparet.

LXXXVI. 6. Multa ex ſcripturis elicere conatur, quæ revera non ſequuntur; ex. gr. quando ex locis obſcuris & metaphoricis Jobi vult aliquid educere. Sic ex c. XXXVI. 32. vult probare, ex pugna duarum nubium oriri fulmen, qui valdè ambiguus eſt locus, & planè Metaphoricus. Verba ita habent: *Manibus obtegit lucem, & interdicit ipſi propter intercedentem.* Ex cap. XXXVIII. 38. *ut perfuſio fit fermentanda terra, ut conglutinentur glebæ,* probare conatur ex pulvere terræ lapides generari, cum nihil aliud indicetur, quàm pluvia cadente pulverem terræ in glebas colligi, quemadmodum conſideranti patet, & Belgæ etiam interpretantur. Similiter ex Jerem. XXXI. 35. *Sic ait Jehova, qui diſponit Solem ad lucem interdiu, ſtatuta Lunæ & ſtellarum ad lucem noctu,* & Jeſch. XXX. 26. *Et erit lux ipſa Luna ſicut Lux Solis, Lux autem Solis erit ſeptupla, ut lux ſeptem dierum,* vult probare ſtellas habere lucem inſitam; quod quamvis de ſtellis fixis ſit verum, quibus tamen fidiculis ex locis iſtis extorqueri poſſit, videre quidem nequeo. Eodem in loco, ap. Tract. 4. cap. 27. ex Ezech. XXXII. 7. demonſtrare conatur, Lunam habere lucem inſitam propriam. Verba Ezechielis ſic ſonant: *Et operiam, cum extinguam te, cœlos, atraſque reddam ſtellas eorum: Solem nube operiam, Luna non faciet, ut ſplendeat lux ſua.* Fortè ex eo id ſequi putat, quia dicitur *lux ſua*: at etiam lux in ſpeculo & ab ea reflexa dicitur lux ſpeculi, & à Terra reflexa dicitur Lux terræ: Ergo & Lux Lunæ dici poteſt, propter modificationem, quam accipit à Luna, quia ab ea reflectitur in terram. Pſalm.

Digitized by Google

CXLVIII. 8. *Laudate Dominum ignis & grando, nix & exhalatio, ventus turbineus, efficiens verbum ejus.* Ex his vult educere diviſionem vaporum, qua alii ſint calidiores & ſicciores, alii frigidiores & humidiores. Sed mens Pſalmiſtæ non eſt, ibi ſpecies vaporum enumerare, ſed tantum quædam ex meteoris nominare, quæ ad laudem Dei homines incitare debeant. Plura recenſere defatigor, & facile poſſet oſtendi, vix quicquam à Danæo eſſe de natura rei alicujus naturalis ex Scriptura demonſtratum. Cui otium eſt, attente perlegat, & aſſenſum mihi præbebit.

LXXXVII. Ex hiſce omnibus patet, ſe ipſos valde fallere, qui neſcio quem honorem ſcripturæ ſe deferre putant, dum rerum naturalium explicationem exinde deducere conantur. Et hac quidem parte mecum ſentit Verulamius, ut argumentum aliquod, ab auctoritate deſumtum, ad hominem corollarii loco addam. Is Novo Organo aph. 65. *Huic vanitati* (qua nempe Theologia Philoſophiæ admiſcetur) *nonnulli ex modernis ſumma levitate ita indulſerunt, ut in primo capitulo Geneſeos & in libro Job & aliis Scripturis Sacris Philoſophiam naturalem fundare conati ſint: inter viva quærentes mortua.* Et de Augmentis ſcientiarum lib. 9. *In interpretandi ſcripturam modo ſoluto duo interveniunt exceſſus. Alter ejuſmodi in ſcripturis præſupponit perfectionem, ut & omnis Philoſophia ex earum fontibus peti debeat, ac ſi Philoſophia alia quævis res profana eſſet & Ethnica. Hæc intemperies in Schola Paracelſi præcipue, nec non apud alios invaluit: Initia autem ejus à Rabbinis & Cabbaliſtis defluxerunt. Verum iſtiuſmodi homines non id aſſequuntur, quod volunt. Neque enim honorem, ut putant, Scripturis deferunt, ſed eaſdem potius deprimunt & polluunt. Cœlum enim materiatum & Terram, qui in verbo Dei quæſiverit (de quo dictum eſt, Cœlum & Terra pertranſibunt, verbum autem meum non pertranſibit:) is ſane tranſitoria inter æterna temere perſequitur. Quemadmodum enim Theologiam in Philoſophia quærere, perinde eſt, ac ſi vivos quæras inter mortuos. Ita è contrà Philoſophiam in Theologia quærere non aliud eſt quam mortuos quærere inter vivos.* Huic conjungo Neufvillium, Medicum, dum viveret, & Philoſophum Clariſſimum, qui ita in Phyſiologiæ ſuæ, ſive Phyſicæ generalis præfatione loquitur. *Hanc ob cauſam nonnulli, Scripturæ Sacræ divinitus nobis revelatæ auctoritate potiſſimum de rebus naturalibus certi aliquid definiendum eſſe contendunt: inter quos præcipuè eſt Lambertus Danæus, qui Phyſicam Chriſtianam ex ſola ferè Scriptura collectam & deductam* (nempe ex opinione ſua, at quam fœliciter, à nobis hactenus oſtenſum) *concinnavit. Idem ſtatuunt Otto Caſmannus in Prologomenis Coſmopœja & Uranographia Chriſtiana præmiſſis: Conradus Aſlacus lib. 1. Phyſica Moſaica cap. 1. & alii.* Et paulo poſt: *Certum tamen*

Digitized by Google

men eſt, ejuſmodi (ſcilicet de rebus naturalibus) *pauca admodum eſſe, neque eo modo tradita, uti eadem à naturali Philoſopho ſcientia certa atque evidenti comprehendi debent, & conſtat Scripturam Sacram nobis longe alio fine à Deo eſſe traditam, videlicet, ut nos de voluntate Divinâ noſtrâque ſalute per Chriſtum obtinendâ, erudiat.*

LXXXVIII. Exc. 1. (M. p. 255.) *Ex hoc forte confici poſſe, Phyſicam integraliter totam, id eſt omnibus numeris, membris, particulis conſummatam ex Scripturâ non poſſe conſtrui, at quid hoc ad nos, qui aſſerimus Phyſicam ſaltem aliquam eſſentialiter totam, quæ mundum, ejus præcipuas partes, cauſas, rerum effectus, præcipuas itidem affectiones explicet.*

Reſp. 1. Hoc vero contra Danæum imprimis facit, qui eo ſenſu Phyſicam ex Sacris Scripturis voluit petere, quo alii integram Phyſicam, ut Timplerus, Magyrus in Syſtemata reduxerunt. An vero hoc contra te eſſet facturum, nec ne, ſomniare non potui, qui tuam ſententiam nunquam cognoveram. Si ex Scriptura Scientia Phyſica, vel cognitio rerum naturalium Philoſophica, etiamſi non omnium, ſaltem præcipuarum poſſet hauriri, adducendi loci Scripturæ eſſent, in quibus rerum naturalium cauſæ proximæ atque interior earum conſtitutio explicetur, quod fieri non poteſt.

LXXXIX. Exc. 2. M. p. 256. *At ubinam tradit veſter Philoſophus cauſam caloris in igne, proximam & propriam in ſole? humectationis in Luna, frigoris in nive? cedo cur Sol lucem habet inſitam, reliquæ ſtellæ ſecundum vos nequaquam. Millenas ejuſmodi quæſtiones Philoſophis veſtris proponere vel ruſticus nullo negotio poſſet.*

Reſp. Hic homo nec legitimè poteſt (quod ruſticum poſſe ait) quæſtiones proponere Philoſophis, & oſtendit quam parum ſit verſatus in Carteſio, contra quem tamen audet inſurgere. Ignis & Caloris natura ſufficienter explicatur à Philoſopho Princ. IV. art. 29. & ſeqq. item 80. ad 117, nec Calor ab Igne differt, ſed eſt ejuſdem eſſentiæ: Calor enim eſt motus ille particularum primi elementi, qui Ignem conſtituit. Eadē ratio Solis, quem Carteſius Part. III. aliique flammā eſſe demonſtrârunt. Itaq; non debet quæri, quænā ſit Caloris in Igne vel Sole cauſa, ſi de externâ id accipias, quemadmodum nec quæritur, quæ ſit cauſa humanitatis in homine &c. Humectatio *in Luna* nulla eſt, ſed à Luna procedit, eſtque in rebus humectatis, ac multis modis tùm à Lunâ tum ab aliis cauſis poteſt produci. Frigus ſive quies particularum in Nive facile explicatur. Vide Meteor. cap. 1. art. 7. Quare Sol & Stellæ lucem habeant inſitam, Planetæ non item (qui hic cum ſtellis confunduntur) explicat art. 55. & ſeqq.

ſeqq. Pp. p. III. Millenas ejuſmodi quæſtiones explicuit vel ſaltem ſufficientia præbuit fundamenta, quarum ne una quidem ex vulgaribus Scholaſticorum Principiis, Materiâ & Formâ, Qualitat. & ſimilibus potuit hactenus explanari.

XC. Status autem controverſiæ, ſi recte expendatur (nimirum quæri, *An ſcientifica cognitio rerum naturalium, etſi non omnium ſaltem multarum, ex quibus corpus Phyſicum poſſit conſici ex S. Scriptura hauriri poſſit*, quod nego,) concidunt ea, quæ porro habet M. p. 256. Reliqua quæ reperiuntur p. 257. ſunt meri coccyſmi, & falſæ hypotheſes, mihi attributæ, quaſi ego ſtatuam, *Deum de rebus naturalibus loquentem non eſſe veracem, Scripturam erroribus vulgi ſcatere, Cœlum eſſe magnitudine immenſum*, (ſi hoc intelligas abſolutè) cum dicam illud definiri non poſſe &c. quæ ampliori refutatione non habent opus. Cum itaque Inſtitutio Philoſophica de rebus naturalibus ad fines Scripturæ non tantùm non requiratur, ſed etiam expreſſe à Scripturæ inſtituto removeatur, cum Deus ab iis ſcriptoribus ſacris, qui Philoſophica rerum cognitione pollebant, quales Moſes & Daniel, nihil eam concernens voluerit conſcribi, & quæ à Salomone ſcripta ſunt, intercidere fuerit paſſus, iis alibi non ſuppletis, cumque tandem ſpecimina rerum naturalium ex Scriptura adducta, ad Philoſophicam earum cognitionem non ſpectent (prout demonſtratum) quis porrò dubitabit, quin Philoſophica rerum naturalium cognitio non ex ſacris literis, ſed ex lumine naturæ debeat hauriri?

CAPUT VIII.

Objectiones in contrarium adductæ ſolvuntur & refutantur.

XCI. Initium facimus à ſeqq. in quibus mixtæ ſunt exceptiones ad noſtra argumenta objectionibus, ad eaque conjuncta breviter reſpondebimus. (L. p. 189.) 1. *Præcipuum Theologiæ opus eſſe, Dei cognoſcendi & colendi, hominiſque ad æternitatem beatæ vitæ perducendi, præcepta tradere non negamus.* 2. *Sed & licere Spiritui Sancto uti argumentis, à rebus vel naturæ vel artis petitis, ad hominem perſuadendum, convincendum, niſi velimus cum ratione inſanire, fateamur.* 3. *Deinde cœli & terræ machina, & utriuſque operationes ad Dei notitiam fine ſuo deducunt: quare quæ à ſe, eadem & ex ſe inſtrumenta notitiæ divinæ perſuadendæ generare apta ſunt.* 4. *Quid quòd ancillæ*

cillæ miniſterio uti nemo prohibetur: Quare nec Philoſophiâ Theologia. 5. Vel oblectamenti gratia, & lectoris in ſacrorum librorum evolutione detinendi, permiſſum eſt Spiritui Sancto in res in rerum natura contentas excurrere. 6. Tempore, quo Moſes & qui mox eum ſecuti ſcripſere, nullos apud Hebræos Philoſophiam profeſſos veriſimile eſt. Voluit ergo Deus populum ſuum, ne craſſa rerum caligine premeretur, de quibuſdam naturæ occultis in ſacris literis admonere, cæteris experintiæ & ſenum denunciationi relictis. 7. Nemo Homero, Poëtæ & rerum bellicarum ſcriptori vitio vertit, Geographiæ & aliarum artium fines invaſiſſe. Et hoc antiquiſſimo operum, quodque Deum ipſum auctorem habet, non licebit, quod Poëtæ fabularum conditori licuit? Et paucis interjectis. *Age verò in rerum naturalium judicio ferendo, Deus homines opinioni ſuæ reliquerit, nec calamum ſcribentium hac in parte direxerit. Nullius ergo Judicii fuiſſe Salomonem ſtatuendum eſt, cui Deus disertis verbis ſapientiæ omnes homines excedentis teſtimonium ultrò dedit? nec id in populo tantum judicando: ſed & in naturæ obſcuritate evolvendâ, 1 Reg. IV. Quid Davidem? Quid Prophetas? fungoſne fuiſſe & rerum humanarum aut naturalium omni cognitione exutos arbitramur? Præſertim otio abundantes & ingenii ſagacitate propter ſitum locorum & cœli temperiem, vel Græcis & Italis, ne dum Germanis & Gallis longè præcellentes. Suam igitur vel imperitiam vel judicii iniquitatem produnt, qui ejus affrictione ne quidem ſacra maculare erubeſcunt.*

XCII. Reſp. 1. Circa primum inter nos convenit. 2. nec negamus ſecundum: quæritur tantum, an in talibus argumentis à natura deſumtis neceſſe ſit, ut Sp. S. innitatur ſubtilioribus, & accuratioribus effatis Philoſophicis, à veritate rerum naturalium accuratâ & interiori earum conſtitutione derivatis, an vero ſufficiat ea ſuperſtruere vulgari earum cognitioni? nos poſterius aſſerimus & ſuo loco probavimus. 3. concedimus itidem, per res naturales, per Cœli & Terræ machinam nos deduci ad Dei notitiam, ſed viciſſim dicimus, ad id ſufficere cognitionem vulgarem, qualis per ſenſus à quovis haberi poteſt, quamvis non negemus, quo penitius natura rerum habetur cognita, eo plura argumenta ſuppeditari ad potentiæ, ſapientiæ & bonitatis divinæ cognitionem. 4. Nec quartum nobis repugnat. Utatur Theologia Philoſophiâ ut ancilla, ſed propterea non opus eſt, ut vel Scriptura Philoſophiam doceat, vel de rebus naturalibus accuratè loquatur. Sed Theologus, qui ex Scripturâ fundamenta fidei ſuæ hauſit, ex Philoſophiâ Objectionibus Adverſariorum, quas ſpecie rationis obvolvunt ſatisfaciat, utatur eâ ad Illuſtrandum & ſimilia. quamvis propter uſum quem præbet Theologiæ non magis Philoſophia Theologiæ ancilla vocari debet, quàm vel Medicina vel Ju-

Digitized by Google

Juriſprudentia, vel etiam Theologia, quia Philoſophiæ inſervit & utilis eſt, nomine ancillæ inſigniri meretur. Quòd ſi huic modo argumentandi ſemel aperiatur feneſtra, poteris facile hoc nomine quævis tui cerebri figmenta Scripturis tribuere. Exemplo inter alia ſit Oleaſter, qui quoniam voluit ex Gen. VII. 11. aquas ſupercœleſtes probare, hoc modo contrarium ſentientium argumenta conatus eſt diluere: *Taxandi ſunt, qui potius Sacram Scripturam Philoſophiæ regulis ſubdere, quàm, ut magis decet, Philoſophiam tanquam ancillam illi deſervire.* 5. Non quæritur quid permiſſum ſit Spiritui Sancto, ſed quid ipſe ſapienter facere velit. Suo loco vidimus ex celeberrimis Theologis, quod nolit rudioribus remoram injicere, per iſta ſubtilia Philoſophica, quæ non intelligant. Ergò nulla eſſet cauſa, quare potiorem haberet rationem doctorum, ut eos oblectet, quam rudiorum, ne eos turbet. 6. De ipſo Moſe ſuperius vidimus, quod ille fuerit eruditus omni ſapientiâ Ægyptiorum. Sed vir antiquitatis & hiſtoriarum, ut ſibi videtur, periti ſſimus ex Joſepho Antiquit. 1. cap. 3. diſcere potuiſſet, Sethi poſteros duas columnas erexiſſe, alteram lapideam, alteram lateritiam, quibus artes à ſe inventas inſcripſerant. Item ex cap. 9. Abrahamum docuiſſe Ægyptios Aſtronomiam & Arithmeticam, & ſic has artes primò à Chaldæis ad Ægyptios, ab his vero tandem ad Græcos traductas. Simile quid Joſephum Ægyptiis præſtitiſſe veriſimile eſt, eumque eſſe, quem Diodorus Siculus Hermem vocat, id eſt, interpretem, quem tradit diſciplinas apud Ægyptios arteſque reperiſſe. Quod ſi vel ſolum Polydorum Virgilium inſpexiſſet, ex eo lib. 1. cap. 16 diſcere potuiſſet, Philoſophos Græcorum Phiſophiam à Judæis accepiſſe, idque ab Euſebio in II. de præparatione Euangelicâ pleniſſimè demonſtrari. Ex his igitur inter ſe collatis, quia Philoſophia inter Sanctos Patriarchas viguerit, à quibus Iſraëlitæ ſunt orti, ita ut ab iis demum Ægyptii & per eos aliæ gentes acceperint, quia Græci Philoſophi à Judæis acceperint, ipſeque Moſes in ea fuerit inſignis, colligere debuiſſet, longè veriſimilius eſſe, fuiſſe tempore Moſis eorumque, qui eum ſecuti ſunt, apud Hebræos Philoſophiam profeſſos, quàm nullos tales fuiſſe. Et cum Deus æquè librum Naturæ & Lumen Naturæ hominibus iſtorum temporum ac nobis conceſſiſſet, præterea etiam inſignes doctores inter eos excitaſſet, non opus fuiſſe, ut arcana Philoſophica in ſacris traderet, quæ ad alium ſcopum dirigebantur, ſed ſufficere ipſis debuiſſe, quod media prædicta largitus fuiſſet. 7. Ad ſeptimum annoto, neminem hoc Deo vitio vertere, ſi voluiſſet Philoſophiam in ſacris literis tradere, ſed tùm procul dubio fuiſſe eam demonſtratu-

ſtraturum longe evidentius per cauſas rerum naturalium interiores, quàm ab ullo homine fuit factum. Dein Salomoni ſapientiam non negamus, ſed ab eo deſcriptam ſapientiam non exſtare amplius, oſtendimus. Nec etiam Davidem & Prophetas deſtitutos rerum naturalium cognitione fuiſſe aſſerimus, ſed illam ſapientiam ſuam totam in ſacras literas retuliſſe negamus. Ex quibus lectori Judicioſo patebit, utri imperitiam ſuam vel Judicii iniquitatem prodant, num illi, qui ipſâ re edocti, Scripturam de rebus naturalibus loquentem formulis uti receptis, veritatem non nudam ſed ad homines relatam exprimentibus, contendunt, neque Phyſicam ex ſcriptura petendam concedant, num adverſarius, qui ſine ulla ratione eos arguit macularum ſacris literis affrictarum.

XCIII. Sequuntur nunc aliæ Objectiones magis diſtinctæ & ab invicem ſeparatæ. Prima eſt Danæi, qui Phyſicæ Chriſtianæ cap. 3. contra hanc ſententiam inſurgit, quorum ſumma huc redit: *Qui eſt artifex mundi, omniumque in eo creaturarum, ille optimè omnium poteſt de eo loqui. Quis enim melius de opere ſuo loqui poteſt, quam ipſe ejus artifex? Quis melius omnium rerum cauſas, momenta, effecta, exiſtendi modos & tempora quæ fuerint, ſcit & novit, quam qui ipſe eorum omnium eſt Auctor & perpetuus Adminiſtrator? At Deus eſt artifex mundi &c. Ergò ille potius audiendus, quam Philoſophi etiam præſtantiſſimo ingenio præditi, cum illi ſæpe pugnantia & veritati contraria doceant & docuerint.*

XCIV. Reſp. 1. Abſit ut omniſcientiam Dei in dubium revocemus, è contrario certiſſimè perſuaſi, Deum non tantum harum rerum, quas ipſe creavit, rationes habere perſpectas, ſed etiam omnium poſſibilium, quæ revera ſunt infinita; ſed non quæritur quid Deus cognoſcat, ſed tantum quid nobis voluerit in ſuo verbo revelare? non autem voluiſſe eum rerum naturalium interiorem naturam ibi explanare, jam ut reor ſatis ſuperque demonſtratum dedimus. 2. non præferimus Philoſophos Deo, aut eorum philoſophemata ſacris oraculis, ſed dicimus, eum qui ſcientiam Phyſicam acquirere allaborat, eam fruſtra ex verbo Dei petere, non ad hanc rem inſpirato, neque accuratè & ſcientificè de rerum natura loquente, ſed eam quærere debere per lumen Naturæ, quod Deus in hunc finem dedit: neque ſtatuimus, debere hominem quorumvis Philoſophorum ſequi auctoritatem, cum ſcientiam intendamus acquirere, non fidem humanam, ſed volumus ſapientiæ ſtudioſum attendere ad κοινὰς ἐννοίας, ad notitias menti inſitas, eaſque cum rebus ipſis conferre, atque ita vel proprio Marte aliquid inde educere, vel alios educentes & demonſtrantes audire, quibus tamen aſſenſum non debeat

Digitized by Google

debeat præbere, niſi id quod dixerint clarè demonſtraverint.

XCV. Secunda Objectio à Danæo in eodem capite profertur, & in ſummam collecta huc redit: *Heb.* XI. 3. *legimus: Per fidem intelligimus compactum fuiſſe mundum verbo Dei, Ergo fide intelligimus mundum atque creaturas, quæ ſunt in mundo. Quod ſi fide: Ergo per Sacram Scripturam, nec enim fides ſine illâ eſſe poteſt.*

XCVI. Reſp. Plus concluditur, quàm fuit in præmiſſis. Concedimus libenter, nos fide intelligere, compactum fuiſſe mundum, id eſt, ex nihilo ſolo Dei nutu omnia fuiſſe creata. At aninde inferre licet? Ergo etiam fide intelligimus omnium rerum interiores naturas, cauſaſque proximas quarumvis proprietatum & effectuum. Rerum itaque exiſtentiam ex creatione cognoſcimus, & res omnes ad Deum tanquam auctorem ſuum referimus, ſed eſſentiam & naturæ interiorem conſtitutionem aliunde debemus cognoſcere.

XCVII. Pergit idem Danæus tertio loco objicere: *Moſes ille qui Dei juſſu & præcepto mundi hujus & originis rerum omnium præclaram illam & verè admirabilem hiſtoriam conſcripſit, aut vanus erit aut mendax, ſi Phyſica cognitio Scripturâ Sacrâ non continetur. Quid enim aliud agit, quàm ut ortum rerum, earumque vires, naturas & effecta, id eſt Phyſicen, breviſſime quidem, ſed tamen veriſſime & ordine explicet?*

XCVIII. Reſp. 1. Quodnam Moſis fuerit inſtitutum ſuperius vidimus. 2. concedimus, ex Moſe hiſtoriam Creationis eſſe petendam, ab eoque diſcendum, quænam ſit omnium rerum Prima Cauſa & Univerſalis, & eâtenus Scripturam ad Phyſicæ cognitionem prodeſſe largimur, ſed cum præter hæc multa alia, cauſæ nimirum particulares proprietatum omnium & effectuum, cognoſcenda ſint ei qui Phyſici nomen vult ferre, quorum explicatio in Scripturis non habetur, uti oſtenſum, illa certè aliunde, id eſt, ex lumine naturali ſunt petenda. 3. Si Phyſicam in concreto ſumas, pro compendio aliquo Phyſico, qualia multa habentur, in quo non continentur, niſi quidam rerum naturalium catalogus, cum paucis quibuſdam deſcriptionibus potius quam definitionibus, quibus quædam etiam diviſiones ſint conjunctæ, poſſumus concedere, quod Moſes Phyſicen explicet ordine: ſed ſi Phyſica ſumatur in abſtracto, pro certâ & indubiâ ſcientiâ proprietatum & effectuum per cauſas proximas & immediatas, uti à nobis ſumitur, & in hac quæſtione ſumi debet, negamus eam apud Moſen reperiri.

XCIX. Quarto loco profert dictum *Prov.* 8. *cap.* 22. *& ſeq. ubi omnia per ſapientiam Dei & condita eſſe, & poſtea per eundem, ut ſunt condita dicuntur conſervari.*

Reſp.

Reſp. Filium Dei, ſubſtantialem, ſive eſſentialem Dei ſapientiam æque noſſe omnium rerum naturas ac Patrem, easque intime habere perſpectas, nulli dubitamus. At eum in Scripturam ſapientiam hanc retuliſſe, in eaque res naturales accuratiſſime explicaſſe, magnum eſt poſtulatum, quod nondum vidimus probatum.

C. Quinto opponit loca *Apocrypha Eccleſiaſtici* 42, 17. *& lib Sapientiæ* 7, 22. Reſp. Sed in loco Eccleſ. non dicitur, quod Deus ſanctos ex ſcriptura erudiverit de rebus naturalibus, ſed tantum quod fecerit eos enarrare mirabilia ſua, quod utique nobis non obeſt. In libro ſap. verò docetur tantum, quod ſapientiæ inſit ſpiritus intelligens, ſanctus &c. At quid hoc confirmet ſententiam oppoſitam non apparet.

CI. Tandem Sexto loco *objicit authoritates Irenai, Baſilii, Ambroſii, Chryſoſtomi, & Tertulliani.* Sed Reſp. breviter 1. nos quidem antehac uſi fuimus auctoritate, ſed non aliter ac argumento ad hominem, quod ſciamus, illos cum quibus nobis eſt negotium auctoritate duci: ſed quia ipſi. net parum tribuimus auctoritati humanæ, cui videmus refragari lumen naturæ quod ſequimur, argumentum tale apud nos non eſt magni ponderis. 2. Patres in citatis locis à Danæo docent, neceſſarium eſſe, ut ex ſcriptura Creationis cognitionem hauriamus, item ut ex illa cognoſcamus cauſam mundi efficientem ſupremam ejusque finem ultimum: oſtendunt itidem, mundum non ex ullâ præexiſtente materia eſſe creatum, ſed non docent rerum naturalium cognitionem quoad cauſas internas, proximas, interioremque conſtitutionem & ſimilia, adeoque Phyſicam ſcientiam ex Scriptura hauriri poſſe.

CII. Aliæ nunc ſequuntur Objectiones. Sit ergo Septima. *Si Phyſica non eſt ex Scriptura petenda: E. nullus uſus erit Phyſicæ in Theologia. Atqui eſt uſus quidam, ut ferè omnes concedunt. E.*

CIII. Reſp. 1. Majoris Connexio eſt nulla. Similiter enim poſſem inferre: ſi Phyſica non eſt petenda ex Ethica: E. Phyſicæ nullus eſt in Ethica uſus, cum tamen cognitio ſubjecti Ethicę, hominis ab ea informandi aliquatenus prærequiratur, uti ſunt paſſiones quędam naturales. Etſi itaque Theologia Philoſophiam non doceat, ejus tamen cognitionem præſupponit in aliquibus, ſaltem in generalibus: ex. gr. ut cognoſcamus differentiam naturæ corporeæ & ſpiritualis &c. At poteſt Theologiæ cognitio conſiſtere cum ignorantiâ circa particularia & deceptione ſenſus circa illa: ex. gr. Terræ motum ſive delationem ignorare quis poteſt & tamen bonus eſſe Theologus. 2. non quidem eſt cognitio Phyſicæ neceſſaria ad τὸ εἶναι: ſed utilis ad τὸ εὖ εἶναι: ita quis nomen Theologi obtinere

nere poteſt, ſed non Diſputatoris ſubtilis ac accuratiſſimi in Theologicis, ſi omni Phyſicæ cognitione ſit deſtitutus, quia hæc ſæpe requiritur ad deſtruenda fundamenta adverſariorum Phyſica abutentium. 3. à Scriptura ad Theologiam non licet argumentari: illa enim quid ſtrictius eſt, hæc aliquid latius: nam in Theologia etiam reperias argumenta, ſaltem ſecundaria, præter ſcripturam ex ratione depromta: in Theologia invenies refutationes objectionum ex phyſica deſumtarum, quo in caſu Phyſicæ cognitio multum poteſt prodeſſe.

CIV. Objectionem *Octavam* ex Valleſio proferimus: *Si nulla alia ratione certi aliquid haberi poteſt de rebus Phyſicis: E. id ex ſcriptura petendum: ſed verum eſt prius, cum tot diſſentientes Philoſophorum reperiantur ſententiæ: E.*

Reſp. Minorem non concedent Philoſophi, qui ex Ariſtotele & Scholaſticis, neſcio quos theſauros colligi poſſe putant. Sed nos erimus liberaliores. Concedimus, ſi vulgari procedendi modo utamur, non innitentes certioribus Principiis, quam materiæ primæ, formis ſubſtantialibus, Qualitatibus Realibus, Auctoritati Ariſtotelis, Thomæ, Scoti & aliorum, vix quicquam certi poſſe reperiri; quod ipſa experientia docuit eos, qui non præjudiciis mentem habuerunt occupatam: at non itidem negandum, certi aliquid haberi poſſe, ſi viâ rectâ incedens & Principiis firmis innixus ad rerum naturalium cognitionem tendas, ſi ſtudeas, ut habeas conceptus diſtinctos, confuſos ejicias & reformes; ſi communibus notionibus rectè attendendo iis conſectaria ſuperædifices, nihilque judices, niſi de quo clara perceptio præceſſerit. Ita certi non aliquid, ſed multum inventum eſſe accuratæ demonſtrationes Carteſii loquuntur, & plura inveniri poſſe, ſi ſimili viâ procedas, non deſperandum.

CV. Obj. Nona (B. p. 16.) *Varia de rebus naturalibus aguntur in Pſalmis & Iobo.*

Reſp. afferri oporteret aliquam demonſtrationem proprie dictam & Philoſophicè ſcientificam explicationem ex ſcriptura, cum de eâ quæſtio exiſtat, non verò in generalibus hærendum, cum non negem multa naturalia incidenter in ſcriptura tradi, quatenus faciunt ad Dei ſapientiam, bonitatem & potentiam agnoſcendam & celebrandam, ſed nego, ex illis cognitionem ſcientificam hauriri poſſe.

CVI. Object. Decima (H. p. 200.) *Quicunque nos ſua verè docet opera, ille rerum naturalium aliquarum nudam veritatem manifeſtare vult. Atqui Sp. Sc. &c.*

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Hæc mihi non contrariantur, cum quæſtio non exiſtat, An Sp. S. aliquam nudam veritatem rerum naturalium doceat, *qualis etiam per communem notitiam haberi poteſt*, *ſed an accuratam talemque*, ex qua cognitio ſcientifica haberi poſſit. Videat Lector ſtatus Controverſiæ conſtitutionem art. 30.

CVII. Obj. Undecima. (H. p. 200.) *Quicunque de rebus naturalibus aliquando loquitur ex rei veritate, ille nudam quoque rerum naturalium veritatem manifeſtat: At Sp. S. ſecundum te aliquando loquitur ex rei veritate: E.*

Reſp. Spiritum Sanctum uti aliquando talibus formulis, quæ nudam veritatem exprimunt, omnino dico, ſed tum nuda illa veritas talis eſt, quæ per communem notitiam cognoſci poteſt; ſed quæſtio eſt, An ſcriptura de rebus naturalibus talem veritatem manifeſtet, ex cujus cognitione ſcientia gignatur, quod nego.

CVIII. Obj. Duodecima (H. p. 202.) *Nonne docuit Sp. S. motus Solis & Lunæ diſtinctionem, coordinationem, viciſſitudinem, paſſiones &c.*

Reſp. Quicquid de iis docuit id omne ad nòtitiam communem referendum eſt, non Philoſophicam & Scientificam: motum verò ſolis realem docuiſſe Sp. S. in ſcripturis conſtanter nego.

CIX. Obj. Tertia decima (H. p. 202.) *Docuit Sp. S. Thubalkainum metalla fundere, Salomonem loqui de beſtiis, Hyſſopo &c. Danielem inſtruxit ſapientia &c.*

Reſp. Id nihil ad rem; quæſtio enim eſt de Scriptura: An in ſcriptura nobis voluerit manifeſtare cognitionem rer[illegible] naturalium ſcientificam: non verò, an Spir. ſanctus ſit auctor iſtius luminis, quo Moſes, Salomon, Daniel aliique obtinuerunt rerum naturalium cognitionem ſcientificam, quod libenter concedo.

CAPUT IX.

Carteſii ſententia de Mundi extenſione & Magnitudine proponitur.

CX. Ex his latè fuſéque diſputatis manifeſtu[illegible]or evadet, oleum & operam perdere, qui in ſcripturâ quærentes quod non ineſt, quodque Deus ei inſerere noluit, ex eâ cognitionem rerum naturalium Philoſophicam cap. 1, deſcriptam ſe conſequi poſſe putant: Atque è

Digitized by Google

contrario rectè facere eos, qui ad lumen naturale confugientes, (quod Deus omnibus hominibus conceſſit, ut eo ſi rectè utantur, non tantum ab errando ſibi caveant, ſed etiam veritatem multarum rerum aſſequantur,) attendunt ad notiones menti inſitas, adque Principia prima & maxime evidentia, ex iiſque per manifeſtas conſequentias gradatim inſtitutas, innitentes clare & diſtincte antea cognitis, rerum naturalium cognitionem accuratam & interiora aperientem acquirunt.

CXI. Id Carteſium feciſſe loquuntur ſcripta ejus Philoſophica & in ſpecie Phyſica, in quibus mille veritates clare retectas & demonſtratas reperiri, fruſtra reclamantibus adverſariis, nobiſcum cognoſcunt omnes, quibus ea oculis mentis ab affectibus & præjudiciis expurgatis inſpicere licet. Specimen ejus circa Syſtema Mundi & Ordinem atque ſitum Corporum Mundi præcipuorum hic damus, quod in ſeqq. planius exponere & explanare, atque contra antagoniſtarum inſultus defendere conſtituimus..

CXII. Is ergo de Quantitate & Extenſione Mundi ſic æſtimat. Infinitatem ſoli Deo reſervat, propterea quod non tantùm in ipſo nullos limites agnovit, ſed etiam *poſitivè nullos eſſe* intellexit. Quoniam verò Mundi tantam reperit in ſe ideam, ut, quoſcunque fines & terminos ei aſſignet, ſemper ultra eos ſpatia extenſa concipere oporteat, & ſic ſub aliqua conſideratione nullum finem in ipſo reperiat, eum *Indefinitum* cenſet habendum & dicendum.

CXIII. Hanc ejus eſſe ſententiam liquet ex ſeqq. locis inter ſe ita comparatis, ut obſcuriores per clariores, prout convenit legitimo Interpreti, explicentur. Eos prout in ipſius ſcriptis ordine occurrunt proponemus, atque à detorſione Adverſarii liberabimus. Primus locus eſt Princip. I. art. 26. & 27. *Ita nullis unquam fatigabimur diſputationibus de infinito: Nam ſane cum ſimus finiti, abſurdum eſſet, nos aliquid de ipſo determinare, atque ſic illud quaſi finire ac comprehendere conari. Non igitur reſpondere curabimus iis, qui quærunt, an ſi daretur linea infinita, ejus media pars eſſet etiam infinita; vel an numerus infinitus ſit par anvè impar, & talia; quia de iis nulli videntur debere cogitare, niſi qui mentem ſuam infinitam eſſe arbitrantur. Nos autem illa omnia, in quibus ſub aliqua conſideratione nullum finem poterimus invenire, non quidem affirmabimus eſſe infinita, ſed ut indefinita ſpectabimus. Sic quia non poſſumus imaginari extenſionem tam magnam, quin intelligamus adhuc majorem eſſe poſſe, dicemus, magnitudinem rerum poßibilium eſſe indefinitam. Et quia non poteſt dividi aliquod corpus in tot partes, quin ſingulæ adhuc ex his partibus diviſibiles intelligantur, putabimus quantitatem eſſe*

eſſe indefinite diviſibilem. Et quia non poteſt fingi tantus ſtellarum numerus, quin plures adhuc à Deo creari potuiſſe credamus, illarum etiam numerum indefinitum ſupponemus; atque ita de reliquis. art. 27. *Hæcque indefinita dicemus potiùs quam infinita; tum ut nomen infiniti Deo reſervemus, quia in eo ſolo, omni ex parte, non modo nullos limites agnoſcimus, ſed etiam poſitive nullos eſſe intelligimus; tum etiam quia non eodem modo poſitive intelligimus, alias res aliquâ ex parte limitibus carere, ſed negative tantum eorum limites, ſi quos habeant, inveniri à nobis non poſſe confitemur.*

CXIV. Secundus locus eſt P. II, 21, 22. *Cognoſcimus præterea hunc mundum, ſive ſubſtantiæ corporeæ univerſitatem, nullos extenſionis ſuæ fines habere. Ubicunque enim fines illos eſſe fingamus, ſemper ultra ipſos aliqua ſpatia indefinite extenſa, non modo imaginamur, ſed etiam vere imaginabilia hoc eſt realia eſſe percipimus; ac proinde etiam ſubſtantiam corpoream indefinite extenſam in iis contineri. Quia, ut jam fuſe oſtenſum eſt, idea ejus extenſionis, quam in ſpatio qualicunque concepimus, eadem plane eſt cum idea ſubſtantiæ Corporeæ.* §. 22. *Hincque etiam colligi facile poteſt, non aliam eſſe materiam cœli quam terræ atque omnino ſi mundi eſſent infiniti, non poſſe non illos omnes ex una & eadem materia conſtare; nec proinde plures, ſed unum tantum eſſe poſſe: quia perſpicue intelligimus illam materiam, cujus natura in eo ſolo conſiſtit, quod ſit ſubſtantia extenſa, omnia omnino ſpatia imaginabilia, in quibus alii iſti mundi eſſe deberent, jam occupare: nec ullius alterius materiæ ideam in nobis reperimus.*

CXV. Tertius locus eſt Princ. III. 1, 2. *Inventis jam quibuſdam Principiis rerum materialium, quæ non à præjudiciis ſenſuum, ſed à lumine rationis ita petita ſunt, ut de ipſorum veritate dubitare nequeamus, examinandum eſt, an ex iis ſolis omnia naturæ phænomena poſſimus explicare; Incipiendumque ab iis, quæ maxime Univerſalia ſunt, & à quibus reliqua dependent; nempe à generali totius hujus mundi adſpectabilis conſtructione. De qua ut recte philoſophemur, duo ſunt imprimis obſervanda: Unum, ut attendentes ad infinitam Dei potentiam, & bonitatem, ne vereamur nimis ampla, & pulchra, & abſoluta ejus opera imaginari; ſed è contra caveamus, ne ſi quos forte limites, nobis non certo cognitos, in ipſis ſupponamus, non ſatis magnifice de creatoris potentia ſentire videamur.* §. 2. *Alterum, ut etiam caveamus, ne nimis ſuperbe de nobis ipſis ſentiamus. Quod fieret non modo, ſi quos limites, nobis nulla cognitos ratione, nec divina revelatione, mundo vellemus affingere, tanquam ſi vis noſtræ cognitionis, ultra id quod à Deo revera factum eſt, ferri poſſet; ſed etiam maxime, ſi res omnes propter nos ſolos ab illo creatas eſſe fingeremus; vel tantum, ſi*

Digitized by Google

ſines, quos ſibi propoſuit in creando Univerſo, ingenii noſtri vi comprehendi poſſe putaremus.

CXVI. Quartus locus eſt P. III. 29. fin. *Ac deinde, juxta uſum vulgi, non eſt cur Fixas conſideret ut immotas, potius quam terram, niſi quod putet, ultra ipſas non eſſe ulla alia corpora, à quibus ſeparentur, & quorum reſpectu dici poſſint moveri, terra autem quieſcere, illo ſenſu, quo dicit terram moveri reſpectu Fixarum. Atqui hoc putare à ratione eſt alienum; cum enim mens noſtra ſit talis naturæ, ut nullos in mundo limites agnoſcat, quiſquis ad Immenſitatem Dei, & ſenſuum noſtrorum infirmitatem attendet, æquius eſſe judicabit ſuſpicari, ultra illas omnes ſtellas Fixas quas videmus, forte eſſe alia corpora, ad quæ comparata terra quieſcere, ipſæ autem omnes ſimul moveri dici poſſint, quam ſuſpicari nulla poſſe talia eſſe.*

CXVII. Circa primum locum reprehendit (R. St. p. 83.) quòd *Carteſius ſuam ſententiam involvat tanta arte ut qui eum ſolum legerit, facile Carteſium ab omni errore ſit abſoluturus, ſed ſerio expenſum nihil continere præter meras tergiverſationes, prævaricationes, & propriæ opinionis everſiones. Primum enim* κρησφύγετον, inquit, *eſt in diſtinctione* Infiniti & Indefiniti. Infinitum *ei id, in quo omni ex parte nulli limites ſint;* indefinitum, *quod non habet extenſionem tam magnam, quin majorem habere poſſit (id quod vulgo dici ſolet Infinitum* συγκατηγορηματικῶς *ſive potentiale) & vult videri hoc unum Mundo tribuiſſe, non autem illud. Alterum eſt, in diſtinctione* intellectionis poſitivæ à negativâ; illam *eſſe, cum in re aliqua intelliguntur nulli limites eſſe,* hanc, *quâ rei alicujus limites, ſi quos habet, inveniri à nobis non poſſe confitemur, & hanc ſe, non alteram menti noſtræ adſcripſiſſe videri vult.*

Reſp. Diſpiciamus igitur, num monſtrante Adverſario illas tergiverſationes & propriæ opinionis Carteſii everſiones videre poſſimus. Carteſius P. I art. 27. Infinitum ita deſcribit: *In quo omni ex parte, non modo nullos limites agnoſcimus, ſed etiam poſitive nullos eſſe intelligimus.* Indefinitum *vero* P. I. 26. ei eſt, *In quo ſub aliqua conſideratione nullum finem poſſumus invenire;* unde apparet, quam fideliter hic ſententia Carteſii fuerit relata. Nam definitio Indefiniti adducta, eſt tantum particularis alicujus Indefiniti, non omnis: at Carteſii eſt generalis. Ita quidem quoddam Indefinitum eſt, quod non habet extenſionem tam magnam, quin majorem habere poſſit, ſed tale non eſt omne Indefinitum, cum etiam alia dici poſſint Indefinita, præterquam quæ extenſionis ſunt participia. 2. Adeoque nec Indefinitum hic ſimpliciter Carteſio idem eſt, quod Potentiale Infinitum, cum hoc illo ſit anguſtius, ita ut omne quidem Potentiale Infinitum ſit Indefinitum, ſed non omne Indefinitum ſit potentiale Infinitum.

Digitized by Google

finitum. Hæc prænotanda fuerunt propter ea quæ ſequuntur.

CXVIII. Inſt. 1. (R. A. p. 61.) *Ex iis quæ ſubnectit Carteſius exemplis patet, eum, quod generalius extulerat, ad particulare hoc Indeſinitum extenſionis videlicet & Magnitudinis reſtringere & quomodo fides hic mea in dubium vocabitur, qui generalitatem illam ad rem de qua agitur contraxi, cum de nullo alio Indefinito hic controvertatur, quam de Mundo & ejus extenſione? ſi mihi hæc loquendi ratio quidquam commodaret, aut incommodaret Carteſio, rationem ſane haberet adverſarius expoſtulandi, nunc tantum nodum in ſcirpo quærit.*

Reſp. Confitetur ergo, definitionem Indefiniti à Carteſio productam eſſe generalem, quod accipimus. 2. exempla adducta à Carteſio ſunt quidem particularia, quæ tamen non ita reſtringunt generale ad particulare, ut illud generale ad plura particularia non poſſit applicari, quemadmodum exempla regulis adjuncta non dicunt, illam regulam in his tantum exemplis locum habere. Ita ergo Indefinitum extenſionis & magnitudinis poſſibilis particulare quidem eſt Indefinitum, quod ſub generali comprehenditur, ſed ita ut non excludatur Indefinitum extenſionis & magnitudinis realis, quale eſt Mundi, qui talis ac tantus eſt, ut in eo nullos limites & fines agnoſcamus, ſed ſuppoſitis quibuſcunque finibus ſemper ulterius adſcendamus, de quo Indefinito hic controvertitur. Sic datur Indefinita diviſio, cujus non tot poſſum ſupponere partes factas, quin intelligam adhuc plures eſſe. Vid. P. II, 35. 3. Multum autem hæc acceptio Indefiniti generalis commodat Carteſio, qui hâc ratione liberatur ab accuſatione, quod latebras in verbis & tergiverſationes quæſiverit.

CXIX. Inſt. 2. (R. A. p. 62.) *Patere, quod Carteſius dicto loco per Indefinitum intellexerit Potentiale Infinitum, 1. quia non alia adducat exempla quam potentialis Infiniti, 2. quia dicat ſimilem eſſe rationem reliquorum, his verbis*; atque ita de reliquis.

Reſp. Carteſ. art. 26. docet, nos de Infinito nihil debere determinare v. g. ſi linea detur infinita, an etiam ejus media pars ſit futura infinita; ſimul oſtendit, quid circa ea ſit faciendum, in quibus nullos limites poſſumus invenire; nempe, non dicendum, ea eſſe Infinita, quoniam hoc non poſſumus intelligere, ſed Indefinita, atque varia adducit exempla eorum, in quibus ſub ulla ratione nullos limites reperire poſſumus, eaque vult dici Indefinita; ac ſic cenſet dicendum de reliquis, in quibus ſub ullâ ratione nullos limites poſſumus reperire. Non autem ſequitur; non adducit alia exempla, quam potentialis Infiniti, ergo non alia ſub Indefini-

to generaliter accepto comprehenduntur. Sufficit, quod talis ſit generalis ejus natura, ut etiam alia exempla particularia ſub eo poſſimus comprehendere.

CXX. Circa ſecundum locum objicitur 1. (R. St. p. 84.) *Carteſius locis antea citatis, non de eo quod eſſe poſsit, egit, ſed quod reverà ſit: mundum, inquam, nullos extenſionis ſuæ fines HABERE, in eo ſpatia REALIA Indefinite extenſa ESSE, & ſubſtantiam Corpoream Indefinite extenſam in iis CONTINERI.* At Indefinitum *illud, (quod impropriè ita vocat) hoc eſt, Infinitum Potentiale, nunquam actu HABETUR, nunquam EST aut EXISTIT. Exemplo ſit diviſio continui in infinitas partes, nunquam ad illas pervenitur, ſed tantum earum numerum aliquem addi POSSE ſignificatur, & hoc modo mundum non ita magnum eſſe fatemur, quin major à Deo fieri POSSIT: ſed & habere eum, & in illo quoque caſu habiturum extenſionis ſuæ limites contendimus. Nec ex hac potentiali Infinitate, ulla mundi AMPLITUDO ſequitur, cum eadem vel minimis corpuſculis conveniat, nullum enim tam parvum eſt, quin minus, nec tam magnum, quin majus fieri poſsit in Infinitum.*

Reſp. Carteſ. P. II. 21. dicit, *COGNOSCIMUS præterea, hunc Mundum ſive ſubſtantiæ corporeæ Univerſitatem, nullos extenſionis ſuæ fines habere:* quæ verba non dextrè accepta obnoxia eſſe potuerunt calumniæ: ſed ſi conferantur cum aliis Carteſii verbis, eorum explicatio erit in promtu. P. III. 29. hanc ſententiam ſuam ita profert, *Cum mens noſtra ſit talis naturæ, ut nullos in Mundo limites agnoſcat.* Et in Epiſtolâ ab ipſo ad Morum Anglum ſcripta ita loquitur. *De Mundi extenſione, de numero partium, in quas materia eſt diviſibilis & ſimilibus, an ſint ſimpliciter Infinita nec ne, profiteor me neſcire, ſcio tantum me in illis nullum finem agnoſcere, atque idcirco reſpectu mei dico eſſe Indefinita.* Repete verba P. I. 27. ubi dicit, *quod in ſolo Deo omni ex parte non modo nullos limites agnoſcimus, ſed poſitive nullos eſſe intelligimus.* Unde patet, verborum P. II. 21. hunc eſſe ſenſum: *Nos in Mundo nullos fines quos habeat cognoſcimus*, quod verum eſt & cum Mente Carteſii convenit. Ergo nulla hic Contradictio. Nam Mundum non vocat Infinitum potentialiter, quemadmodum præcedente articulo intelleximus, ſed Indefinitum, ita ut poſito quocunque termino ejuſdem, ſemper adhuc major Mundus ſit concipiendus. Verum eſt, ad diviſionem continui in *infinitas* partes nunquam deveniri: at diviſionem in *indefinitas* partes actu fieri demonſtravit Cart. Princ. II, 35. Sic omnia, quæ hic de Infinito potentiali declamantur, in fumum abeunt.

CXXI. Atque huic formulæ antehâc verba Carteſii Princip. II. art. 21. æquipollere dixeramus, quod in ſeqq. contra Antagoniſtæ Inſtan-

Digitized by Google

ſtantias tuebimur. Nunc ſi fortè alicui prior hæc æquipollentiâ videatur coactior (accurate expenſis & conſideratis iis quæ ſequuntur) eam ſic explicamus: *Cognoſcimus, hunc mundum nullos extenſionis ſuæ fines, nobis determinabiles, ſive quos nos poſſimus definire, habere.* Ex ſequentibus hoc fit manifeſtum, in quibus ſemper reſpicitur, quid noſtra mens poſſit definire, percipere. *Ubicunque enim fines illos fingamus &c.* Id etiam patet ex art. ſeq. in quo dicitur: *Illam materiam omnia omnino ſpatia imaginabilia* jam occupare.

CXXII. Inſt. 1. (R.A.p. 65.) *quid eſt ad manifeſtam veritatem oculos claudere, ſi hoc non eſt. Haſce duas propoſitiones æquipollere cenſes, nos in Mundo nullos fines poſſumus cognoſcere, & hanc, cognoſcimus Mundum nullos extenſionis ſuæ fines habere. Si ſic ſe res habet, idem quoque valebunt hæ duæ. Nos in Eccleſia Dei nullos Electos poſſumus cognoſcere, & hæc, Cognoſcimus in Eccleſia viſibili nullos eſſe Electos &c,*

Reſp. Dixi has duas propoſitiones eſſe æquipollentes apud Carteſium: Cognoſcimus hunc Mundum nullos extenſionis ſuæ fines habere, &, Nos in Mundo nullos fines quos habeat cognoſcimus, idque probavi ex locis Carteſii paralelis, in quibus ex profeſſo quàm accuratiſſime & commodiſſime ſuos conceptus de Mundi extenſione voluit exprimere. Ex iis enim apparet, Ipſum non Mundum Infinitum ſtatuiſſe, hoc eſt, talem, in quo omni ex parte nullos limites agnoſcimus, ſive poſitive nullos eſſe intelligimus, ſed Indefinitum, in quo aliquâ ex parte nullos extenſionis fines agnoſcamus. Cum ergò hæc verba Carteſii poſſint habere & ſenſum quem adverſarius exiſtimat, & quem ego puto, ſintque ita ambigua, ex locis parallelis quem ſenſum habeant eſt diſpiciendum, quoniam quilibet eſt optimus interpres ſuorum verborum. 2, Sic hæ duæ Propoſitiones, Cognoſcimus hunc Mundum nullum certum numerum hominum ſive electorum habere, &, Nos in Mundo nullum certum numerum hominum, quem habeat, poſſumus cognoſcere, æquivalere poſſunt, ſi id aliunde colligatur, ſicut de Carteſii propoſitionum æquivalentiâ factum eſt.

CXXIII. Inſt. 2. (R. A. p. 66.) *Quod mundum reſpectu ſui Indefinitum dicat, miror eum nuſquam in excuſis libris dixiſſe, quis enim hoc ei non conceſſit? ſed amplius dixit, nempe, ubicunque fines illius eſſe FINGAMUS, ſemper ultra ipſos aliqua ſpatia indefinite extenſa non modo IMAGINAMUR, ſed etiam VERE imaginabilia, hoc eſt, REALIA eſſe percipimus, ac proinde etiam ſubſtantiam indefinite extenſam in iis contineri. quis non videt, non modo reſpectu noſtræ imperfectæ cognitionis Indefinitum dici, ſed vere in ſeſe & realiter &c.*

Digitized by Google

Reſp. Quando Carteſius dicit articulo dicto, ſemper ultra quoſcunque fines in Mundo ſuppoſitos nos percipere ſpatia realia, non negat mundum reſpectu ſui Indefinitum, imò hoc vel maxime affirmat, dum illis ipſis verbis docet, ſe nullos in mundo fines poſſe reperire.

CXXIV. Inſt. 3. (R. A. p. 67.) *At ſi mundus eſt major omni termino, ut dicis, recte dicitur non noſtri tantum reſpectu, ſed in ſeſe & in rei veritate, nullos terminos habere.*

Reſp. Si mundus ſit omni termino major abſolute, tum ſequeretur id quod infert Antagoniſta, ſed major debet concipi omni termino qui à nobis ſupponitur vel fingitur, tum quia hæc eſt ejus idea, tum quia non debemus exiſtimare, nos terminos & fines operum Dei poſſe intelligere.

CXXV. Inſt. 4. (R. A. p. 67.) *Quod ad eundem More ſcribit, an Mundi extenſio ſit ſimpliciter infinita id ſe neſcire, id quoque mirum, nuſquam eum in ſcriptis ſuis quæ publici fecit juris, profiteri, neque convenit hac ignorantia cum ea quam jactavit cognitione.*

Reſp. Id etiamſi non αὐτολεξεὶ dixerit Carteſius in ſuis ſcriptis, tamen dixit verbis æquivalentibus, ſi conferas P. I. 26. & P III. 1, 2. Nam ex priori conſtat, nos, Infinitum aliquid præter Deum eſſe, non debere determinare; ex poſteriori, nos in extenſione Mundi nullos fines poſſe reperire; unde ſane colligitur, nos ignorare an ſint nec ne. 2. quod autem ea quæ nec recta ratio, nec Scriptura determinat, ut in examine argumentorum apparebit, fatear cum Carteſio me ignorare, in eo facio id quod omnes non nimis ſuperbe de ſe ſentientes, nec omnia à ſe definiri poſſe fatentes, facere debent.

CXXVI. Inſt. 5. (R. A. p. 78.) *At Carteſius in Epiſtola ad More inquit, Repugnat conceptui meo, ſive, quod idem eſt, puto* IMPLICARE CONTRADICTIONEM, UT MUNDUS SIT FINITUS *vel* DETERMINATUS. *Si putet hoc implicare contradictionem, ſane putat hoc falſum eſſe, imo nec verum eſſe poſſe. obſerva porro mirabilem deſcriptionem implicatæ contradictionis, qua videlicet id omne contradictionem involvere putatur, quod repugnat conceptui Carteſiano.*

Reſp. Verba Carteſii in epiſtolâ ſecundâ ad More Ep. 69. p. 362. ſic habent: *Repugnat conceptui meo, ſive quod idem eſt, puto implicare contradictionem, ut mundus ſit finitus vel terminatus, quia non poſſum non concipere ſpatium ultra quoſlibet præſuppoſitos mundi fines, tale autem ſpatium apud me eſt verum corpus: nec moror quod ab aliis imaginarium vocetur, & ideo mundus finitus exiſtimetur, novi enim ex quibus præjudiciis error iſte profectus ſit.* Horum

rum poſteriora priora declarant, ita ut ex iis conſtet, Carteſium ſtatuere implicare contradictionem, mundum eſſe *certis* finibus terminatum, eò quòd repugnet conceptui ſuo ſive ideæ, quæ talis eſt, ut ſuppoſitis quibuſcunque mundi finibus ſemper tamen reperiamus ulteriorem extenſionem, non vero ſimpliciter eſſe Finitum, de quo dicit ſe nihil determinare poſſe. 2. Hanc autem eſſe contradictionem, ſi aliquid repugnet conceptui manifeſtum. Quæro enim, quo modo alio cenſeatur implicari contradictio, ſi non in noſtro conceptu, in quo duorum ſibi contradicentium invenitur repugnantia? Vel enim illa Contradictionis implicatio eſt in rebus vel in noſtro conceptu. At in rebus uti nulla eſt falſitas, ita etiam nulla poteſt eſſe Contradictio. Reſtat ergo, ut ea ſit in noſtro conceptu, quando nempe ei repugnat talia ſociare, quæ ſemetipſa evertunt. Rectè itaque Carteſius quod repugnat conceptui ſuo judicat Contradictorium, quemadmodum tu judicare debes contradictorium id quod tuo conceptui repugnat, alius quod ſuo, atque ita Carteſius perceptionem ſive conceptum ſuum proprium regulam ſui non alterius Judicii conſtituit, quemadmodum à quolibet judicare legitimè volente fieri debet.

CXXVII. Inſt. 6. (R. A. p. 67.) *Monſtrandum eſſe vel unicum ſcriptorem, qui Indefiniti vocabulum ita ut Carteſius accipiat, alioqui ſignificationem hanc confictam eſſe non injuria arbitrabimur.*

Reſp. Sufficit oſtendiſſe ex ipſo Carteſio, hunc quem dixi, eſſe hujus vocabuli ſenſum in Carteſii ſcriptis, hoc enim requirebatur ut liberaretur à tergiverſationibus quibus ab adverſario gravabatur.

CXXVIII. Videamus quæ contra alteram Carteſii diſtinctionem 2. objiciuntur (R. St. p. 85.) *Perperam etiam huc trahitur diſtributio Cognitionis in negativam & poſitivam. Neque enim dixerat, mentem noſtram mundi limites,* quos habet, *invenire* non poſſe, *ſed eam* cognoſcere, *mundum limites* non habere, *& ubicunque fines illos* fingamus (*non putat ergo eos vere dari*) *ſemper ultra ipſos ſpatia realia eſſe eam percipere.*

Reſp. Quàm bene adhibeatur à Carteſio diviſio cognitionis in negativam & poſitivam patebit, ſi quis tantum ad ea quæ ſuperius à nobis fuerunt allata attendat, ex quibus perſpiciet, quæ Carteſii mens fuerit, quando dicit, *Cognoſcimus hunc mundum nullos extenſionis ſuæ fines habere.* Nec mirum eſt, quod non putet dari limites mundi, quia non ſtatuit mundum eſſe finitum actu, quod hactenus ſolidis argumentis non fuit probatum. Neque tamen exiſtimat, ipſum abſolutè eſſe infinitum, quia & hoc ratio manifeſta non demonſtrat, aliudque ex ipſius verbis inferri

non poteſt, quàm neſciviſſe, an Mundus aliquos fines haberet nec ne: Sed tædet quæ tam clara ſunt, toties inculcare.

CXXIX. Inſt. (R. A. p. 69.) *Itane vero tanto molimine nihil niſi inſcitiam ſuam Carteſius profiteri voluit? & nihil vel hoc ipſo paragrapho ego in contrarium demonſtravi? &c.* quæ tanquam dicteria prætereo.

Reſp. Duo ſunt de quibus agitur, nempe; 1. an mundus ſit Indefinitus? 2. an ſit Infinitus? poſterius ſe ignorare fatetur Carteſius, & ego cum ipſo, non propter ejus auctoritatem, ſed quia nullas video firmas ab alterutrâ parte rationes. Prius vero demonſtravit firma ratione, & ego ex ipſo. Itaque non magno molimine voluit profiteri ſuam inſcitiam, ſed firma ratione ſuam ſententiam de Mundi Indefinitate. 2. Verum enim vero exinde patet Philoſophica Carteſii modeſtia, qui non voluit cum aliis magiſtraliter definire mundi terminos & figuram, nec de re ignotâ audacter judicare, operaque Dei ſine ratione evidenti limitare & in arctum conſtringere, propter quam potius laudandus quàm reprehendendus.

CXXX. Obj. 3. L. p. 285. *Mundum hunc ſive ſubſtantiæ corporeæ univerſitatem nullos extenſionis ſuæ fines habere, confidenter aſſeverat. ſententiæ notitiam probat à fictione & magnitudine noſtra? Firmo ſcilicet argumento, & ad quævis opinionum monſtra inducenda valido. Sive igitur Mundi appellationem noſtro, id eſt, hominum loquentium uſu accipiat, ſive ſuo extenſionis figmento corporeæ, neutro modo piaculi violatæ veritatis crimine purgatur. Noſtro loquendi modo Mundus pro cœli & terræ complexu, adjuncta Terræ aqua, cœlo, aëre, uſurpatur. hæc definito ſpatio eſſe corpora omnes qui non delirant unanimi voce docuere. Terram in medio quieſcere, cœlum exterius in orbem moveri, etſi non omnium, recepta tamen quam maxime omnium ſententia eſt. Jam ſi cœlum extremitate ſua movetur, extrema ejus poni & fines extenſionis neceſſe eſt. alioqui ne moveri quidem poßit. Taceo, jam nihil rerum humanarum eſſe ullo modo infinitum actu appellandum: ne propria Deo Infinitas cum rebus creatis confundatur.*

Reſp. Ad hæc ſequentia annotamus, 1. Carteſius non aſſeverat abſolute, mundum nullos extenſionis ſuæ fines habere, ſed quod mens noſtra talis ſit naturæ, ut nullos in mundo fines invenire poſſit, cum id apud ſe expertus fuerit, & quilibet alius experiri poſſit, teſtenturque illi, qui loco ſpatiorum realium ſive corporum ſpatia imaginaria fingunt. 2. Non deſumit probationem Carteſius à fictione noſtrâ, ſed ab Ideâ mundi, quam quilibet ſecum circumfert, tali nempe, ut in ea nulli extenſionis fines poſſint reperiri, quæ cum non ſit à præjudiciis orta, neceſſe eſt, ut à

Deo,

Digitized by Google

Deo nobis ſit indita, & per conſequens non aliter ac veritas habet, rem repræſentet. 3. Mundum ſumit Carteſius pro Univerſitate Corporum à Deo creatorum, neque in eo à communi acceptione recedit. Illi enim, qui Mundum τὸ πᾶν Univerſum appellant, ad hanc ſignificationem attendunt. 4. Quod terra, aqua & aër reliquaque corpora per certum ſpatium ſint determinata, nemo negat; at inde non ſequitur, totam Univerſitatem, quæ in Indefinitum ſe extendit, eſſe finitam, uti ex ſequentibus patet. Ex quibus etiam conſtabit, dici non poſſe, quouſque cœlum ſe ultra ſtellas fixas extendat, & an aliquis ipſi competat finis, qui quamvis competeret, non ſequeretur tamen, Mundum ſe ultra illum per alia corpora nobis ignota non extendere. 5. an Cœlum moveatur, an Terra, in hoc tractatu determinabitur. Poſito autem illud moveri, nihil id ad antagoniſtæ faceret inſtitutum, qui ultra illud Cœlum ſtellatum, ſi de ejus finibus conſtaret, neceſſario alia corpora conciperentur. 6. quod hæc Indefinitas Mundi Dei perfectioni nihil detrahat, ſuo loco etiam oſtendetur.

CXXXI. Inſt. (R. A. p. 70.) *Ex meis verbis præcedente articulo poſſe meam prævaricationem manibus palpare lectorem, eo quod cum dicam, Carteſium ex Ideâ Mundi probare in ipſo nullos extenſionis fines poſſe reperiri, non poſſim Carteſio attribuere, quod ſuam ignorantiam profiteatur.*

Reſp. ex reſponſione prima art. præc. apparet, me diſtinguere duas quæſtiones, nempe, an Mundus ſit Indefinitus, & an ſit Infinitus: poſteriorem concernunt iſta mea verba, *An extenſionis ſuæ fines habeat Mundus nec ne Carteſium non aſſeverare*: priorem verba ſequentia, quibus dico, *Carteſium ex Idea Mundi probare, ſe nullos in Mundo fines poſſe reperire, ac proinde ſtatuere Mundum Indefinitum.*

CXXXII. Ad locum Quartum obſervatur (R. St. p. 83.) *Carteſium vidiſſe incommoda, quibus ſententia ſua ex ſcriptura poſſit premi, ideò ne Infinitus hic ſuus mundus cum innumeris mundis Metrodori, Anaximandri, Anaximenis, Archelai, Ariſtarchi, Xenophontis, Diogenis, Leucippi, Epicuri & Anaxarchi (cum quibus magnam affinitatem habet) erroribus in fide accenſeretur, ea commentum eſſe, per quæ vel perſpicaciſſimos oculos configere ſe poſſe ſperavit. Nam loco dicto pro* ſubſtantiæ corporeæ univerſitate *ſupponere* ſtellas fixas quas videmus, *pro* percipere *nobis obtrudere* ſuſpicari, *pro* eſſe *dicere* poſſe eſſe, *imo* τὸ verè *mutare* in fortè, *quod profecto hominis ſit poſticum ſibi quærentis, quo elabatur, ſi quando hanc ſuam ſententiam contigerit examinari.*

Reſp. 1. Carteſius loco quarto, hoc eſt P. III. 29. non ſupponit pro *ſubſtantia-*

ſubſtantia corporea univerſitate ſtellas fixas, ſed eodem modo ac in priori ait, *mentem talis eſſe natura, ut nullos in Mundo limites agnoſcat*, quemadmodum art. 21. Pars. II. dixerat: ſed aſſerit, *forte eſſe* ultra ſtellas fixas *alia corpora, reſpectu quorum dici poſſint MOVERI*, quod quia non eſt certum, per *forte* exprimitur, ſed non dicit *forte ESSE alia corpora*, quod quidem ex indefinita extenſione neceſſario ſequitur: eſſe autem poſſe corpora ultra ſtellas fixas, etſi reſpectu eorum moveri dici non poſſint, ſatis puto manifeſtum: eò pertinet etiam *ſuſpicari* Carteſii & *poſſe eſſe*. Videat attentus Lector verba art. 29. III. partis, & nihil à me fingi conſpiciet. 2. Tantum abeſt, ut Carteſii ſententia affinitatem habeat cum ſententiâ eorum, qui infinitos mundos aſſerebant, ut potius δὶς διὰ πασῶν ab eâ diſtet; quæ enim convenientia eorum, qui infinitos Mundos non tantùm eſſe poſſe, ſed etiam jam eſſe aſſerunt, cum iis, qui unicum mundum exiſtere ita agnoſcunt, ut ne quidem plures eſſe poſſe ſtatuant, quæ ſententia eſt Carteſii eorumque, qui eum hic ſequuntur. 3. quis error in fide, ſi ſtatuas, mundum eſſe indefinitæ magnitudinis, ejusque finem à nobis comprehendi non poſſe, eſſe poſſit, equidem non video: monſtretur ille ſi fieri poteſt.

CXXXIII. Inſt. 1. (R. A. p. 59.) *Illam meam interpretationem pendere à mutatione interpunctionis Carteſianæ, interpungere enim eum poſt corpora.*

Reſp. Et ego idem facio, atque in priori editione feceram; ſed dixi verba illa, *(ad quæ comparata terra quieſcere)* conjungenda eſſe cum antecedentibus, *forte eſſe alia corpora*, ut ſenſus ſit: Ultra ſtellas fixas forte eſſe alia corpora, reſpectu quorum terra poſſit dici quieſcere, ubi ſanè Carteſius non de ipſis corporibus, ſed de quiete terræ reſpectu ſtellarum fixarum dubitanter loquitur.

CXXXIV. Inſt. 2 (R. A. p. 59.) *Rationibus convinci poſſe, quod Carteſius verbis, de quibus controvertitur, dubitet de exiſtentia aliorum corporum ultra ſtellas fixas. 1. quia vulgi opinio ſit non eſſe ibi alia corpora, & hinc non putet eas illorum reſpectu non poſſe dici moveri, quià videlicet nulla ſint. 2. Idem evincere totam Carteſii argumentationem, quæ procedat* ab immenſitate Dei, *quæ nihil faciat ad id ut quieſcere dicatur terra, ſtellæ autem moveri reſpectu hujus vel illius corporis, ſed ad ipſam corporum illorum poßibilitatem.*

Reſp. ut evidentiſſime appareat mens Carteſii, verba ultima art. 29. P. III. paraphraſtice exponamus. *Ac deinde, juxta uſum vulgi*, inquit, *ſumendo motum, eo modo, quo ſuprà dictum eſt, ut à quibusdam corporibus tanquam*

quam immobilibus ſpectatis aliorum loca determines, non eſt cur Philoſophus fixas conſideret ut immotas potius quam terram, niſi quod putet ille Philoſophus, ultra ipſas illas ſtellas fixas non eſſe ulla alia corpora à quibus ſeparentur, & quorum reſpectu ſtellæ fixæ dici poſſint moveri, terra autem quieſcere, illo ſenſu quo dicit terram moveri reſpectu fixarum. Atqui hoc putare eſt à ratione alienum, quam Philoſophus debet ſequi. Cum enim mens noſtra ſit talis naturæ, ut nullos in mundo limites cognoſcat, quisquis ad immenſitatem Dei ſenſuumque noſtrorum infirmitatem attendet, ut ex ea novit, ultra ſtellas Fixas eſſe alia corpora, quod ex antecedentibus potuit colligi, ita ex ea probabiliter concludet & ſuſpicabitur, eſſe illa alia corpora talia, ad quæ comparata terra quieſcere, ipſæ autem omnes ſimul moveri dici poſſint, quàm ſuſpicari nulla talia poſſe eſſe, quod facere debent ii, qui hoc ſenſu aſſerent terram moveri. Ex quibus patet, 1. Carteſium loqui de acceptione motus *ex opinione vulgi*, non verò hic refutare vulgi opinionem, quâ ſtatuat, non eſſe ultra ſtellas fixas alia corpora. Tantùm dicit, eos qui conſiderare velint fixas ut immobiles, & ab iis velint motum Terræ ſive variationem ejus loci determinare, debere ſupponere, ultra ſtellas fixas nulla eſſe alia corpora, reſpectu quorum illæ poſſint dici moveri, cum tamen contrarium ſit probabilius. 2. Ex Immenſitate Dei conjunctâ cum naturâ noſtræ mentis, quæ nullos in mundo limites agnoſcit, certò colligendum eſſe, dari alia corpora ultra ſtellas fixas, ſed tantum probabiliter, quod eorum reſpectu terra poſſit dici quieſcere, ſtellæ verò fixæ moveri. Manet ergo, ſententiam Carteſii fuiſſe, Mundum conſtituere & aſſerere Indefinitum, ita ut quoſcunque ejus limites ſupponamus, ſemper tamen ultra eos aliquam extenſionem concipiendam reperiamus.

CXXXV. Inſt. 3. (R. A. p. 57.) *Ubi Carteſius negaverit plures mundos eſſe poſſe, fateor me ignorare &c. Ad rem, de qua agitur, dico, & magnam differentiam eſſe inter haſce duas opiniones, & magnam tamen affinitatem in eo videlicet, quod illa ſtatuit infinitum numero, hæc vero Infinitum extenſione, utrumque autem eaſdem difficultates patitur.*

Reſp. Ubi Carteſius ſtatuat, non poſſe eſſe plures mundos vel ex Indice potuiſſes cognoſcere. Vide ergo P. II. 22. 2. Objectio vel Cenſura circa hunc locum qui nunc examinatur, dixerat tantum, magnam eſſe affinitatem inter has duas ſententias, nunc verò cum maxima differentia fuerit oſtenſa, conceditur & hæc, quæ quomodo cum illâ magnâ affinitate conſiſtere queat non apparet. Nec verò ea magna affinitas inter ſententiam Carteſii & eorum qui infinitos mundos aſſerebant, eſt oſtenſa, cum falſum ſit Carteſium infinitum extenſione ſtatuiſſe. Difficultates,

cultates, quibus premitur Carteſii ſententia, ſuo loco videbimus ablatas.

CXXXVI. Inſt. 4. (R. A. p. 57.) *De Infinito, deque eo, quod mente comprehendere non poſſumus, hic non agi, ſed de Infinito & quidem ſimpliciter, id enim me hactenus ab omni incommodo liberare conatum fuiſſe, item de eo quod cognoſcimus &c. Hanc ſententiam erroneam in fide eſſe, ſi illa de Mundis innumeris ſit talis. Utramque enim exhaurire omnipotentiam Dei.*

Reſp. Imò verò de Indefinito agi debet, cùm ſententia Carteſii à te impugnetur, quæ non eſt, mundum eſſe Infinitum, ſed Indefinitum. 2. Quamvis nullum incommodum deprehendam in ſententiâ, quæ ſtatuit mundum eſſe Infinitum, hoc eſt, quamvis nullas videam rationes, quæ contrarium probent, tamen cum & nullæ ſint validæ rationes, quæ probent Mundum Infinitum, cenſeó hic neutram ſententiam aſſerendam, ſed de re dubiâ & incertâ aſſenſum cohibendum. 3. Quid de mundo agnoſcamus artic. 120. hujus capitis & ſeqq. oſtendimus. 4. An verò hæc ſententia de Indefinitate Mundi Omnipotentiam Dei exhauriat in ſequentibus videbimus.

CAPUT X.

Demonſtratur ſententia Carteſii de Mundi Indefinitate.

CXXXVII. Iſtam Mundi Indefinitatem demonſtramus ex Ideâ Mundi, quam de eo omnes omninò homines habent, ſi modo ad eam attendere velint. Talis enim hic eſt natura noſtræ mentis, ut ubicunque mundi fines ſupponamus, ſemper ulterius extenſi quid concipiamus, atque ita fines, quos mundo dedimus, eo ipſo iterum auferamus, ut quilibet apud ſe ipſum poterit experiri. Hinc enim enatus eſt iſte ſpatiorum imaginariorum Conceptus, qui apud pleroſque invaluit, ut Localitatem ſoleant explicare per ſpatium imaginarium in infinitum protenſum in Longum, Latum & Profundum, ex quo tamen potius Mundi Indefinitam extenſionem elicere deberent. Atque hoc argumentum præcipuè iſto nititur fundamento, quod, cum omnis clara perceptio ſit à Deo, ſi nihil ultra id quod percepimus judicemus, non poſſimus falli: cum ergo hic inveniamus apud nos extenſionis ideam tantam, ut nullos ejus terminos queamus concipere (in quâ extenſione corporis naturam conſi-

Digitized by Google

ſtere, ut eâ poſitâ corpus ſit ponendum, ſublatâ tollendum, à Carteſio abunde eſt demonſtratum) conſentaneum eſt rationi, ut nullos terminos non cognitos Mundo attribuamus, ſed eum potius ut Indefinitum nobis repræſentemus.

CXXXVIII. Exc. 1. *Quod ſi quis exciperet, hunc conceptum oriri ex præjudicio & errore vulgi, concipientis mundum collocatum tanquam urbem in aliqua planitie*; huic Reſp. 1. Conceptus vulgi oriri ſolent ex præjudiciis ſenſuum & infantiæ (ita vulgus cœlo tribuit extremitates, ibi, ubi ſe terminat viſus; ſic putat, ſe in medio mundi ſive Terræ habitare, quia undique circumſpiciens ſe in medio Horizontis reperit,) at hujus ſententiæ origo præjudiciis ſenſuum & Infantiæ adſcribi nequit, cum in Infantia de Mundi magnitudine aut finibus non ſoleamus cogitare, neque etiam ſenſus huic ſententiæ occaſionem præbere potuerint. Quinimo 2. vulgus ex ſenſuum ductu contrarium potius ſtatuit, & fines mundo ſolet aſſignare ibi, ubi eſt cœlum ſtellatum, quia ultra ſtellas nulla corpora ſenſu deprehendere poteſt.

CXXXIX. Inſt. 1. *At etiamſi hic conceptus non ſit ortus ex præjudicio Infantiæ, vel ſenſuum, poteſt eſſe Conceptus Nihili, quod in Conceptu noſtro ſolet Ens reale imitari. Quemadmodum ſolet Nihilum concipi, tanquam vaſta ſolitudo, longe lateque extenſa.*

Reſp. Nihili Conceptus fit & fieri debet conveniens, per negationem Entis, ut Ne Hilum concipiamus; at ob ſummam Nihili Imperfectionem fit, ut mens ei non diu inhærere poſſit (nullâ enim perfectione mentem afficit, cum ipſum nullâ habeat) ſed mox ad Conceptum Entis tranſiliat, eique Nihili conceptum conformare velit;hunc autem conceptum, quo ſemper ultra quoſcunque fines Mundi poſitos aliquid concipimus, non eſſe Nihili, vel exinde manifeſtum fit, quod, quando volumus ultra Mundi fines à nobis poſitos Nihil concipere, convenienti & legitimo conceptu, fieri non poſſit, quin ſemper extenſionem adjungamus Mundo ultra fines quos aſſignavimus, cum ipſum Nihilum ſine extenſione facilè concipi poſſit. 2. Non poteſt autem dici, hunc Conceptum à nobis eſſe fictum, ſimilemque conceptui equi alati. Nam quæ ſic à Mente ſunt ficta, etiam ab eâ poſſunt dividi, quemadmodum quàm facile poſſum cogitare equum alatum, tam facile etiam equum non alatum concipere licet, quod hic fieri nequit. Mundum enim ſine indefinitâ extenſione, id eſt, cum terminis & finibus concipere non poſſum, ſed ſemper ultra illos fines aliqua extenſio porrò concipienda occurrit.

CXL. Inſt, 2. (R. A. p. 15.) *Si hic conceptus non eſt à præjudiciis Infan-*

Digitized by Google

tia, neque de Nihilo, neque fictus; Ergo verus eſt, id eſt vere Infinitum corpus, aut ut Carteſium loquentem audiamus, infinitam extenſionem materiâ repletam, *ac conſequenter* infinitum Mundum credere oportet: *quod & patere,* inquit, *expreſſis meis verbis art. 2. hujus capitis in fine*, hoc eſt præcedente articulo 139. Mundum enim ſine indefinitâ extenſione, id eſt, cum terminis & finibus concipere non poſſum, ſed ſemper ultra illos fines aliqua extenſio porro concipienda occurrit. *Ubi ex vi oppoſitionis evidens fit,* indefinitam extenſionem *mihi eſſe extenſionem* ſine terminis & finibus, *id eſt infinitam.*

Reſp. Conceptus ille verus eſt Indefiniti corporis, non verè Infiniti, qualem mundum non ſtatuo. 2. Carteſius in locis ſuprà viſis non ſic loquitur, uti hic loquens introducitur, nec memini me illam formulam in ipſius ſcriptis obſervaſſe. 3. Mea vero verba habere ſenſum, quem tribuit eis adverſarius, non poſſunt. Nam quamvis non poſſim mundum concipere cum terminis & finibus, eos tamen propterea non ab eo removeo, ſed an habeat nec ne in medio relinquo, dico tantum, naturam humanæ mentis eſſe talem, ut nullos in Mundi conceptu reperire poſſit. Poteſt enim aliquid ineſſe alicui rei, quod tamen ego non invenio; ſic multa triangulo ineſſe poſſunt, quæ tamen in eo nec ego nec alius fortè invenit. Indefinita ergo extenſio eſt, non Infinita, in qua nullos poſſum concipere fines & terminos; Infinita, in quâ etiam poſitivè cognoſco, nullos eſſe vel eſſe poſſe.

CXLI. Exc. 2. *At ſi Deus annihilaret omnia, totum nempe mundum, omnia mundi corpora, exceptâ unicâ Terrâ; vel etiam, ſi Deus ſolam Terram creaſſet, illa revera eſſet finita, prout jam eſt, rotunda quippe, interim tamen nos ſemper aliquid ultra fuiſſemus concepturi, quemadmodum nunc facimus, ut ultra quoſcunque fines Mundo à nobis aſſignatos aliquid extenſi imaginaremur. Unde non ſequitur, quia noſtra mens aliquid extenſi ultra quoſcunque Mundi fines concipit, etiam tale aliquid ultra eſſe, ſed potius hunc mentis noſtræ conceptum præjudicio alicui eſſe adſcribendum.*

Reſp. Quid poſita Terræ ſolius creatione tantæ magnitudinis & figuræ, quantæ nunc eſt, aut annihilatione omnium mundi corporum, exceptâ terrâ, conceſſâ, futurum fuiſſet in noſtrâ mente, nos equidem ignoramus, ſive non cognoſcimus experimentaliter, quia talem ideam nos nunc non habemus; ſufficit ad noſtræ ſententiæ probationem, quod nunc intra nos talem habeamus extenſionis ideam, ut ejus nullos fines invenire queamus. Quod ſi ergo Deo vel omnia corpora in Mundo præter Terram annihilare liberet, vel ſolam Terram creare placuiſſet,

tantâ

tantâ magnitudine & figurâ præditam, quantâ jam eſt, etiam proculdubio Terræ finitam Ideam nobis inditurus fuiſſet, ne falleremur, ſaltem nunc id nos concipere non poſſe certum eſt. Atque hæ ſunt Exceptiones, quæ à nobis ipſis formatæ aliquando remoram injecerunt.

CXLII. Inſt. 1. (R. A. p. 16.) *Si in hoc caſu terra idea finita erit, Ergo vi oppoſitionis Mundum ſive Univerſum me profiteri* Infinitum, & Infinitam ejus ideam *ſtatuere.*

Reſp. Ego vero tuam ſequelam non admitto. Dico quidem, me non habere Mundi Ideam finitam (intellige Objectivè, nam ſubjectivè & formaliter omnes Ideæ in mente noſtrâ ſunt finitæ) ſed inde non ſequitur, illam ergo Ideam eſſe Infinitam, cum detur tertium, nempe Idea Indefinita. Itaque quoniam ex Idea judicium formo, aſſero, non Mundum eſſe Finitum, nec Mundum eſſe Infinitum, ſed eum eſſe Indefinitum.

CXLIII. Inſt. 2. (R. A. p. 17.) *Cum ais, certum eſſe, nunc nos id concipere non poſſe, de mundo videlicet, quod tum conciperemus de Terra, quæro quos intelligas per NOS? omnes ne homines? an Te & Carteſium cum paucis aliis? ſi omnes, res incredibilis tibi probanda incumbit, nempe omnes hactenus homines Mundum Infinitum putaſſe.*

Reſp. Omnes homines habere Ideam Mundi indefiniti exinde probo, quod ſemper ultra ſuppoſitam quamcunque Mundi extenſionem aſcendant, quod vel exinde patet, quia ſpatia imaginaria ultra mundum, cujus fines ſe poſſe concipere exiſtimant, concipiunt extenſa hoc eſt vere realia. Quod autem ſecundum Ideam ſuam non etiam mundum Indefinitum judicent, ipſorum aberrationi eſt adſcribendum, qua fit, ut ad id, quod in ſemetipſis reperiunt, non ſatis attendant. 2. Quemadmodum autem non ſequitur: ſi omnes & ſinguli homines habent notitiam Dei inſitam, quod contra Socinianos ſtatuunt Reformati, Ergo etiam omnes & ſinguli homines Deum exiſtere judicant, cùm dari Atheos quoſdam etiam ſpeculative tales, qualis Vaninius, negari non poſſit: ita etiam non procedit, ſi omnes homines habent Mundi Ideam Indefinitam, Ergo etiam talem mundum judicant.

CXLIV. Inſt. 3. (R. A. p. 19.) *Turpiter tibi contradicis, cum poſito illo qui objiciebatur caſu, quid futurum fuiſſet in tua mente, fateris, te* IGNORARE, *& tamen eodem paragrapho* PROCULDUBIO *terræ finitam Ideam tibi indendam fuiſſe affirmas: hæc non cohærent.*

Reſp. Fateor, nos hoc ignorare, quatenus ejus Ideam nullam in men-

mente nunc reperimus, adeoque experimentaliter non cognoſcimus; interim tamen, poſito ficto iſto caſu, ex Veracitate Dei colligo, nos habituros fuiſſe Ideam Mundi finitam; quæ optimè inter ſe cohærent.

CXLV. Inſt. 4. (B. p. 233.) *Me nucleum argumenti non tangere: hæc enim,* inquit, *eſt quæſtio: poſita ſola terra rotunda, ejus figura, quam nunc habet, annon ſpatium vacuum daretur, & concipi poſſet extenſio imaginaria extra eam. Reſpondes, vos ignorare, quid futurum fuiſſet in noſtra mente: at id non controvertitur, ſed an implicaret contradictionem, extra illam Terram dari vacuum.*

Reſp. Quæſtio eſt, an poſita iſta annihilatione cognituri fuiſſemus Mundum finitum, ad quam reſpondeo: Cum non habeamus Ideam niſi Mundi Indefiniti, non verò Ideam Mundi finiti, nos ex iſta idea id non poſſe cognoſcere, adeoque id hoc reſpectu ignorare: ſed tamen, poſito iſto caſu, nos ex veracitate & infallibilitate divinâ colligere poſſe, Deum nobis iſto caſu inditurum fuiſſe Mundi ideam finitam, ut ita nihil ulteriùs conciperemus, adeoque, non ad ſpatium vacuum & extenſionem merè imaginariam delaberemur. At Adverſarius, etiam poſita Terra rotunda, dicit, ſe tamen habiturum eſſe ideam ultra eam ſpatia imaginaria concipiendi, adeoque Mundi Indefiniti, prout neceſſario hoc exinde conſequitur; quo poſito, idea non correſpondebit ipſi rei, adeoque ſi eſſet à Deo, ut ſupponi debet, Deus non poſſet non cauſa erroris dici.

CXLVI. Sed adhuc aliæ nobis proponuntur ſolvendæ quæſtiones, poſitâ ſolâ terrâ rotunda, & reliquorum corporum annihilatione, nimirum, *an Deus tum non poſſet aliam Terram ejuſdem figuræ creare? ſi non, cur non in illo nihilo? &c.* B. p. 233. quos nodos ſolvendos eſſe putat.

Reſp. 1. Cùm nunc habeamus Mundi Ideam Indefinitam, non poſſumus talia percipere, adque tales quæſtiones reſpondere, ſed prout antea dictum eſt, ſi Deus mundum creaſſet finitum, etiam ejus finitam Ideam inditurum fuiſſe, ex ejus veracitate colligimus. 2. Adde, quod prima quæſtio ſit plane inepta. Nempe ſupponitur annihilatio omnium corporum exceptâ Terrâ; non ergo poteſt quæri niſi ineptè, *An Deus tum,* (hoc eſt, terra non annihilata, ſed aliis omnibus corporibus) *non poſſet aliam terram ejuſdem figuræ creare?* Si enim terra ſupponatur non annihilata, quomodo quæſtio inſtitui poteſt de alia in ejus locum creanda?

CXLVII. Exc. 3. B. p. 234. *Indefinita, quam vobis formatis idea, non eſt à Deo, ſed ab erroneo ſpiritu illo Carteſii, qui omnes conceptus ſuos illo palliarit velo, quod niſi veri eſſent, Deus ut illorum inditor, deceptor habendus eſſet,*

quaſi

quaſi verò Deus ut juſtus Judex non aliquando immitteret hominibus ſpiritum erroneum, ut illis, de quibus Ezech. XIV. 9. & quaſi non Carteſium, hominem ſuperbum, qui jactitabat, poſſe ſe attenta & ſæpiùs iterata meditatione efficere, ut habitum quendam NON ERRANDI acquirat, imò fieri planè NON POSSIT, ut erret, Medit. 4. p. 61. *etiam in Philoſophicis in perverſum ſenſum tradere potuerit, & revera tradiderit, cum in materiis fidei nec verbo Dei, nec ſanæ rationi audire dignatus fuerit. Hunc ſequimini, non ductum verbi Dei: ac proinde, quam dudum loco ſtellarum fixarum luminis Prophetici illum Planetam ſequendum vobis proponitis, vos non errare eſt impoßibile.*

Reſp. Pudeat tantæ virulentiæ Eccleſiæ paſtorem, quem manſuetum eſſe oportebat; & hujus aſſeverationis eum, qui Carteſium Scepticiſmi accuſat. Carteſius ſtatuit: 1. Omnem perceptionem claram eſſe à Deo, utpote cum ſit aliquid boni: 2. Omne judicium debere eſse conforme iſti claræ perceptioni. 3. Si judicium ei ſit conforme, ut np. judicemus tale eſse, quod revera ut tale clarè & diſtinctè percepimus, nos non poſſe falli, cùm iſta clara perceptio ſit à Deo, ſitque Judicii uſus legitimus, ut judicemus de clarè & diſtinctè perceptis. Quod ſi igitur poſset fieri, ut legitime adhibentes facultatem judicandi, quam Deus dedit bonam, falleremur, non poſset ulla eſse certitudo, nec excuſari Deus à deceptione. Si enim poteſt fieri ut fallaris in iis, quæ clarè & diſtinctè percepiſti, quæro per quid certus ſis, te etiam nunc non falli, in omnibus iis, quæ hic ſcripſiſti, quomodo certus eris ullam tuam propoſitionem à te prolatam in tuo libro, eſse veram?

CXLVIII. Quæro porro cum cathedram Eccleſiaſticam conſcendis, an non clarè & diſtinctè percipias, id quod es enunciaturus nomine Dei, & tanquam articulum cognitu ad ſalutem neceſsarium, eſse Dei verbum, & per conſequens & tale judices: ſi non percepiſti, nec judicas tale, quâ confidentiâ ergo tale dicis, & ut tanquam tale recipiant auditores, mones? ſi percepiſti & tale judicas, quæro, an in illo tuo judicio poſſis falli? Si non, ergo certum eſt, nos non falli in iis quæ clarè & diſtinctè percepimus, aut nobis des aliam regulam, quâ de re aliquâ certi ſimus, reverâ ab hac diverſam: ſi poſſis falli, eo ipſo tibi in reliquis nullam habendam fidem aſseres. Egregiè Neufeldt in Judicio de Fidei Catholicæ regula Catholica: *Eum characterem,* inquit, *omnium noſtrum animis impreſsit Veritatis æternus præſes, ut quoties aliquid clare perſpicimus, ſponte aſſentiamur, nec ullo modo dubitare queamus, quin ſit verum.* Vides ergo, Carteſium non jactitâſse, ſed verè dixiſse, poſse ſe attenta & ſæpius iterata meditatione efficere, ut habitum quendam *non Errandi* acquirat,

(np. ſi acquirat habitum judicio ſuo ita utendi, ut illud non ferat, niſi de clarè & diſtinctè perceptis, quod ſanè poſſibile eſſe omnis debet confiteri, qui non omnem certitudinem è rebus humanis vult ſublatam.) Item, quoties voluntatem in judiciis ferendis ita contineat, ut ad ea tantum ſe extendat, quæ illi clarè & diſtinctè ab intellectu proponuntur (quæ verba, an malitioſe neſcio, omittis cum rem declarent) fieri plane non poſſe ut erret, quia omnis clara & diſtincta perceptio proculdubio eſt aliquid, ac proinde à nihilo eſſe non poteſt, ſed neceſſario Deum Auctorem habet, Deum, inquam, illum ſummè perfectum, quem fallacem eſſe repugnat. Quo non negatur, Deum poſſe hominibus immittere ſpiritum erroneum, ita tamen, ut id ſalva ejus Veracitate & bonitate intelligatur, np. non ut indat facultatem, cujus legitimus uſus ad errorem deducat, ſed ut permittat, tales abuti facultate judicandi eamque extendere ultra ea quæ perceperunt, item, ut neget ipſis claram & diſtinctam perceptionem; item ut ſubminiſtret occaſiones, quibus novit abuſuros ad judicium ſuum extendendum ultra ea quæ perceperunt; &, ſi quæ alia.

CXLIX. Exc. 4. (R. A. p. 26.) *Si veritas hæc primo à Carteſio eſt eruta*, ut fateris, *falſe ergo dicis*, talem eſſe naturam noſtram, *ut hanc videlicet veritatem agnoſcamus, aut igitur aliam naturam habuit Carteſius quam omnes alii, aut alii etiam hanc veritatem, cum ejuſdem natura eſſent, vidiſſent.*

Reſp. Ego dixi, quod talis ſit natura noſtræ mentis, ut, ſi ad eam attendamus, Mundi Ideam in nobis reperiamus talem, ut ultra quoſcunque ejus terminos ſuppoſitos, ſemper aliquid extenſi nobis imaginemur, atque inde conceptum ſpatiorum Imaginariorum eſſe exortum. Sed in eo hucuſque erratum, quod homines non advertentes, extenſionem naturam Corporis conſtituere, putârint, ſe ultra illos ſuppoſitos fines tantum imaginarium quid, non reale percipere, quod Carteſius reale oſtendit, eo ipſo quo naturam corporis in extenſione conſiſtere demonſtravit. Ex quo apparet, quomodo Carteſius iſtam veritatem, *Mundum eſſe Indefinitum*, alios latentem eruerit; nimirum, præjudiciis renunciando, atque ad ideas menti inſitas attendendo, & claras ab obſcuris diſcernendo, quod quia ab aliis non eſt factum, non mirum, eos hanc veritatem non agnoviſſe: (falſum enim eſt, me dixiſſe, talem eſſe naturam noſtram, ut hanc veritatem agnoſcamus.) Quemadmodum autem, ſi quis inſignis Mathematicus multas proprietates in Triangulo, Quadrato, Cono &c. reperiat, quas alii non viderunt, non licet inferre: Aut aliam naturam

cum

Digitized by Google

eum habere quàm omnes alios, aut alios etiam, cum ejuſdem naturæ eſſent, eandem veritatem viſuros fuiſſe. Ita & hæc augmentatio inconſequens deprehenditur.

CL. Exc. 5. (R. A. p. 13. 14.) *Quæro an extremum illud quod concipis ſit finitum an Infinitum? Si finitum fines mundo auferre non potes: ſi infinitum, nego id te clarè percipere, quod ipſe oſtendis, cum claram illam perceptionem explicas per impotentiam concipiendi illius ſpatii terminos, item per non cognitionem illorum terminorum, id eſt, mentis tuæ caliginem & ignorantiam pro clarâ luce nobis venditas.*

Reſp. 1. An mundus ſit finitus an Infinitus, dico me nolle determinare, ſed indefinitum me tantum ſtatuere, propterea quod non ejus ut finiti nec ut infiniti habeam ideam, ſed ut indefiniti, h. e. talem ejus extenſionis in mente meâ delineationem, ut poſita in ea & concepta quacunque quantitate, ſemper ulterius mihi aliquid reſtet ſumendum, ita ut quaque verſus me convertendo & ab hac terra elevando meam cogitationem in indefinitum, non poſſem tantam ſupponere extenſionem, quin adhuc ulterioris ſit in me Idea. 2. Falſum itaque eſt, me explicare iſtam perceptionem per impotentiam concipiendi illius ſpatii terminos, ſed per poſitivam perceptionem quacunque extenſione ſuppoſitâ extenſionis ulterioris, adeoque, adverſarium hic & alibi mentem meam vel non percepiſſe, vel ſe non percipere ſimulare.

CLI. Exc. 6. (M. p. 158.) ubi mihi tribuitur tale argumentum: *Quicquid mens humana non poteſt percipere, id non eſt; ſed Mundi fines mens humana non poteſt percipere: Ergo mundi fines nulli dantur, vel non ſunt.*

Reſp. Illa Concluſio non eſt mea, & Major falſa, ac plane contra noſtram Philoſophiam: verùm ſi omninò in formam velis reducere meam argumentationem, hoc modo id fieri oportebat: Eo modo, quo mundi extenſionem percipio, eo modo de mundo debeo judicare: At ita eam percipio, ut quacunque ejus quantitate ſuppoſitâ, ſemper ulterius extenſi quid concipiam, E. etiam talem debeo judicare. Major nititur hoc fundamento, quòd cùm omnis clara perceptio ſit à Deo, non poſſimus falli in judicio, ſi ſecundum illam judicium noſtrum formemus. Hæc impugnanda fuiſſent. Ergo cum umbrâ ſuâ luctatur, quando prolixè argumentum à ſe propoſitum, tanquam meum p. 159. 160. refutat. 2. Minorem probo ex ipſa idea mundi, quam non ego tantum, ſed quilibet habet ſibi inditam, dummodo velit attendere. Nonne enim quilibet concipiendo mundum, ſuppoſita quacunque ejus quantitate, ſemper ulterius

terius aliquid extenſi concipit? quod quidem etſi ſpatii imaginarii nomine inſigniat, revera tamen, cum in eo extenſionem realem concipiat, illi corporeitatem veram attribuit.

CLII. Inſt. 1. (M. p. 160.) *Quamvis quod eſt extra cœlos ſpatiis imaginariis alias deſignari ſolitum, non poſſimus niſi ſub ratione extenſi concipere, non tamen ibi concipimus exiſtere Ens aliquod reale præter Deum. Eſt enim ſpatium imaginarium nihil niſi Ens rationis, cujus conceptus objectivus reverà ſit nihil, aptum tamen recipere corpus in eo locabile.*

Reſp. Qui neceſſario adeoque clarè concipit in ſpatiis imaginariis aliquid extenſum, ille attributum à corpore inſeparabile concipit, adeoque & ipſum corpus, niſi velis ſtatuere cum Pontificiis, Accidens vel attrib. poſſe eſſe ſine ſubjecto, Extenſionem ſine corpore, quod abſurdiſſimum. Si ergo revera concipiamus corpus extra cœlos, hoc eſt, extra terminos mundi à nobis ſuppoſitos, etiam judicandum, tale corpus eſſe, vel ſtatuendum, Deum nos fallere, ſi iſta clara perceptio, quæ proculdubio eſt à Deo, in errorem nos deducat: neque ullum ſupererit remedium vitandi errores, ſi poſſimus falli in iis, quæ clarè & diſtinctè percipimus. 2. Itaque ſpatium imaginarium, in quo neceſſario ſit concipienda extenſio, non erit Ens rationis, ſed Ens reale propter attributi realitatem,

CLIII. Inſt. 2. (M. p. 161.) *Si ſpatia illa reverà ſint corporea, quatuor abſurda educi poſſe, 1. Mundum fuiſſe ab æterno, adeoque ex nihilo creari non potuiſſe: quoniam illud ſpatium ſive capacitas, in qua mundus jam actu continetur, non potuit non fuiſſe ante mundi creationem ab æterno.*

Reſp. Illud vero eſt quod nego, cum ſpatium illud, in quo mundus continetur, non niſi ratione ab eo differat, ita ut ſine eo nec eſſe nec concipi poſſit. Non enim differt illud ſpatium à mundo, niſi quod mundi extenſionem ut ſingularem conſideremus, in ſpatiis vero unitatem tantum genericam ipſi tribuamus, ita ut hoc mundo annihilato, alius creari poſſit ejuſdem cujus prior extenſionis.

At dicis; *Illud, quod jam actu capit mundum, ab æterno potuiſſe mundum capere nemo, qui quidem Philoſophiam à limine ſalutavit, negare audebit; idem illud ſpatium ſub ratione extenſi concipiendum fuiſſe nemo quoque diffitebitur, ſiquidem igitur omne id quod ſub ratione extenſi concipitur ſit revera corpus, mundus neceſſario debuit exſtitiſſe ante mundi creationem, ſive ab æterno.*

Reſp. Spatium illud quod ratione tantum à mundo diſtinguitur, ab æterno non potuit capere mundum, qui ab æterno non fuit, ſed mundo fuit

fuit concreatum ut Theologi loquuntur. Itaque negamus illud ante mundum concipiendum, eique extenſionem aliquam attribuendam, quia ante mundum illud ſpatium, cum à mundo non differat, revera nihil fuit, adeoque ante mundum etiam non niſi negativè concipiendum tanquam nihilum.

CLIV. Secundum Abſurdum (M. p. 261.) *alios mundos ex doctrina Carteſiani à Deo creari non poſſe duplici ratione evincitur, 1. quia non datur ubi, extra hunc mundum, aptum recipere mundum creandum. 2. quia potentia Dei mundum creans, quæ revera eadem eſt cum ejus Eſſentia, ita eſt incluſa huic mundo infinito, ut non poßit exiſtere alibi ad creandum ibi novum mundum.*

Reſp. Non eſt abſurdum, ſi ſtatuamus cum Carteſio & Mareſio, mundos à ſe invicem diſtinctos & diſcretos & ſic revera plures creari non poſſe, non quod potentiam Dei imminuamus, vel dicamus, Deum non poſſe plures ſoles, terras, ſtellas &c. creare, ſed quod exiſtimemus, contradictionem implicare, ut plures mundi à ſe invicem diſcreti creentur, & quod putemus, quibuſcunque corporibus, vel creaturis novis creatis, ea omnia unum eundemque mundum cum hoc conſtitutura eſſe. Vide Claub. Def. Carteſ. p. 487. & ſeqq. Attamen argumenta duo adverſarii, quocunque referantur, ſive ad probandum, ex noſtra ſententia ſequi, non poſſe plures mundos diſcretos à ſe invicem adeoque revera plures creari, (quæ quidem noſtra ſententia eſt, non tamen infertur ex illis argumentis) ſive ad oſtendendum, non poſſe plura corpora à Deo produci, nihil efficiunt. Nam etiamſi nullum detur Ubi extra hunc mundum, tamen ſi Deo libeat corpus extra eum creare, etiam illud Ubi in quo ſit, illi erit concreaturus, cum non niſi ratione ab eo differat; Itaque 2. ſi potentiam ſuam Deus extra hunc mundum extendere velit & creare nova corpora, non prius eſſent concipienda quædam ubi, aut ſpatia, quam ipſa corpora à Deo creanda, quæ ubietatem ſuam ſecum afferent; at ea corpora non conſtituerent novum aliquem mundum, ſed cum hoc cenſenda eſſent conjuncta.

CLV. Tertium Abſurdum (M. p. 162.) *Mundum admißis hypotheſibus Carteſianis non poſſe annihilari, quia ſic non poſſent annihilari omnia corpora, quin ſemper ſuperſit illud ubi, in quo illa jam exiſtunt.*

Reſp. Si annihilentur omnia corpora, cùm illud *ubi* in quo exiſtunt ab iis non differat, etiam illud ipſum annihilatum erit concipiendum, niſi ſupponas loco iſtorum corporum annihilatorum alia ejuſdem extenſionis ſpecificæ creari, quo ſuppoſito illud ubi manebit, quemadmodum ex-

Digitized by Google

tincto uno individuo vel omnibus ejuſdem ſpeciei, locoque eorum novis creatis, ſpecies tamen remanere dicenda erit.

CLVI. Quartum Abſurdum, *Mundum de ſpatio in ſpatium transferri non poſſe.*

Reſp. At illud non eſt abſurdum ſed veriſſimum: corpus enim de ſpatio in ſpatium ſive potius de loco in locum tranſportari non poſſet, niſi ſupponatur plura eſſe corpora, quorum unum hunc locum ſive ſitum inter alia occupet, aliud alium, ita ut Corpus dicatur de loco in locum transferri, quia cum prius occupaverit hunc ſitum reſpectu horum corporum, poſtea alium reſpectu aliorum recipit. At cum non ſint plures mundi, non poteſt etiam unus transferri in locum aliquem, qui non eſt.

CLVII. Exc. 7. (M. p. 163.) *Se quidem concedere Extenſionem à corporis Eſſentia ita immediate fluere, ut ab eo ſeparari non poſſit, ſed ſeſe habere ad corpus ut accidens proprium ad ſuum ſubjectum.*

Reſp. *Quod corporis Eſſentia* in Extenſione conſiſtat, probavit Carteſius Pp. II. art. 11. quæ probatio fuiſſet refutanda. Vel enim nulla corpori Eſſentia tribuenda, vel ſtatuendum illud eam conſtituere, quod ſolum à corpore, ſublatis reliquis, auferri non poteſt: At tale eſt ſola extenſio, reliqua omnia etſi ab hoc vel illo corpore, eo ſalvo manente auferri nequeunt, tamen poſſunt à corpore in genere conſiderato, adeoque ejus generalem naturam non conſtituunt. Conſtat etiam exinde, quia Extenſione prius nihil in corpore concipi poteſt, quodcunque enim afferas, illud ab extenſione dependet, ex eâque demonſtratur. Sed de hoc plenius in ſequentibus.

CLVIII. Exc. 8. loco afferri poteſt (R. St. p. 82.) *Quid ſibi vult, quod Carteſius mentem noſtram talis eſſe naturæ velut è tripode pronunciat, ut nullos in mundo limites cognoſcat? ita enim adverſus hoc attentus lector ratiocinabitur: mirum eſſe de quo mentis ſtatu Carteſius loquatur: Nam in ſtatu Integritatis ea mundum, qualis reverâ eſt intellexit, id eſt, Finitum; In ſtatu corruptionis multi Philoſophi & inter eos Ariſtoteles agnoverunt, infinitum actu non poſſe dari: in ſtatu renovationis novimus mundi limitem eſſe cælum beatorum; In ſtatu gloriæ idem etiam propriâ Experientiâ ſentiemus. Ita quod de mentis naturâ tam confidenter aſſerit, in merum ludubrium abit.*

Reſp. Quid ſibi hoc velit, quod mentem noſtram talis naturæ eſſe certa ratione adductus pronunciet, ut nullos in mundo limites agnoſcat, nos ſupra oſtendimus 2. Si homo in ſtatu Integritatis mundum intellexit, qualis reverâ eſt: Ergone finitum? At quiſnam probavit, & unde cognoſcitur eum talem eſſe? aut quare id ſine ratione tanquam è tripo-

de

de aſſeritur? Imò ſi natura mentis humanæ talis ſit, ut nullos in mundo limites agnoſcere poſſit, quemadmodum à nobis probatum; cum natura per lapſum non ſit mutata, (neque enim per lapſum homo deſiit eſſe homo) E. in ſtatu Integritatis proculdubio etiam talis fuit. 3. Quam firmiter ex Scriptura probatum ſit, Cœlum Beatorum eſſe mundi limitem, ejuſque limites nos cognoſcere poſſe, adeoque id nos in ſtatu Regenerationis credere debere, poſtea videbimus: locum enim Eph. I v. nihil juvare adverſarium oſtendemus. 4. Quid in ſtatu gloriæ circa mundi fines experientia nobis ſit diſcendum definiri nequit, nec propterea quia ſumus futuri in Cœlis, erimus extra mundum vel in ejus finibus, niſi mundi vocabulum nimis ſtrictè accipere velis, pro compage corporum à Terra uſque ad ſtellas collocatorum.

CLIX. Inſt. 1. (R. A. p. 44.) *Naturam per lapſum non eſſe mutatam Papiſticum & Pelagianum eſt.*

Reſp. Eo ſenſu, quo ego hoc dico, quatenus nempe homo retinuit Eſſentiam animæ ſpiritualem facultate Intelligendi præditam, qua ſi bene utatur, non erret, non Pelagianum eſt aſſerere ſed orthodoxum, & principium firmum, quo omnis ſcepticiſmus funditus evertitur. At inquis: *Hic agitur de mutata hominis cognitione, qua multo obſcurior eſt in ſtatu corruptionis quam in ſtatu Integritatis.* Reſp. Hic agitur de natura mentis humanæ, an ſi talis ſit, ut nullos in mundo limites agnoſcere poſſit, hoc ei poſt lapſum ſit ablatum. Cognitio hominis poſt lapſum multò obſcurior eſt facta, non quod Deus ademerit ideas quas indiderat, ſed quod ad eas poſtea homo non attendat, quod præjudiciis involvat, quod confundat, quod ſæpe judicium perceptionem earum claram & diſtinctam antevertat &c. Reliquæ Inſtantiæ (R. A. p. 54.) de Cœlo Beatorum meræ ſunt cavillationes, cum ego nihil de eo præter Scripturam determinem, ſed contra Adverſarius ad obtinendum inſtitutum, omnes illas quæſtiones, de quibus ſequenti cap. agetur, debeat determinare.

CLX. Inſt. 2. (R. A. p. 55.) *In ſtatu Gloria idem quod hic vel per ſanam rationem vel per verbum Dei didicimus, experimento verum eſſe ſentiemus &c. Non futuros autem nos in mundi finibus confidenter dicitur. Probationem quæro. Certe Johannes Apoc. x1[illegible]4. ὗτοί εἰσιν, inquit, οἱ ἀκολουθοῦντες τῷ ἀρνίῳ, ὅπου ὑπάγῃ. An non Chriſtus ad cœli extremum uſque ſe conferre poteſt? poterunt ergo eum & illuc ſequi ſui Electi.*

Reſp. 1. Per ſanam rationem verbo Dei non refragante didicimus, mundum eſſe indefinitum. 2. Nos Chriſtum poterimus ſequi, quo iverit, quem ſe poſſe conferre ad extrema Cœli vel mundi, ſi habeat, nemo

negat: at cum extrema mundi mente concipi nequeant, ut antea oſtenſum, multo minus concipi poteſt, ea corpore poſſe permeari.

CLXI. Manet itaque firmum noſtrum argumentum, quod pro mundi Indefinitate adduximus, cum tam facili opera omnes contra illud Exceptiones cum Inſtantiis fuerint refutatæ. Atque ita cognoſcitur Mundum eſſe Indefinitum. Ex quo conſequitur tanquam aliquod Corollarium: Nullam certam figuram ei aſſignari poſſe: Cum enim figura ſit vera determinatio quantitatis, non poteſt illa tribui, niſi iis corporibus, quæ ab aliis ſeparata finitam & terminatam quantitatem obtinent. Quæ etiam eſt ſententia Clavii ad Euclid. def. 14. lib. 1. *ſuperficies*, inquit, *infinita vel etiam corpus, cum nullis terminis comprehendatur, Figura vocari nulla ratione poteſt.*

CLXII. Exc. 1. (R. A. p. 11.) *Hic apparet, auctorem hunc mundi nec terminum nec figuram agnoſcere, adeoque eum ſtatuere abſolute infinitum, ita enim argumentatur: Ea tantum corpora habent figuram, quæ ab aliis ſeparata finitam & terminatam quantitatem obtinent: At mundus non eſt tale corpus.*

Reſp. Hic apparet adverſarium meum pervertere argumentum; tale enim eſt illud: Iis tantum corporibus certa figura poteſt attribui, de quibus conſtat, quod ab aliis ſeparata finitam & terminatam quantitatem obtineant. At an mundus finitam & terminatam quantitatem obtineat non conſtat: E. Maj. prob. verbis Clavii citatis. Non ergo ſuppono vel ſtatuo mundum actu Infinitum, nec enim ullibi aſſerui, quod agnoverim poſitivè, nullos eſſe in mundo limites, quod requiritur ad Infinitatem, ſed tantum, nullas ab ullo hominum in Mundi Ideâ reperiri poſſe.

CLXIII. Exc. 2. (R. A. p. 12.) *Verba Clavii nihil mihi commodare, cum non quæratur, quid ſit ſuperficies infinita, ſed an talis detur.*

Reſp. Imò, multum mihi commodant, dum probant majorem meam propoſitionem, uti antea dictum. Ridiculum verò quod (M. 164. 165.) operosè ex meis theſibus tanquam conſequens deducat abſurdum. *Ex Principiis Philoſophiæ Carteſianæ demonſtrari nullo modo poſſe quinam ſint termini mundi*, cum illud ipſum expreſsè poſuiſſem in primâ Editione, ut hoc labore Antagoniſta potuerit ſuperſedere. Quod ſi quid probare voluiſſet, abſurditatem ejus poſitionis oſtendere eum oportuiſſet.

Digitized by Google

Caput XI.

Objectio prima contra Indefinitatem Mundi, à ſpatiis Imaginariis deſumta proponitur ac refellitur.

CLXIV. Objectionis primæ loco eſſe poſſunt dicta Suarezii de ſpatiis Imaginariis & præſentia Dei extra mundum in illis, quæ objiciuntur (R. St. p. 78. & ſeqq.) quæ quia ſolide refutata ſunt à Clariſſ. Dn. Mareſio in Theologo Paradoxo refutato, neque hic pro iis defendendis aliquid novi afferebatur, nos in priori Editione Adverſarium ad Mareſium remiſimus. Sed quoniam nunc objicitur, me hoc onus in alienos humeros rejicere, verba Suarezii recitabo, ac quid in iis reprehendam, ſuccincte dicam. Dicta illa citantur (R. St. p. 78. ſeqq.) *Qui Spatia*, inquit, *imaginaria in quibus Deus ſit extra mundum,* EXCOGITARUNT, *ita ea explicant, ut talem Deo attribuant modum exiſtendi ſeu talem diſpoſitionem ſubſtantiæ ſuæ (ut noſtro modo loquamur) qua ex parte ſua ita exiſtat, ut ſine ſui mutatione poſſit intime & realiter eſſe in quacunque re, ſi illam velit creare. Et hunc (ajunt) modum Eſſendi habet Deus ex vi ſuæ Immenſitatis. Quia vero nos non poſſumus hanc diſpoſitionem in ſubſtantia ſpirituali concipere, niſi per ordinem ad ſpatium, eo quod Deus ex vi prædictæ diſpoſitionis de ſe aptus eſt ad exiſtendum in quibuſcunque corporalibus ſpatiis, etiamſi in infinitum uſque protendantur, ideo non poſſumus illam divinæ ſubſtantiæ diſpoſitionem & immenſitatem concipere, niſi per modum cujuſdam extenſionis, quam neceſſario explicamus per ordinem ad corpora, & quando vel reipſa, vel mente realia corpora ſeparamus, neceſſario apprehendimus veluti quoddam ſpatium aptum repleri corporibus, cui tota divina ſubſtantia ſit præſens, & tota in toto, & tota in ſingulis partibus ejus; per quam præſentiam nihil aliud ſignificamus, quam prædictam divinæ ſubſtantiæ diſpoſitionem. Præſentia ergo illa, licet, ut concipitur,* NIHIL *ſit, & mera relatio rationis, illud tamen abſolutum, quod per hanc relationem volumus in divina ſubſtantia declarare, revera eſt aliquid in ipſo Deo, quod* IMMENSITATEM *ejus appellamus. Et ſic immenſitatem Deus habuit, antequam quicquid aliud exiſteret. Hæc petita ſunt ex Suarezio Diſp. met. XXX. ſect. VII. t. 16. 17. 19. qui addit n. 29. 30. 31. 32. 36. 38. 39. Ex actione Dei immediate infertur actualis præſentia in rebus factis, mediate vero, ſeu conſequenter, potentia, ſeu aptitudo ex parte Dei ad exiſtendum in omnibus rebus quas in infinitum facere poteſt, & in hoc conſiſtit immenſitas ejus. Nam ſi*

Digitized by Google

Deus concluderetur hoc mundo, non eſſet immenſus, cum mundus infinitus non ſit; ſi, inquam, ita concluderetur, ut in ampliori nec actu eſſet, nec eſſe poſſet, in eo ergo immenſitas ejus conſiſtere non poteſt. Atque ita fit, ut ex actione, quamvis de facto verſetur circa res finitas, colligatur tota immenſitas, ampliando ſeu extendendo illam ad actionem poſſibilem. Et hoc ſenſu dicitur, Deum ſua Immenſitate præſentem eſſe etiam extra hunc mundum, etiam in SS. Literis Job. II. 8. Altior *eſt altiſſimis cœlis quid agas.* 9. Longior *terra menſura ejus &* latior *mari cap.* XXII. II. I *Reg.* VIII. 27. *Ratio ſumitur ex dictis: Quia Deus poteſt operari extra mundum, ſine ulla mutatione ſui, ergo ita actu eſt extra mundum, &c. non ut in aliquo loco, ſed in ſe ipſo. (item) ſicut æternitas eſt in omnibus finitis temporibus, & infinite excedit illa, ita immenſitas eſt in omnibus finitis locis, & infinite ſuperat illa. Et ſicut ratione æternitatis dicere poſſumus, Deum exſtitiſſe ante reale tempus, in omni* Tempore imaginario, *ita ratione Immenſitatis dicimus, eum eſſe in omnibus* ſpatiis Imaginariis. *Ex quo etiam intelligitur, quid indicent illa adverbia temporalia & localia, cum dicimus, Deum fuiſſe ab æterno* Hic, *ubi nunc creatus eſt mundus, vel* Ibi *ubicunque creari poteſt, aut* tunc *fuiſſe, quando potuit à Deo creari ante totum tempus reale præteritum. Nam ſicut illud* tunc *non ſignificat aliquam durationem, quæ actu extiterit, diſtinctam à Deo, ſed ipſammet durationem Dei, ut aptam ad coëxiſtendum tempori vel inſtanti, quod antea eſſe poſſet:* Ita *IBI aut HIC non indicat locum* Realem *actu exiſtentem, ſed ſolam præſentiam Dei per* Immen*ſitatem, ut de ſe aptam ad coëxiſtendum localiter cuicunque corpori realiter ibi exiſtenti. Hæc Suarez* (inquit R.) *recte omnino atque Orthodoxe, quanquam noſtro judicio, re probe, ut ab illo explicatur, intellecta, ea quam fingit imaginatione non ſit opus, ut alibi monuimus. Quod ſi tale quid ſcriptis ſuis inſeruiſſet Carteſius, non eſſet, quod illum carperemus: nunc vero ponit ſpatia nullo fine extenſa, non modo per Imaginationem, ſed Realiter, & corpoream etiam ſubſtantiam eodem modo extenſam quæ eis contineatur: qui omnes in univerſo agnoſcunt, eos* fingere *ait,* Infinitæ *Dei potentiæ fraudem facere, & ea per ſuperbiam affirmare quæ ipſis nec ratione ulla nec revelatione cognita. Vide duo ejus loca primo à nobis citata, & plus eum dicere, quam jam recenſuimus, agnoſces.*

CLXV. Reſp. Ego verò hic primo aliquot argumentis ſpatia Imaginaria deſtruam, dein in ſpecie dicam, quid de Suarezii explicatione iſtorum ſpatiorum ſpeciali ſentiam. Primum quod attinet, quamvis ſpatia Imaginaria, eo ipſo quo talia ſemetipſa ſatis refutent, tamen ut eorum inanitas reddatur manifeſtior, obſerventur ſequentia argumenta. I Cum ante mundum nihil fuerit præter Deum, etiam nihil ante mundum concipiendum:

Digitized by Google

cipiendum: Quid ergo opus imaginari ante mundum conditum ſpatium extenſum? 2. ſpatium non differt realiter à corpore, E. corpore non exiſtente, non debet concipi exiſtere. 3. ſpatium imaginarium revera eſt nihil. Atqui Deus non poteſt eſſe in Nihilo. Quomodo enim in eo erit? niſi ut in Chimæra, Centauro & aliis figmentis? 4. Ad concipiendum inextenſum non opus eſt concipere extenſum; nullam enim ut talia habent convenientiam: Deus autem eſt inextenſus. 5. Imaginariis non poſſunt neque debent adſcribi reales affectiones & realia attributa: Extenſio, diſtantia, & partes diverſæ. Cui enim realia attributa conveniunt & cujus conceptum ingrediuntur, illud eſt reale.

CLXVI. Dein in Suarezii ſpeciali explicatione ſequentia præcipuè, aliis præteritis, reprehendo; 1. Quod dicat, *nos non poſſe illam divinæ ſubſtantiæ diſpoſitionem & immenſitatem niſi per modum cujuſdam extenſionis concipere.* Hic autem quæro ex Adverſario, num rectè & orthodoxè dictum putet, Deum non poſſe concipi niſi per modum extenſionis, hoc eſt corporeitatis? Quæro enim an huic conceptui noſtro formali correſpondeat conceptus aliquis objectivus in ipſo Deo, annon? Si prius, Ergò Deus reverâ eſt corporeus, ſi non, ergò falſus & non Orthodoxus eſt conceptus formalis per quem aliter concipitur ac reverâ eſt. 2. Quod dicit, *nos neceſſario apprehendere veluti quoddam ſpatium aptum repleri corporibus cui tota divina ſubſtantia ſit præſens.* Nam ad omnipræſentiam divinam concipiendam non opus eſt talibus ſpatiis quæ ſint apta repleri, ſed quæ ſunt repleta; neque præſentia, cum ſit ἐκ τῶ πρός τι, concipienda eſt ſine rebus ad quas referatur. 3. quòd exiſtimat, *illam præſentiam ad ſpatia Imaginaria licet, ut concipitur, nihil ſit, & mera relatio rationis, tamen eſſe neceſſariam ad Immenſitatem Dei concipiendam*; Nam ſic ſequitur: Opus eſſe ad perfectiones Dei côncipiendas comparatione cum nihilo ſive Imaginatione aliquâ & Nihili tanquam realis, adeoque fictis ad res maxime reales percipiendas, quod non poteſt non eſſe abſurdum. 4. Quod ſtatuat, *Deum Immenſitate præſentem* etiam *eſſe extra hunc mundum*, cùm non poſſit eſſe præſens nihilo quod non eſt, quale extra hunc mundum eſt concipiendum. Dicta verò Jobi XI. & XXI. item Reg. VIII. non poſitive ſed negative Immenſitatem Dei deſcribunt, quod nempe totus mundus, quamvis Maximus & Indefinitus juxta ſuperius explicata, non tamen ſit tantus, quin Deus poſſit novis productis creaturis ſuam præſentiam illis exhibere. 5. Quod dicit, *Deum extitiſſe in omni tempore imaginario ante reale tempus*, cum è contrario tale imaginarium tempus ad æternam Dei permanentiam concipiendam non ſit neceſſarium.

CLXVII.

CLXVII. Inſt. 1. (R. A. p. 28.) *Hac tu Wittichi cum dicis omni ratione deſtituta, vide quid agas, negare enim cogeris, Deum ſine mutatione poſſe interne & realiter eſſe in quacunque re, ſi illam velit creare: affirmare adigeris, Deum hoc mundo ita concludi, ut in ampliori nec actu ſit nec eſſe poſſit, & quod caput eſt tam multis tamque illuſtribus Scripturæ locis omnem auctoritatem abrogabis.*

Reſp. Quod ante dixi, ſpatiorum Imaginariorum introductionem omni ratione eſſe deſtitutam, id nunc probatum dedi, atque in ſuperpondium oſtendi etiam ea cum recta ratione pugnare. 2. Ex his duobus nec prius negare nec poſterius affirmare cogor, etſi ſpatia imaginaria rejiciam & mundi Indefinitatem adſtruam, ſin minus, oſtendatur quomodo id ex meâ ſententiâ conſequatur. 3. Auctoritatem Scripturæ dictis per meam ſententiam non abrogo, niſi hoc apud vos ſit Auctoritatem Scripturæ derogare, cum ſenſum quem vos ei tribuitis non recipere.

CLXVIII. Porrò addit (R. A. p. 29.) *Ut autem plenius ſcias quid de tota hac re ſentiam, arbitror Suarezium & te cum Carteſio eodem luto hærere. Ut enim ille ait.* Non poſſumus illam divinæ ſubſtantiæ diſpoſitionem & immenſitatem concipere, niſi per modum cujuſdam extenſionis, *ita tu*; mundum enim ſine indefinitâ extenſione, id eſt, cum terminis & finibus concipere non poſſum, ſed ſemper ultra illos fines alia quædam extenſio concipienda porro occurrit, & *Carteſius:* non poſſumus imaginari extenſionem tam magnam, quin intelligamus adhuc majorem eſſe poſſe.

Reſp. Quis vero non videt differentiam maximam? Suarez loquitur de Deo cui tribuit extenſionem quandam: nos de mundo eique attribuimus extenſionem indefinitam: convenientia enim quænam eſt inter duas propoſitiones, quorum Subjecta & Prædicata tam ſunt diverſa?

CLXIX. Tandem R. A p. 29 *Sed ille hinc ſatis feliciter emerſit, dum fatetur, præſentiam illam ut concipitur* NIHIL *eſſe, ſed quod per eam declaratur eſſe Immenſitatem Dei. Vos autem plane abſorpſit illa vorago dum ſpatium ut à vobis concipitur, verum &* REALE *eſſe, ſomniatis, ea tantum ratione quia ita concipitis & imaginamini.*

Reſp. E contrario Suarez ſeſe plane immerſit, ut antea viſum, dum fatetur, præſentiam illam ut concipitur NIHIL eſſe, & tamen exiſtimat, eam eſſe neceſſariam. 2. Nos verò non propterea dicimus ſpatium illud eſſe reale, quia ita concipimus & imaginamur, ſed quia ejus talem habemus ideam, non aliam, eamque claram & diſtinctam, quæ cum à Deo ſit, ſi eam

Digitized by Google

ſi eam ad mundum,quem repræſentat, referamus, non poſſit nos in errorem ducere, niſi velimus Deum ſtatuere fallacem, & omnem certitudinem evertere, uti ſupra demonſtratum.

CAPUT XII.

Objectio ſecunda contra Indefinitatem Mundi, à cognitione limitum mundi, quæ omnibus conveniat, expenditur & ſolvitur.

CLXX. Obj. Secunda deſumta ex eo, quod poſsimus aliquos Mundi limites cognoſcere, ultra quos non ſit ulterius aſcendendum. Id antecedens probatur 1. ex Eph. IV. 10. *(R. St. p. 83.) Manifeſto in S. Script. terminus univerſi ſtatuitur Cœlum Beatorum quod* ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν *eſſe dicit Paulus Epheſ.* IV. 10. *ac proinde ſub ſe concludit omnes* ſtellas fixas, *quæ proinde in infinitum multiplicari non poſſunt, niſi cœlum Ubiquitarium nobis comminiſcatur, quod non includat ſed pervadat omnia.*

Reſp. 1. Audio Scripturam dicentem: Chriſtum aſcendiſſe ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν; ſed ab ea dictum, Cœlum Empyreum eſſe terminum univerſi, ipſiuſque terminum à nobis poſſe concipi, non audio. Itaque in citato loco, quemadmodum verſu præcedenti illud εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς non accipiendum eſt ita, ac ſi comparetur Terræ medium, ſtricte nempe acceptum, cum partibus exterioribus, quaſi Chriſtus centrum terræ ingreſſus fuerit, niſi hic deſcenſum Chriſti ad inferos cum Pontificiis velis ſtatuminari, ſed Terra comparative ad Cœlum eſt conſideranda, uti recte monet Calvinus in hunc locum, *Comparatur non una terra pars cum altera, ſed tota terra cum cœlo, ac ſi diceret: ex ſede tam excelſa in hoc noſtrum profundum barathrum deſcendiſſe*; ſimilia habet Parkerus de Deſcenſu Chriſti lib. III. p. 20. *Quid verò hinc ſequitur? Non enim partes coeli, aut verò terræ inter ſeſe hic conferuntur, ſed ſupremum coelum terræ infimæ opponitur: quomodo & Eſaias loquitur, apud quem, mentione factâ nullâ de inferno animarum, coelum & terra phraſi eâdem ſic opponuntur, & c.* 4.23. *Clangite coeli, clangite inferiores partes terræ*: ita etiam illud ὑπεράνω τῶν οὐρανῶν comparate ad terram eſt concipiendum, ac ſi diceret: Ex hoc noſtro profundo barathro Chriſtum ad ſedem tam excelſam aſcendiſſe; quo nihil de terminis mundi & finibus aſſeritur: ſi enim abſolute hæc verba velles urgere, dicendum eſſet, etiam ſupra Cœlum Empyreum Chriſtum aſcendiſſe. Quod ſi locus bene perpendatur, patebit, nihil

Digitized by Google

aliud ad ſummum inde concludi poſſe, quam, Cœlum Beatorum eſſe ſupra hoc cœlum viſibile ſtellis repletum, quod nobis non obeſt. 2. Cum neſciamus, quouſque illud cœlum ſe extendat, & annon ſit altitudinis Indefinitæ, neque perſpectum habeamus, an ultra cœlum illud non alia iterum ſint corpora, nobis incognita, neque an undique Cœlum Sidereum ambiat, & adverſarius nullum ex his demonſtrare poſſit, imbecillitas iſtius argumentationis per ſe patet. 3. Neque tamen hoc cœlum erit Ubiquitiſticum, neque dicendum erit omnia pervadere, cum benè colligatur, eſſe ſupra omnes hos cœlos viſibiles, aſtris confertos; poſſet ergo includere omnia corpora, licet à nullo includeretur, & eo uſque protenderetur, ut ejus fines aſſequi non poſſimus. Manifeſtum ergo eſt, hunc locum nequicquam contra Carteſium eſſe productum.

CLXXI. Inſt. 1. (R. A p 30.) *Inſpice ergo primum verſiculum Geneſeos: porro cœlum tripartito dividitur in aëreum, æthereum & Cœlum Beatorum, quod Paulus τρίτον οὐρανὸν vocat, hoc ὑπεράνω πάντων οὐρανῶν collocat idem Paulus; eſt ergo terminus univerſi: nam Univerſum Cœli & Terræ nomine in Scriptura deſignari, ipſe initio Diſſert. auctor es.*

Reſp. Argumentum, quod hic adfertur ab adverſario, tale ut ſit oportet: Cœlum & terra eſt Univerſum; At terminus iſtius cœli & terræ eſt Cœlum Beatorum, Ergo eſt terminus Univerſi. Sed in illo Argumento Minor propoſ. poteſt duplici ſenſu accipi, vel ita ut terminus idem ſit quod ultimum corpus, quo ſenſu etiamſi & Minor & Concluſio concederetur, nihil tamen nobis contrarium eſſet probatum. Poſito enim, quod Cœlum ſit ultimum corpus, tamen ad probandum, mundum non eſſe Indefinitum, eſſet præterea oſtendendum, illud ipſum corpus non eſſe indefinitæ magnitudinis, ejuſque terminum cognoſci poſſe. Vel Minoris hujus ſenſus eſſe poteſt, ut terminus non tantum ultimum corpus denotet, ſed tale ultimum corpus, in quo termini queant concipi, quo ſenſu eam nego, nec probatur per iſtam diviſionem Cœli in Aëreum, Æthereum, & Beatorum, ut per ſe eſt clarum.

CLXXII. Inſt. 2. (R. A. p. 31.) *Si dicerem, Inferiores partes terræ cum ſuperioribus comparari, nihil præter textum dicerem, imo ipſam textus literam pro me haberem, nec tamen per illas intelligerem terræ centrum, ſed ſepulchrum. Tu ergo qui inferiores partes aut etiam medium terræ collatum cum ſuperiori, aut extrema ejus parte putas idem valere quod ejus centrum, Papiſtarum opinionem vere ſtatuminas, non ego.*

Reſp. Mens meæ reſponſionis hæc fuit: quemadmodum non evinci poteſt, neceſſariò hæc verba, εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς, comparative eſſe intelli-

intelligenda, vel reſpectu terræ medii ſive centri cum exterioribus comparati, vel, quod nunc addo, reſpectu inferiorum terræ partium, qualis eſt ſepulchrum, cum ſuperioribus comparatarum; ita etiam illa verba, ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν, non accipienda eſſe comparative. Probetur contrarium, ſi fieri poteſt. Nos exiſtimamus, Calvini & Belgarum ſimplicem expoſitionem de Chriſti deſcenſu in uterum Beatæ Virginis ſufficere. 2. Etſi autem hic mihi medium ſtrictè & accuratiſſimè acceptum ac centrum terræ æquivaleat, non tamen dico, quod ubicunque medii & cordis Terræ in Scripturis S. fit mentio, illud vel adeo ſtricte, vel pro centro Terræ debat ſumi.

CLXXIII. Inſt. 3. (R. A. p. 32.) *Explicatio Calvini nobis non incommodat, etſi non ſit adeo literalis, ut illa altera. Cum enim Terra & Cœlum Beatorum fatente adverſario, opponantur, ſequitur, ut Terra aſſeritur eſſe mundi pars infima, ita Cœlum, de quo agimus, conſtitui Mundi partem ſupremam, ac proinde eſſe terminum univerſi in altum, prout Terra in profundum,*

Reſp. Quod ſequi putat antagoniſta, illud minime ſequitur; nam denominationes hæ dextri & ſiniſtri, ſuperioris & inferioris dicuntur à partibus corporis noſtri, ut illud ſuperius dicatur, quod eſt ſupra capita noſtra, inferius quod eſt ſub pedibus noſtris. Itaque, etſi Terra concedatur mundi pars infima, eo ſenſu quia eſt ſub pedibus noſtris, quocunque nos vertamus, & Cœlum Beatorum pars ſuperior, quatenus eſt à capitibus noſtris magis remotum, quam cœli viſibiles, ſuper quibus ab Apoſtolo hoc loco collocatur, inde tamen non ſequitur, quod ſit terminus Univerſi, undique cingens Cœlum Sidereum, nec quod ejus ipſius termini poſſint cognoſci, quodque illud ipſum non ut Indefinitum ſit concipiendum.

CLXXIV. Inſt. 4. (R. A. p. 34.) *Non eſſe abſurdum Cajetano, ut dicatur, Chriſtum etiam ſupra cœlum Empyreum aſcendiſſe &c. ſed miſſa illa ſubtilitate, ſe negare ſequi id quod inferam: Cum enim Chriſtus dicatur aſcendiſſe ad cœlum & cœlo contineri, è verbis Apoſtoli hoc unum ſequitur, cum adſcendiſſe ad cœlum, quod eſt ſupra omnes cœlos reliquos &c.*

Reſp. Illud quod infero recte infero; ſed non infero, Chriſtum aſcendiſſe ſupra cœlum Beatorum, è verbis Apoſtoli rite intellectis, quod mihi falſo hic attribuitur; ſed dico, ex verbis illis rigide & abſolute acceptis, hoc eſt, ſi tantum præciſe ad verba, non ad mentem Apoſtoli attendas, inferri poſſe, Chriſtum etiam ſupra Cœlum Empyreum aſcendiſſe, quod omnino verum eſt. Inde itaque concludo, non præciſe omnia verba de-

bere urgeri, & torqueri, ſed ad mentem Apoſtoli attendendum, ad quam ſi attendamus, nihil plane pro ſua ſententia adverſarius obtinebit.

CLXXV. Inſt. 5. *loco eſſe poteſt* (R. A. p. 10.) *Quod idem cœlum hariolaris non terminare Univerſum, nec undiquaque Cœlum Sidereum ambire, ſed alicui forte ejus parti incumbere, id ut abſurdus ſcatet, ita à gravi Theologo alienum eſſe debet, cujus eſt loqui & tacere cum Scriptura, ea autem nihil quod ſupra tertium cœlum ſit, uſquam memorat, neque uni alicui orbis terrarum parti hanc prærogativam dedit, ut inde ad Cœlum Beatorum recta aſcendatur, reliquis qui eo contendunt per infinitos gyros circumactis, quod ſecundum hanc opinionem fieri oporteret.*

Reſp. Nullam ego hic aut alibi extra Scripturam de cœlo Empyreo opinionem profero, neque quicquam hariolor, ſed cum Scriptura loquor, & taceo, eo ipſo enim, quia Scriptura non determinat, quouſque Cœlum Beatorum ſe extendat &c. Item, an univerſum undique terminet &c. ea etiam ipſa indeterminata relinquo. Sed ſi adverſarius ex Eph. IV. velit recte inferre, mundum non eſſe Indefinitum, ſed poſſe ei fines certos aſſignari, has omnes quæſtiones ita determinare debet, ut demonſtret, quouſque cœlum hoc ſe extendat, item, nulla eſſe alia ſupra hoc cœlum corpora, item, undique cœlum ſidereum ambire.

CLXXVI. Videamus nunc, quomodo iſtas quæſtiones determinare conetur. R. A. p. 36. *Scimus omnes, inquit, coelum illud non ſe extendere in infinitum, quia corpus eſt, ſcimus ſupra illud coelum non eſſe alia corpora, alioqui τ̃ ὑψίςων appellationem tueri non poſſet, quod ſi ea eſſent non debuiſti Univerſum coeli & Terra nomine comprehendere, ſed addere corpora quæ ſupra ipſum ſupremum coelum eſſe hariolaris.*

Reſp. Ex eo quod Cœlum Beatorum ſit corpus nego inferri poſſe, illud non eſſe indefinitæ extenſionis, nec enim corporis naturæ indefinitam extenſionem video repugnare. 2. Cœlum Beatorum recte ἐν ὑψίςοις dicitur reſpectu corporum nobis cognitorum & Cœlorum viſibilium, ſed tamen exinde non ſequitur, illud abſolute eſſe ſupremum, & ſi ſit, habere terminos nobis conceptibiles. Præſtat ergo in re incerta, talique quæ quamvis certa ſit, non magnum haberet uſum, ἐπέχειν, quam aliquid certi determinare velle. 3. Univerſum Cœli & Terræ nomine cũ Scriptura comprehendo; ſi tamen eſſent ſupra Cœlum Beatorum corpora quædam, ea nihilominus ad id, quod cœli nomine intelligitur, eſſent referenda. Quod eſt ſupra cœlos aſpectabiles, id nomine cœli tertii venit, quod vel totum poteſt eſſe deſtinatum Beatorum habitationi, vel

vel ex parte tantum, id quod à nobis nequit determinari.

CLXXVII. Pergimus cum pergente R. A. p. 36. *Coelum ſupremum ſi non undique Coelum ſidereum ambiret, non tamen careret termino ſidereum coelum, ſed ſe ipſo terminaretur. Deinde ſi non ambiret undique Coelum Sidereum, non eſſet ſupra omnes coelos, ſed ſupra eorum partem tantum.*

Reſp. Si non undique Cœlum Sidereum ambiat, ſequitur ex indefinitâ extenſione mundi, Cœli Siderei terminos cognoſci non poſſe, ſed illud ſe in indefinitum extendere. Dein Cœlum Beatorum eſſet ſupra omnes cœlos ſpectabiles, quod dicit Scriptura, etſi non undique cœlum ſidereum ambiat. Neque enim Scriptura dicit, illud eſſe undique ſupra omnes cœlos aſpectabiles. Quas poſtea difficultates nectit Antagoniſta, ſive potius nugas proponit de via, per quam animæ & corpora deberent aſcendere ad cœlum, ſi hoc non undiquaque cingeret cœlum ſidereum, eas tanquam inconſequentes ex noſtrâ ſententiâ rejicimus, nec opus eſt, ut de iis ſimus ſolliciti. Neque nos γραώδεις μύθȣς introducimus, qui dicimus, naturam Cœli Beatorum & extenſionis ejus rationem non poſſe determinari, taliaque, de quibus Scriptura nihil dicit, neque ratio docet, in medio eſſe relinquenda, ſed vos, qui quævis magiſtraliter vultis determinare.

CLXXVIII. Inſt. 6. (R. A. p. 32.) *Quomodo coelum poteſt eſſe ſupra omnes coelos viſibiles, aſtris conſertos, ſi aſtra in infinitum multiplicentur? poteſtne aliquid ſuperius eſſe infinito: quomodo poteſt includere omnia corpora, ſi non undique Coelum Sidereum ambiat, & ultra ipſum ſint alia corpora?*

Reſp. Nemo dixit, quod aſtra actu ſint infinita, ſed hoc dicimus, eorum numerum determinari non poſſe, nec certum eſſe, an ultra ſtellas fixas, quas oculis uſurpamus, aut etiam quas tubo optico aſſequi poſſumus, ſint aliæ ſtellæ fixæ, quas nullis ex dictis modis cognoſcere poſſimus, interim cum diſtribuitur cœlum in Aëreum, Sidereum, & Tertium Cœlum, per Sidereum intelligitur cœlum viſibile aſtris refertum, quæ oculis noſtris uſurpare poſſumus, quo reſpectu Cœlum Beatorum ſupra omnes cœlos viſibiles eſſe poteſt, etſi aſtrorum numerus iniri non poſſit. 2. Infinito nihil ſuperius eſſe poteſt, adeoque, ſi Cœlum Beatorum undique Cœlum Sidereum ambiat, poterimus cognoſcere hujus limites, ultra quos non ſit altius adſcendendum. Quod ſi vero tantum ab aliqua parte hoc complectatur, etiam tantum ab eâ parte fines & limites ei erunt adſcribendi. 3. Concedimus vero, Cœlum Beatorum non poſſe undique includere omnia corpora, ſi non undique Cœlum Sidereum ambiret; ſed hæc duo conjunximus nullibi. Diximus enim, ad Indefinita-

Digitized by Google

tem Mundi deſtruendam non tantum certum eſſe oportere, quod cœlum Empyreum undique ambiat cœlum ſidereum, ſed etiam eo evicto, quod tamen fieri nequit, demonſtrari debere, nos cœli Empyrei limites comprehendere vel cognoſcere poſſe.

CLXXIX. Tandem (R. A. p. 38.) *Coelum ergo illud vel ubiquitarium neceſſariò erit, quod omnia corpora penetret, vel nullum penitus, cum nullus ei inveniatur locus, ſtellis fixis, (poſt terram, aërem, Planetas) omnia omnino loca, quæ imaginari poſſumus, occupantibus.*

Reſp. At quis unquam dixit, ſtellas fixas, poſt terram, aërem, Planetas omnia omnino loca occupare, cum è contrario dicam, Cœlum Empyreum eſſe ſupra omnes hos cœlos viſibiles aſtris refertos, niſi ſtatuas, ſupra omnes hos cœlos viſibiles nullum eſſe corpus, quod vellent Lutherani.

CLXXX. Prob. Anteced. 2. *Potentia pertinet ad materiam, quæ, cum ex ſe ſit Indefinita, origo eſt infiniti: actus vero ex forma pendet, quæ forma, ut eſt actus, ita eſt aliquid ſui conditione definitum. Piccolhomineus.*

Reſp. Eſt hic manifeſtum ſophiſma, neque probatur, quod probari debebat. Quomodocunque materia & forma differant, ſive tantum conceptibus, ut generale & ſpeciale, ſive realiter, ut diverſa Entia, ſive modaliter, de quo hoc loco nolumus diſputare, nihil aliud hoc argumento infertur, quam per formam rem in ſua ſpecie conſtitui, & ab aliis Entibus diſtingui, atque ſic finiri & determinari. Sed non procedit argumentum à definitione Metaphyſicâ & tranſcendentali, ad finitionem Phyſicam, niſi ſimili modo velis inferre, perſonas SS. Trinitatis eſſe finitas, quia natura & perſona differunt, ut terminatum & terminans, vocabulis his metaphyſice acceptis, uti docent Theologi. 2. Quid ſi ipſa forma ſit infinita, vel indefinita? an non per eam poterit terminari materia, ut tamen non inde exſurgat actu finitum? ſic per infinitatem ſive perfectionem ſummam determinatur Ens, ut oriatur conceptus in mente noſtra Entis Infiniti, Dei, qui ſine omni controverſia eſt actu infinitus.

CLXXXI. Prob. 3. Antecedentis ex Piccolhomineo. *Omne productum & in eſſe conſtitutum, ut tale eſt, etiam præditum dicitur fine & termino ſuæ conſtitutionis, & propterea contradictionem includeret, ſi diceremus, eſſe conſtitutum in eſſe, & eſſe infinitum; ita enim infinitum pertranſiretur, nec eſſet in eo aliquid ultra accipere, deventum enim eſſet ad poſtremum, & infinitum non eſſet infinitum.*

Reſp. 1.

Digitized by Google

Reſp. 1. Quod productum eſt, finitum quidem eſt perfectione, eo ipſo, quia eſt productum, cum certâ & finitâ menſurâ habeat eam ſibi communicatam: Sed negamus omne corpus productum, neceſſario habere finitam extenſionem. 2. Omne productum habet terminum ſuæ conſtitutionis, quatenus ad illud actio eſt terminata, ſed non ideo Phyſicè eſt finitum actu. 3. Nulla ergo eſt contradictio, ſi dicamus, productum eo ipſo, quia conſtitutum eſt in actu, eſſe hactenus finitum metaphyſice, quatenus à non eſſe ad fieri, & à fieri ad productum eſſe proceſſit, ſed nihil impedit, quin productum corpus poſſit eſſe infinitum: neque ita infinitum pertranſiretur, dummodo diſtinctio inter infinitum metaphyſice ſive tranſcendentaliter, & infinitum Phyſice obſervaretur; quamvis etiam à Deo, qui produxit, comprehenderetur, utpote infinito, nihilominus infinitum maneret, & nobis finitis ſemper in eo reſtaret ulterius accipiendum.

CLXXXII. Prob. 4. Ejuſdem Piccolhom. *Conditio corporis actu exiſtentis eſt, ut ſit termino præditum, quia conditio corporis eſt terminari ſuperficie.*

Reſp. Conditio corporis finiti & terminati omnino eſt, terminari ſuperficie, ſed non corporis quatenus tale eſt, ad cujus naturam nihil requiritur, præter meram extenſionem, reliqua enim omnia ab eo tolli poſſunt, corpore manente: Tolle enim motum è mundo, nulla erunt corpora terminata & nec finita certâ ſuperficie, ſed erunt omnia unum corpus continuum, nec tamen propterea naturam ſuam amittent. Mirum id quod dico videbitur iis, qui præjudiciis occupati formas neſcio quas ſubſtantiales fingunt, qui exiſtimant Accidentibus realitatem ſtricte dictam competere, eaque ſubſtantiis, tanquam nova quædam Entia ſuperaddi putant, quique qualitates ſenſibiles rebus attribuunt; nec tamen earum rationem formalem intelligunt; ſed non mirum erit iis, qui omnia hæc figmenta rejecerunt, qui nihil in corporeis rebus, præter Materiam in Extenſione conſiſtentem agnoſcunt, in câque etiam nullam diſtinctionem concipiunt, præter eam, quæ à Magnitudine, Situ, Motu, & Quiete exiſtit. Vide Carteſ. Pp. II. art. 23. Si enim nullus ſit motus, nulla erit corporum à ſe invicem ſeparatio, quoad ſuperficiem externam, quæ ſine motu concipi nequit, nulla etiam diſtinctio texturæ, & variatio partium interiorum. Ubi enim motus non eſt, ibi pars à proximè cohærente, quoad figuram non diſtinguitur; cohæret enim, ſicque nullum terminum habet; quo poſito, Continuitas omnium corporum, omniumque partium, neceſſario orietur; eſt enim Continuum, quod alteri immediate ita cohæret, ut penes illud quieſcat.

CLXXXIII.

Digitized by Google

CLXXXIII. Conſequentia vero (R. A. p. 47.) ridicula admodũ eſt, *de nummis quieſcentibus in arcâ, quos ex hac ſententia, omnes in unum nummum continuum putat mutatum iri, de quieſcentibus in terra lignis & lapidibus, quæ ſint futura omnia unum corpus, de quieſcentibus noctu animantibus, hominibus, canibus, felibus, quæ ſint coalitura in unam maſſam: &c.* An enim, cum quieſcunt nummi in arcâ, nullus circa eos eſt motus aëris, an nulla permeatio materiæ ſubtilis, quæ omnia tranſit? 2. an in Animantibus ſi quieſcunt propterea nullus eſt motus, ſanguinis, ſpirituum? an nihil in iis liquidi? quod eo ipſo quo tale eſt, in perpetuo eſt motu, an omnes particulæ ita quieſcunt, ut nihil circa eas moveatur? Verum hæc omnia inde procedunt, quod non obſervaverit, à me non dictum, *aliquo motu ſublato è mundo omnia fore continua*, ſed indefinite, *motu*, hoc eſt, *omni ſublato è mundo omnia fore Unum corpus continuum.*

Atque hæc dixi præcipua, quæ contra infinitum actu afferri poſſunt, quod etiamnum dico, quum non videam aliquid urgentius adverſarium produxiſſe, quod non eodem referri queat, aut ex iiſdem fontibus ſcaturiat, uti ex dictis apparet, & porro manifeſtum erit ex iis, quæ occaſione datâ, ab adverſariis hoc & ſequenti capite de infinito actu dicentur.

CLXXXIV. Prob. 5. Antecedentis. *Corpus infinitum non poteſt moveri: at totus mundus movetur.*

E. Reſp. Movetur mundus tum reſpectu partium ſuarum adſpectabilium, tùm etiam reſpectu inviſibilium particularum, ex quibus fluida componuntur, ſed, an etiam omnes illæ partes mundi ſuperiores, iſtis partibus adſpectabilibus in infinitum uſque ſuperpoſitæ, moverentur, quis dixerit?

CLXXXV. Prob. 6. Anteced. (M. p. 156.) *Corpus actu infinitum implicat corpus eſſe mobile & non poſſe moveri: Prob. Mobile erit, quia erit corpus naturale; nam ideo habet in ſe principium motus & quietis, quia natura eſt principium motus & quietis. Non mobile, quia moveretur aut motu recto, aut circulari; Non recto, quia non eſſet ubi, quo tenderet, quandoquidem per infinitatem omnia repleret; Non circulari, quia partes corporis infiniti non poſſent ſuccedere in locum aliarum partium, quod requiritur in motu circulari, eo quod diſtarent in infinitum, omnes enim lineæ à centro circulari ductæ, quo longius protenduntur, eo longius inter ſe diſtant, quare in infinitum protenſæ, in infinitum quoque à ſe diſtarent.*

Reſp. Corpus naturale habere principium motus & quietis verum eſt, ſi intelligas non de principio activo, ſed diſpoſitivo; Activum vero prin-

Digitized by Google

principium nullum corpus in ſe habet, quia omne, quod movetur, movetur ab alio, teſte Ariſtot. & ipſa ratione, quæ ſolis rebus ſpiritualibus ſive cogitantibus hoc privilegium attribuit, ut haberent internum propriumque agendi principium; quod ſi rebus corporeis tribuas, eo ipſo cum ſpiritualibus confundes, quod quidem vitium peſſimum eſt, & tamen in Philoſophia Scholaſticâ frequentiſſimum. Natura ergo eſt tantum motus & quietis principium diſpoſitivum, quatenus, ſicut ab extrinſeco agente impellitur & dirigitur, ita pro magnitudine & figura ſua motum varie communicat. Itaque corpus naturale eatenus eſt mobile, quatenus poteſt moveri ab alio: Corpus autem infinitum poteſt dici mobile reſpectu ſuarum partium in infinitum uſque, quia quævis pars poteſt recedere ab alia, ſed an totum ſit mobile, ſive omnes illæ ſuperiores, quæ ex hypoth. in infinitum extenſæ ſunt, moveri queant, an non, cum totum ut infinitum non poſſit comprehendi cogitatione finita, quis dixerit?

CLXXXVI. Prob. 7. Anteced. (M. p. 158.) *Abſurdum eſt, & contradictorium, eſſe creaturam, & tamen actu non poſſe augeri per divinam potentiam: tale autem quid corpus actu infinitum involveret; de Creatura conſtat, non poſſe autem augeri patet, quia infinito nihil poteſt accedere.*

Reſp. Quomodo mundus poſſet augeri, nos non poſſumus intelligere, ergo etiam de eo nihil debemus determinare. In mundo enim cum nullos terminos agnoſcere poſſimus, non etiam intelligere poſſumus, quomodo augeri queat.

CLXXXVII. Prob. 8. Anteced. (M. p. 157.) *Si detur corpus actu infinitum, erit ſub aliquo certo genere, & tamen ſub nulla ejus ſpecie continebitur, eſſet enim quantum, & tamen ſub nulla ſpecie quantitatis, quia nulla ſpecies poteſt eſſe infinita, eo ipſo, quod in eſſe ſpecies conſtituitur per formam, neceſſario limitatur per Eſſentiam.*

Reſp. Hujus argumenti vis ſimilis eſt cum primo, itaque eadem reſponſio poteſt applicari.

CLXXXVIII. Prob. 9. Anteced. *Quia tum ex infinitate Chriſti non formari poterit pro ejus divinitate argumentum.*

Reſp. Infinitas quando de Deo & Chriſto uſurpatur, ſignificat, infinitatem perfectionis, at de mundo, extenſionis, ex qua divinitas nullo modo poteſt probari.

CLXXXIX. Ut tamen appareat, ſententiam noſtram tantum eſſe, quod non poſſint cognoſci aliqui mundi limites, ultra quos non ulterius ſit adſcendendum, non vero nos ſtatuere mundum Infinitum, prout ſta-

Digitized by Google

tuimus, non ſufficientia argumenta eſſe, quæ pro finitate Mundi producuntur, ita etiam oſtendemus inſufficientiam argumentorum, quæ pro infinitate mundi adduci queunt. Atque primo quidem Objici poteſt: *Cujus Idea talis ac tanta eſt, ut nullos terminos in eo poſſimus cognoſcere, illud eſt infinitum, Atqui Mundi idea &c.*

Reſp. Negatur Major, quia ut aliquid ſit infinitum, requiritur ut idea ejus talis ſit, ut concipiamus in eo nullos eſſe terminos, quod nos negamus de mundo.

CXC. 2. Obj. *Qui eſt à Deo infinito conditus, ille eſt infinitus.*

Reſp. Neg. Maj. Prop. Quæ vera eſſet, ſi hoc modo eſſet propoſita, Quod eſt à Deo infinito, illud eſt tale, ut nos ejus limites non poſſimus invenire, niſi à revelatione, experientiâ vel ratione manifeſtetur, adeoque eſt Indefinitum.

CAPUT XIII.

Objectio tertia ab Infinitate Dei deſumpta propoſita & refutata.

CXCI. Objectio 3. ex Infinitate Dei hoc modo formari poſt: Quæ ſententia Deum quendam ex mundo facit, non eſt admittenda: At ſententia de mundi Indefinitate hoc facit. E. Hæc deſumi poteſt ex verbis (R. St. p. 82.) *Optarem & eum paulo concinnius argumentari, quam facit, qua enim ἀκολυθίᾳ ex immenſitate Dei immenſitatem creaturæ deducit? hac ratione Deum quendam alterum ex mundo facere adigitur.*

Reſp. Optarem, adverſarium aliquanto accuratius ad argumentationem Carteſii attendiſſe, quam fecit! ubinam enim Carteſius immenſitatem creaturæ ex immenſitate Dei deducit? ubi verò mundum ſimpliciter Infinitum dicit? 2. Poſito, non conceſſo, mundum eſſe ſimpliciter infinitum ſua extenſione, quod tamen nullibi dicit Carteſius, nec ego; an inde ſequeretur eſſe Deum? minimè verò. Infinitas enim, quæ Deo tribuitur, plane eſt alterius generis quam infinitas mundi: Illa eſt perfectionis, quâ ſignificatur, Deum habere omnimodam perfectionem, majoremque, quam ulla creatura cogitatione ſua comprehendere poſſit, cujus nulli ſint fines, nulli limites; hæc extenſionis, quæ nullo modo in Deum cadit, imo priorem evertit. Quod enim eſt extenſum, etſi eſſet in infinitum extenſum, nihilominus habet partes extra partes, eſt diviſibi-

le

Digitized by Google

le &c. quod quam alienum ſit à Dei omnimoda perfectione, quilibet videt. Itaque tantum abeſt, ut per Infinitam extenſionem tribuatur mundo infinita perfectio, ut è contrario infinita extenſio eo ipſo, quia eſt extenſio, multiplicem imperfectionem ponat.

CXCII. Inſt. 1. (R. A. p. 39.) *Carteſium Pp. III. art. 29. ex immenſitate Dei immenſitatem creaturæ colligere. Cauſativam enim particulam cùm, evincere, eum vel nullos in mundo limites, id eſt immenſitatem mundi deducere ex immenſitate Dei, ut cauſa, vel hanc ex illa ut effecto.*

Reſp. De illo loco ſupra art. 135. actum, iſque legitime explicatus, & quid à Carteſio colligatur, quid non, indicatum. 2. nullos in mundo limites cognoſcere, & mundum eſſe immenſum, valde differunt, Carteſius vero ex immenſitate Dei nihil aliud colligit, quam ultra ſtellas fixas alia corpora exiſtere.

CXCIII. Inſt. 2. (R. A. p. 40.) *Non dixit Carteſius totidem verbis, mundum eſſe ſimpliciter infinitum extenſione ſua, ſed dixit quod illis æquivalet,* mundum nullos extenſionis ſuæ fines habere.

Reſp. Hæc verba reſpiciunt Pp. II. art. 21. quem ſupra art. 120. 121. & ſeqq. explicuimus, quo lectorem ablegamus.

CXCIV. Inſt. 3. (R. A. p. 41.) *Ex Mundi Infinitate ſequeretur, rem extenſam eſſe Deum, quia res extenſa ponitur infinita, infinitas autem rei extenſæ non convenit &c.*

Reſp. Si hic ſit ullum argumentum, deberet hoc modo procedere; Cui convenit Infinitas, ille eſt Deus, Atqui ex hypoth. mundo convenit. E. At jam reſponſum erat à me per Infinitatis diſtinctionem, cum vocabulum Infinitatis dixeram eſſe ambiguum: Cui ergo competit Infinitas perfectionis, ille eſt Deus, non cui Infinitas extenſionis, qualis eſſet, ſi Mundus infinitus ſtatueretur, quod tamen nullibi dico.

CXCV. Inſt. 4. (R. A. p. 41.) *Infinitas individualis & incommunicabilis proprietas Dei eſt, mundi infinitas nullius generis i. e. nulla eſt.*

Reſp Infinitas proprietas Dei eſt, ſed non quocunque ſenſu vocem illam accipias, verum Infinitas, quæ denotat tot & tantas Dei perfectiones, ut nulli earum limites ſint vel eſſe poſſint. At Infinitas ſi mundo tribuatur, non deſignat infinitatem perfectionis, ſed extenſionis, quæ an detur, nec ne, non definio; ſed ſi detur, quæritur: an convertat mundum in Deum? quod nego.

CXCVI. Inſt. 5. (R. A. p. 42.) *Vos tribuitis rei extenſæ talem infinitatem, per quam nullum eſſentiæ ac perfectionis habet terminum, cum eum nullos*

extenſionis terminos habere fingitis, p. 42. Extenſio eſt perfectio, Infinita ergo Extenſio eſt infinita perfectio.

Reſp. Hoc nos non facere ſæpius eſt dictum; non enim mundum dicimus infinitum, ut nullos habeat terminos ſuæ extenſionis, ſed Indefinitum, in quo nulli termini à nobis queant reperiri. 2. Sed nunc quæritur, an infinitas ſi tribueretur mundo, eſſet Eſſentialis Dei proprietas, quod nos negamus. Dei enim proprietas nō eſt Infinitas, quovis ſenſu accepta, ſed Infinitas perfectionis, quæ mundo non competit. Habebit quidem mundus, ſi Infinitus, nullos Alicujus (NB.) Perfectionis ſuæ, (quæ ſecundum quid tantum talis eſt, imperfectionemque quandam implicat) limites aliqua ex parte, h. e. Extenſionis quatenus talis, ſed non perfectionis abſolutæ, non omnium perfectionum, non omni ex parte, quod ad Infinitatem Dei requiritur.

CXCVII. Inſt. 6. (R. A. p. 41, 42.) *Eo ipſo, quo mundus habet partes extra partes & diviſibilis eſt, non poteſt eſſe Infinitus, quæro enim, an ſingulæ illæ partes eſſent finitæ, an infinitæ? ſi finitæ, totum infinitum eſſe non poteſt, quia è finitis infinitum non componitur: ſi infinitæ, etiam ſingulæ arbores eſſent infinitæ &c.* Concinit M p. 156, 157.

Reſp. Singulæ partes, quæ actu ut præciſæ conciperentur, eſſent finitæ, ut arbores, homines, tota terra cum omnibus ſuper ea &c. ſed ſi mundus eſſet infinitus, reſtarent adhuc ſemper partes in iſto mundo ulterius atque ulterius, in infinitum auferendæ & præcidendæ, ita ut nulli earum fines ſint vel eſſe poſſent.

CXCVIII. Inſt. 7. (R. A. p. 42.) *Quia Extenſio multiplicem imperfectionem ponit, E. infinita eſſe non poteſt, ſiquidem infinitas, cum ſolius Dei ſit, omnem imperfectionem excludit.*

Reſp. Non poteſt eſſe infinita perfectionibus concedo, nec enim Infinitas quocunque ſenſu accepta Dei eſt, ſed hoc demum ſenſu, quatenus dicit tot & tantas perfectiones, ut nulla ex parte earum limites & fines ſint vel eſſe poſſint.

CXCIX. Addit R. A. p. 42. *Atque hinc quoque inſaniens ſapientia Claubergii exploditur, qui ut duo ſunt ſimpliciſſima, punctum & Deus, ita & duo infinita poſſe eſſe cavillatur.*

Reſp. Claub. Def. Cart. p. 512. ſic inquit, *Ridiculus ſit, qui amplius objectionem de duobus infinitis moverit: Plato Materiam vocat infinitam, Deus eſt infinitus, ergo duo dantur infinita. Nugæ. Punctum eſt res ſimpliciſſima, Deus eſt res ſimpliciſſima; ergo duo dantur ſimpliciſſima. Nugæ & logomachia mera.* Quibus oſtenditur cavillationem eſſe in verbo *Infinitum*, ut in verbo.

bo *ſimpliciſſimum*, cum utrumque de Deo uſurpatum longe alio ſenſu accipiatur, quam ſi aliis quibuſvis rebus applicetur. Quod ergo hæc non ſit λογομαχία oſtendendum tibi fuiſſet, ſi quid reſpondere voluiſſes.

CC. Inſt. 8. B. p. 128. *Sic Dei immenſitatem ſive infinitatem confundi cum ejus perfectione; Infinitum quidem eſſe Deum perfectione in omnibus attributis ſuis, ſed neminem Theologorum Reformatorum, illis vocibus ſimpliciter poſitis perfectionem intellexiſſe &c.*

Reſp. Tu vero dic quæſo, Num definitio ſupra data art. 195. Infinitatis Divinæ ſit legitima, nec ne? Si non, cedo vel rationem, vel unum Theologum, qui eam rejiciat; ſi ſit legitima, ex eâ apparet, eam mundo nunquam communicatum iri, etiamſi extenſione diceretur Infinitus. Infinitas Dei per omnia attributa, quæ ſunt ejus perfectiones, ſeſe extendit fatentibus Theologis, E. etiam generaliter eſt definienda. Vel reſponde ad hoc argumentum: Mundi Infinitas eſt extenſionis: Dei Infinitas non eſt Extenſionis: E. Dei infinitas non eſt mundi infinitas. Quod ſi ulla contradictio inter me & Theologos citatos, oſtendendum, *quod negent, Infinitatem Dei eſſe ejus perfectionem & non poſſe ut perfectionem conſiderari.*

CCI. Inſt. 9. Hic porro *R. A.* p. 76. neſcio quem ſcorpium latere ſuſpicatur, exiſtimans, nos Deo denegare Infinitatem Eſſentiæ, & per Conſeq. ejus præſentiam ratione Eſſentiæ, in omnibus locis, inque eum finem adducit verba Carteſii in Epiſtola ad More, ubi ſic dicit Carteſius: *Hoc ubique non admitto: videris infinitatem in eo ponere, quod ubique exiſtat,* (quod intelligendum ratione diffuſionis Eſſentiæ in omnibus locis, de qua agebatur) *cui opinioni non aſſentior, ſed Deum puto ratione Eſſentiæ nullam plane habere relationem ad locum.*

Reſp. Nullus hic ſcorpius, nullum periculum. Si Eſſentia Dei in ſe conſideretur citra operationem ad extra, eam ut talem Carteſius dicit non habere relationem ad locum, quemadmodum ante mundum conditum, antequam operatus erat ad extra, Deus ſibi ipſi erat locus & omnia: ſi vero conſideretur cum operatione ad extra, cùm Deus non operetur in diſtans, & ſic reſpectu ſuæ potentiæ ſit conjunctus & præſens omnibus rebus, Potentia autem ſit idem cum Eſſentia, etiam Eſſentia ejus omnibus locis præſens erit dicenda, quod clarum redditur ex epiſtolâ Carteſii tertiâ ad More ſcriptâ, quæ habetur inter ejus epiſtolas 72. ubi ſic loquitur: *Dixi Deum extenſum ratione Potentiæ, quod ſcilicet illa Potentia ſe exſerat vel exſerere poſſit in re extenſâ: Certumque eſt Dei eſſentiam*

debere eſſe ubique præſentem,ut ejus potentia ibi poſſit ſe exſerere,ſed nego illam ibi eſſe per modum rei extenſæ, hoc eſt,eo modo quo paulo ante rem extenſam deſcripſi. Noſtra ergo ſententia àſententiâ Vorſtii toto cœlo abeſt. Ille enim Deo tribuebat corpus,exiſtimabat finitũ,cœlo includebat reſpectu eſſentiæ,quæ omnia ex corporeitate, quam Deo affingebat,procedebant. Nos verò dicimus: *Deum eſſe Spiritum,rem cogitantem,actum puriſſimum,atq; non minus terræ aliiſque quibuſvis locis præſentẽ eſſe reſpectu eſſentiæ,quàm cœlo,cùm cœlum & terram omniaqueloca conſervet,atq; omnia operetur in omnibus.* Hoc tantùm exiſtimamus,Deum ante mundum conditum & nunc non eſſe in ſpatiis imaginariis,in quibus nihil operatur,quæque nihil aliud ſunt,quàm humani cerebri figmenta,eodemque loco habenda,quo chimæra, Cerberus & ſimilia. Unde, cùm nemo id ſiniſtrè queat interpretari,ſi quis neget, Deum eſſe in chimærâ vel in Cerbero, & ſimilibus humani ingenii figmentis, cum nihil ſint; Omnipræſentia autem ſit ἐκ τῶν πρός τι,ex iis quæ referuntur ad aliquid: neque etiam in pravum ſenſum detorquendum, ſi negemus, Deum ibi eſſe, ubi non operatur, adeoque non eſſe in ſpatiis imaginariis. Atque cum hâc noſtrâ ſententiâ conſentiunt non pauci Theologi. Sic Hyperius Methodi Theol. lib. 1. p. 141. *Non poteſt intelligi, Deum itâ eſſe Ubique, quomodo res quæpiam in loco eſt. Cùm namque Deus ſit ſubſtantia incorporea,ac proindè extremitates nullas admittens, fieri haud poteſt, ut loco circumſcribatur aut contineatur, ſed ipſe potius circumſcribit & continet omnia.* Item: *Per eſſentiam eſt Deus ubique: quia omnes res creatæ cœlum & terra: & quæ in eis ſunt,ſuum eſſe à Deo accipiunt. Deus namque Principium & Cauſa Efficiens exiſtit rerum omnium, neque aliunde habent niſi à Deo, ut ſint. Igitur hâc ratione conſideratur Deus ubique per ſuam eſſentiam.* Et quibuſdam interjectis: *Deus eſt ubique per eſſentiam, h. e. ratione Creationis; per potentiam, i. e. ratione operationis & motionis conceſſæ, quæ in ſingulis rebus clarè cernitur: denique per præſentiam, i. e. ratione conſervationis & gubernationis &c. Quamvis uno verbo ſimul omnia complectentes,videremur forſitan non ineptè dicere: Deum ſimpliciter eſſe ubique per potentiam ſive operationem.* Citat Auguſtinum ep. 57. ad Dardanum ſcriptâ: *In eo ipſo quod dicitur Deus ubique diffuſus carnali reſiſtendum eſt cogitationi, & mens à corporis ſenſibus avocanda, ne quaſi ſpatioſâ magnitudine opinemur, Deum per omnia diffundi: ſicut fumus aut humor,aut aër, aut lux iſta diffunditur. (Omnis enim hujuſcemodi magnitudo minor eſt in ſui parte quàm in toto) ſed ita potius, ſicuti eſt magna ſapientia etiam in homine, cujus corpus eſt parvum.* Et paulò poſt: *Sic eſt Deus per cuncta diffuſus, ut non ſit qualitas mundi, (ſed ſubſtantia creatrix mundi) ſine labore regens, & ſine onere continens mundum, non tamen*

per

Digitized by Google

per ſpatia locorum quaſi mole diffuſa, ita ut in dimidio mundi corpore ſit dimidius &c. ſed nullo contentus loco & in ſe ipſo totus. Eadem etiam cum noſtra ſententia eſt Tileni in Syntagmate Theologico diſp. 12, 28. *Vulgata ſententia, qua dicimus: Deum eſſe in rebus omnibus per eſſentiam, potentiam & præſentiam, intelligenda eſt, quaſi dicatur, Dei eſſentiam ſingulis rebus adeſſe, ut ipſis ὕπαρξιν ſive eſſe ſuum; potentiam ut vires tribuat: præſentiam ut operationem. Nimirum ſicuti cauſa effectis ſuis ineſt, & adeſt ἐνεργείᾳ.* Idem ſentit doctiſſimus Parkerus de Deſcenſu Chriſti ad inferos libro 2. art. 66. qui poſt citatos Patres hanc ipſam noſtram ſententiam à ſententia Vorſtii diſtinguens, inquit: *Sed nonne ad hæreſin illam Auguſtini Steuchi propendent iſta, quam Conradus ille Vorſtius irreligioſiſſimam revocavit ab Orco? Deum nempe ſubſtantia ſua in coelo duntaxat reſidere, ubique autem non aliter eſſe, quàm providentia, ſapientia, atque poteſtate ſua? Nullo modo. Exprimunt quidem ubiquitatem divinam hi Patres per effectus, utpote nobis notiores, eſſentiam interim non coarctantes, aut verò etiam à potentia & ſapientia ſeparantes: quod nemo hominum, niſi quis forte de grege porci Epicurus attentarit. Concludo verbis Mirandulani: Deus eſt ubique per eſſentiam, ſcilicet per potentiam & præſentiam & hoc nulli creaturæ competit.* Eadem debet eſſe ſententia eorum omnium, qui ſubſtantias ſpirituales & animas ſeparatas negant eſſe per eſſentiã in loco, niſi quatenus illa eſſentia extra ſe operatur, ſive quatenus eſt operans (hæc enim eſt mens iſtorum auctorum) quâ de re videas Parkerum lib. 2. art. 61, 62. qui pro eâ ſententiâ varios citat Patres, inter quos Origenes περὶ ἀρχῶν cap. 1. *Mens ut moveatur & operetur non indiget loco corporeo NB neque magnitudine ſenſibili vel corporali habitu, aut colore, aut ullo alio indiget horum, quæ corporis vel materiæ propria ſunt.* Gregorius Nyſſenus lib. de Anima: *Animæ non magis locus competit, quàm calor. NB Corporum duntaxat propria eſt ἡ ἐν τόπῳ θέσις.* Auguſtinus de 83. quæſtionibus: *Spiritualia non locis & partibus hujus mundi ſurſum eſſe intelligenda nobis ſunt, ſed merito excellentiæ ſuæ.* Item: *Hæreſis veſtra nihil aliud novit, quàm animam & Deum per locorum ſpatia vel infinita vel indefinita diſtendere: cum ſolum corpus talia occupet ſpatia, vel talibus ſpatiis occupetur.* Claudianus Mamertus, qui librũm edidit de ſtatu animæ, in quo fusè diſputat, *animam in loco nullo modo eſſe, nec moveri localiter poſſe.* Sed & Lavaterus de deſcenſu Chriſti ad inferos cap. 9. Johannem Picum Mirandulanum pro ea ſententia laudat, verbis ejus prolixè recitatis, in quibus eadem ſententia confirmatur auctoritate Durandi, Bernhardi de Gannaco, Thomæ Anglici, Hervei, Thomæ itidem, aliorumque. Adde tandem Mornæum de Veritate religionis Chriſtianæ pag. mihi

Digitized by Google

mihi 301. *Hujuſmodi verò*, inquit, *ſubſtantiæ* (intellectuales) *naturâ ſuâ totæ ſunt in toto, tota in parte qualibet, non enim addictæ ſunt ulli loco, ſed ibi ſunt demum NB ubi operantur, & operantur tota non per partes, quia individua ſunt*; & Zanchium in loco de Angelis pag. mihi 87. *Definitivè nihil aliud eſt, quàm eſſe in loco ſine ſpatii occupatione, ſed operatione duntaxat. NB. Ita angelos ſimplices ſpiritus & animas ajunt eſſe in loco. Ubi enim operantur, ibi ita eſſe definiuntur, ut ſimul alibi eſſe non poſſint.* Si enim hæc ſit natura Subſtantiæ ſpiritualis, ut non aliter poſſit dici iſta Subſtantia vel eſſentia eſſe in loco, niſi quatenus in loco operatur, cùm Dei ſubſtantia maximè ſit ſpiritualis, non poteſt alio ſenſu dici Ubique per eſſentiam, niſi quatenus illa eſſentia omnia in omnibus operatur. 2. Infinitatem Eſſentiæ Deo expreſſe tribuimus, quando dicimus, ei competere tot & tantas perfectiones, ut nulli earum limites eſſe poſſint. Eſſentia autem Dei in eo conſiſtit, quod habeat omnes omnino perfectiones.

CCII. Inſt. 10. (B. p. 250.) *Si abſurdum non eſt dari Creaturam in Infinitum Extenſam, ei etiam tribuitur perfectio major, quam ulla creatura cogitatione comprehendere poteſt.*

Reſp. Tale hic ſit argumentum oportet: Omnis perfectio, quæ major eſt, quàm ulla creatura cogitatione ſua comprehendere poteſt, eſt perfectio divina. Atqui poſita mundi Infinitate tribueretur ei perfectio talis? Ad quod reſpondeo: Omnis perfectio, quæ omni ex parte major eſt, quam ulla creatura ſua cogitatione comprehendere poteſt, eſt perfectio divina, concedo, ſed abſolute ſumpta Major eſt falſa, niſi ſtatuas ad Creaturæ intelligentis naturam requiri, ut Dei operum amplitudinem cogitatione ſua comprehendere poſſit, quod nego.

CCIII. Inſt. 11. (B. p. 210.) *Cum infinitam Extenſionem tribuis creaturæ, eam aliqua ratione Deo æqualem ſtatuis in eo, quod nullum poſſit concipi ubi, in quo creatura non tam ſit præſens, quam Creator &c.*

Reſp. Ubique Deus dicitur, quatenus omnibus rebus tam incorporeis, quam corporeis, adeoque & locis eſt præſens; primo reſpectu operationis, quatenus nempe immediatè in omnibus operatur, omnia conſervat, & gubernat; dein ratione potentiæ, quoniam potentia ab operatione ſeparata eſſe nequit, & tandem cùm potentia idem ſit cum Eſſentia, etiam reſpectu Eſſentiæ; At tale quid mundo nequaquam convenire poteſt. 2. Deus indiviſibiliter præſens eſt omnibus rebus, propter Eſſentiæ ſpiritualitatem, quod de mundo dici nequit. Nam, ſive mundus finitus, ſive infinitus ſit, nullum poteſt dari ubi, in quo non aliqua ejus ſit pars: At Deus non per partes eſt ubique præſens, quas nullas habet.

3. Ad

Digitized by Google

3. Ad locum 1 Reg. XVIII. 27. qui pro ſpatiis extra mundum imaginariis eſt adductus, ſuperius reſponſum. 4. Quod vero attinet locutiones Theologorum ad Immenſitatem Dei explicandam uſitatas, eę hic inter ſe non conveniunt; Nam Zanchius ſupra ſupremum cœlum locum ſine corpore tribuit mundo, quod Theologi alii non admittunt. Nec mirum, quod Philoſophica harum rerum explicatio ſit diverſa, quoniam alii aliis principiis innituntur. At in re ipſa, quatenus ex verbo Dei haberi poteſt, ſummus eſt conſenſus. Per hæc etiam ſufficienter refutata ſunt, quæ à M. p. 150, 151. contra eandem ſententiam aſſeruntur, quod patebit, cui volupe eſt hæc cum noſtris conferre.

CCIV. Inſt. 12. Aliud tamen adhuc examinandum (M. p. 152.) nimirum: *Si infinita ponatur mundi magnitudo, omnipotentiam divinam in apertum deduci diſcrimen, quippe quæ unius hujus mundi infiniti creatione ita exhauſta ſtatuitur, ut non poſsit ei vel tantillam quantitatem creando adjungere.*

Reſp. Omnipotentia Dei non exhauritur per id, quod eam maximam & infinitam oſtendit, ſed potius exſeritur & manifeſtatur maxime: ſi ergo creaſſet Deus mundum infinitum, non exhauſiſſet ſuam omnipotentiam, quia viribus ejus nihil deceſſiſſet, ſed eam exſeruiſſet maxime & infinite. Quemadmodum cum Deus creavit Adamum, Evam &c. etiamſi tum non amplius poſſit dici, eum poſſe creare Adamum & Evam, quia creaverat, non tamen dici poteſt exhauſta ejus potentia. Ita etiam, ſi creaviſſet Deus mundum infinitum, quamvis tum non amplius poſſit dici, Deum poſſe novam creare extenſionem, quia jam creavit, non tamen poteſt dici omnipotentia ejus exhauſta. 2. Quod ſi vero inter noſtram ſententiam, qua mundus Indefinitus ſtatuitur & ſententiam Adverſariorum, ineatur comparatio, apparebit tantum abeſſe, ut per eam Dei omnipotentia minuatur, ut potius de ea magnificentiſſimè ſentire ſimus cenſendi. Illi enim honeſtius & magnificentius de Dei potentia ſentiunt, qui vacuum nullum agnoſcunt atque omnia ſpatia imaginabilia materia à Deo repleta eſſe aſſerunt, & jam in ſua plenitudine cuncta regi, conſervari atque moveri à potentiſſimo Ceatore ſtatuunt quam ii, qui contrarium tenent.

CCV. Corollarii loco examinemus verba L. p. 286. *Occurretur nobis ab admiratoribus Carteſii, non eam eſſe mentem docentis, Coeli & terræ ſpatium eſſe infinitum; ſed mundi nomine comprehendi & ſpatium Imaginarium extra coelum: Fateor hunc eſſe verborum ejus ſenſum; ſed hic pauca me reſpondentem audiant velim. 1. quis illi conceßit vocabula,*

Digitized by Google

in medio poſita, ad ſuum & peculiarem ſenſum detorquere. 2. quis illi ſpondebit, ſemper fore qui poſteris verborum ſenſum explicent, & à craſſiori & vulgata Mundi appellatione eos avocent? 3. Nego ea, quæ extra cœlum immenſo ſpatio imaginamur, mundi eſſe partem aut additamentum. Rationem primam deſumimus à definitione nominis חלד *&* תבל *à finitate, cui fere ſemper jungitur in ſacris habitatio: Græcis & Latinis ab ornatu, Germanis* Welt / *quaſi* von Walten. *in eo vero ſpatio nihil eſt finitudinis, nihil ornatus, nihil frequentationis 2. à definitione rei: Mundum appellamus compagem rerum.*

Reſp. Quomodo ſententia Carteſii defenſa fuerit, ex ſuperioribus liquet, unde duæ illæ reſponſiones ſua ſponte concidunt. 2. Quod ea, quæ ultra quoſvis mundi fines à nobis poſitos, ſive per cœlum, ſive per alia corpora ſupra illud concipimus, revera ſint quid extenſum, atque ita corpus; adeoque ad mundum pertineant, ſufficienter à nobis demonſtratum exiſtimo. Ergo quæ objicit ex locis Topicis à nominis definitione, non præbent argumentum apodicticum, quod noſtram ſententiam evertat. Nam utraque vox Hebræa, non tam pro univerſo, quam pro terra ſumitur, quam finitam eſſe nemo unquam negavit; & poſtea oſtendetur, Scripturam uti vocibus uſu obtinentibus, quarum derivatio & origo ſæpius eſt opinioni erroneæ adſcribenda, aut ſaltem ab effectu aliquo magis conſpicuo & in ſenſus incurrente eſt deducta, rarò à natura rerum. Quid autem ſit in illo ſpatio, quod ultra quoſcunque mundi fines fictos reperitur, quod nobis reale eſt, adeoque corpus, aliis imaginarium, quis dixerit: ſcimus eſſe quid extenſum, & corporeum ex illa idea extenſionis Indefinitæ, ſed quale ſit nec Scriptura docet, nec ratio novit. 3. Mundus appellatur compages rerum omnium creatarum, vel compages omnium corporum à Deo creatorum; at inde non ſequitur, nos ejus fines aſſequi poſſe.

CA-

Caput XIV.

Refutantur argumenta pro Mundi rotundâ figurâ adducta, & oſtenditur, talem figuram nec Cœlo ſtellato aſſignari poſſe.

CCVI. Hucuſque refutatio Objectionum, quæ contra mundi Indefinitatem pugnabant, nunc videamus in ſpecie, quid illi, qui mundo certam figuram ſtatuunt aſſignandam, pro ſua ſententia adferant. Vulgata eſt eorum ſententia, qui mundo rotundam figuram aſſignant, atque hi præcipue iſtis nituntur rationibus, quas videre eſt, apud Kepl. lib. 2. Aſtron. Copernic. 1. Quæ figura eſt capaciſſima, ea mundo competit: ſed figura ſphærica eſt omnium iſoperimetrarum capaciſſima: E. Min. negari non poteſt, cùm certiſſimis demonſtrationibus Geometricis nitatur. Maj. vero quia negari poſſet, ob hanc rationem, quod Deus potuerit mundum efficere alterius figuræ non iſoperimetræ, ſed ambitus majoris, quam ſphæra, ſic probatur. Cum Deus & natura nihil faciant fruſtra, quandoquidem idem potuerit obtineri, per figuram ſphæricam, quod per aliam ambitus majoris, ſed ejuſdem capacitatis, ex ſimplicitate Dei operationis colligendum potius, eum figuram ſphæricam mundo indidiſſe.

Reſp. Majorem illam futuram eſſe veram, ſi nobis de finibus mundi conſtaret, & ſi ſciremus, mundum aliquam figuram habere, tum enim probabiliter ſaltem colligi poſſet, ſphæricam figuram potius, quam aliam mundo competere: ſed cum mundus non aliter, ac indefinitus poſſit concipi, hæc Major falſa eſt. Prob. autem Majoris procedit bene contra eos, qui aliam figuram mundo volunt eſſe tribuendam: at cum nos dicamus, ignotum eſſe, an ulla figura mundo competat, quod major ſupponit, non probat, illa probatio eſt fruſtranea.

CCVII. 2, Obj. Qualis figura mundo Archetypo per Analogiam tribuitur, talis etiam mundo Ectypo eſt tribuenda; ſed mundo Archetypo Deo, tribuitur figura ſphærica; quod inde probari poteſt, quia Ægyptii Deum per circulum ſoliti fuerint repræſentare, cui conſonat illud, *Deus circulus eſt, cujus centrum ubique, circumferentia nuſquam.* Imo putat Keplerus myſterii Trinitatis in ſphæra aliquam ſimilitudinem reperiri, quod ita declarat. 1. Sicut centrum, inquit, eſt quaſi origo ſphærici, ita Pater eſt origo Filii. Quemadmodum ſuperficies eſt character, & imago centri, & quaſi fulgor ab eo, & qui

Digitized by Google

ſuperficiem videt, is eo ipſo & centrum videt: ita etiam Filius eſt character & imago Patris Hebr. I. & qui videt Filium, videt Patrem, Joh. XIV. 3. Sicut intervallum inter centrum & ſuperficiem reſultat ex comparatione Centri cum Superficie, & ſic procedit ab utroque: ita Sp. Sanctus procedit à Patre & Filio.

CCVIII. Reſp. 1. In genere, quicquid ſit de illa comparatione Sphæræ cum SS. Trinitate, argumenta talia à proportione & harmoniâ deſumpta parum aut nihil demonſtrare: harmoniæ enim ſi in rebus inveniantur, ſunt conſiderandæ, ſed non licet ab harmoniis ad rerum exiſtentiam argumentari, & ut earũ pulchritudine delectemur, res quaſdam in quibus ſint, fingere. Sic non licet inferre; Eſt Mediator θεάνθρωπος, qui homines lapſos cum Deo unit: Ergo eſt etiam θεάγγελος, qui aſſumſit naturam angelicam, & angelos, qui deſeruerunt ſuam originem, cum Deo reconciliat. 2. Deo tribuitur ſphærica figura, non niſi Metaphoricè, ſed à Metaphorico ſenſu ad proprium non procedit argumentum. 3. Major eſt abſolute falſa; alias æque inferrem, omnibus corporibus, imo omnibus creaturis ſphæricam competere figuram, cujus tamen contrarium experientia oſtendit, ſi dicerem: Deus eſt Archetypus omnium tam corporum quam reliquarum Creaturarum: E. cum illi Archetypo tribuatur ſphærica figura, etiam cuilibet Ectypo, cum manifeſta abſurditate eſſe tribuenda.

CCIX. Atque ita vidimus Univerſo, ſive Mundo, nullam poſſe neque ſphæricam, neque aliam figuram adſcribi. Huic quæſtioni cognata eſt, quæ quærit de figura Cœli ſtellati, quod quidem communiter à Philoſophis Ethnicis habitum eſt pro corpore mundi extremo, Chriſtianis communiter Cœlum Empyreum ſupra illud collocantibus. Communis eſt ſententia, Cœlo ſtellato quoad extremum ſuum ambitum convenire figuram ſphæricam. Nos quid in ea ſit ſoliditatis, operæ pretium eſt ut indagemus. Primum igitur, origo hujus ſententiæ videtur eſſe deſumpta ex pernicioſiſſimo errore, quo ſtatuitur, Cœlum eſſe Deum, quæ quidem ſententia fuit Ariſtotelis, teſte Plutarcho de Placitis Philoſophorum lib. 1. cap. 7. *Ariſtoteles ſummum quidem Deum formam abjunctam, univerſi Sphæra innitentem, æthereo corpore, quod ab ipſo quintum vocatur.* Et patet lib. 2. de Cœlo cap. 3. ubi hæc reperiuntur verba: ἕκαστόν ἐστιν, ὧν ἔργον ἐστὶν, ἕνεκα τοῦ ἔργου· θεοῦ δὲ ἐνέργεια. Τοῦτο δέ ἐστι ζωὴ ἀΐδιος. ὥστε ἀνάγκη τῷ θείῳ κίνησιν ἀΐδιον ὑπάρχειν. ἐπεὶ δ' ὁ οὐρανὸς τοιοῦτος. σῶμα γὰρ τῷ θεῷ. διὰ τοῦτο ἔχει τὸ ἐγκύκλιον σῶμα ὃ φύσει κινεῖται κύκλῳ ἀεί. *Unumquodque eorum, quorum eſt opus, id operis cauſa: Dei vero operatio immortali-*

tas; Hoc autem eſt perpetua vita. Quare Deo perpetuum ineſſe motum neceſſe eſt. Cum vero coelum ſit tale (eſt enim corpus quoddam divinum) eo corpus habet rotundum, quod natura ſemper in orbem movetur. Quamvis autem velint quidam Interpretes Ariſtotelem hic loqui more Platonico, non ex opinione ſua, tamen πολυμαθέςατος Voſſius ſatis oſtendit hanc fuiſſe Ariſtotelis propriam mentem lib. 2. de Idololatria cap. 40. p. 530. & ſeqq. ita p. 533. concludens: *Ut melius ſenſiſſe Ariſtotelem credamus, verba non ſinunt, facile autem, ut deterius ſenſerit: qua Achillini Piccolhominai & aliorum ſententia fuit. Ex quorum opinione Ariſtoteli coeli forma informans eſt anima coeleſtis; nec aliud eſt anima hac, quam Intelligentia. Quomodo Coeli in componetur ex orbe ſuo, ut corpore, & anima ſive intelligentia ut forma perficiente. Atque ita Deus ſit corporeus, quatenus Dei nomine orbis corpus & motorem ejus complectimur. Orbis igitur, qui movetur, ignobilior pars divina fuerit ſubſtantia, ut corpus noſtrum pars eſt vilior hominis. At pars nobilior ſit motor, ut anima in nobis.* Inde ergo factum eſt, ut cœlo, quod ita habebatur pro Deo, rotunda figura tanquam pulcherrima fuerit attributa. Cum ergo fundamento tam malo hæc opinio innitatur, merito nobis ſuſpecta eſſe debet.

CCX. Secundum argumentum nobis inde deſumitur, quod, cum ex ſuperioribus pateat, non conſtare, Utrum undique Cœlum Empyreum hoc cœlum ſtellatum circumcingat, incertum ſit, an non ab altera parte ita protendatur, ut nos nullum finem quem habeat, cognoſcere poſſimus. Sed etiam poſito, (quod tamen eſt dubium) Cœlum Empyreum undique hoc Cœlum ſtellatum ambire, cum nemo norit, quænam iſtius Cœli Beatorum ſit figura concava, & forte nunc inter omnes ſit in confeſſo, cœlum eſſe corpus fluidum, quod terminum accipit ab ambiente, manifeſtum eſt, nobis impoſſibile eſſe, ut certam determinationem quantitatis, ſive figuram Cœlo ſtellato aſſignemus. Itaque cùm neque conſtet, an habeat figuram aliquam cœlum ſtellatum, neque ſi habeat, quænam illa ſit indagari poſſit, temerarium eſt certi aliquid ſtatuere.

CCXI. Sed videamus ea, quæ pro Cœlorum rotunditate objici ſolent, ut futilitate iſtarum rationum cognitâ tanto magis incertitudo hujus ſententiæ patefiat. Objici ergo primo ſolet, Corpori ſimplici competit ſimplex figura: Cœlum eſt corpus ſimplex, ſphærica etiam figura eſt ſimpliciſſima; ut enim circulus inter figuras planas eſt ſimpliciſſima: ita ſphærica figura inter ſolidas. Nam 1. ut circulum unica linea, ita ſphæram unica ſuperficies claudit. 2. ut in circulo medium ab extre-

mis eſt æqualiter remotum, ita & in ſphæra. 3. ut in circulo neque initium eſt, neque finis; ita neque in ſphæra, 4. ut circulus reſpectu ſuarum partium non mutat locum, ita ſphæra reſpectu ſuarum circa centrum convoluta ſemper eundem occupat locum: (hoc eſt quatenus & Circulo & ſphæra circumvolutis, circa centrum partes iſtarum figurarum motu ſuo nulla expellunt corpora, in quorum locum ſuccedant) Aliæ vero figuræ omnes ſolidæ vel non terminantur una linea, ut Pyramides, Priſmata, ſed multis, adeoque non ſunt tam ſimplices, nec reliqua ſimplicitatis requiſita ipſis competunt, ut ex collatione patebit; vel ſi terminentur unâ lineâ, ut figura Ovalis, Elliptica, medium tamen ab extremis non eſt æqualiter remotum, nec in motu ſuarum partium præciſe eundem occupant locum, quia motu iſto alia corpora expellunt, in quorum locum hæ partes ſuccedunt.

CCXII. Reſp. 1. Falſa eſt Minor illa, quam experientia multis modis refutat; vel enim ex ſolis Cometis, & maculis in Sole evinci poteſt, Cœlum non eſſe corpus ſimplex & incorruptibile, uti vulgo putatur. Cometas enim eſſe in cœlo à Tychone Brahe ita eſt demonſtratum, ut in dubium revocari nequeat; maculæ etiam Solares per tubos opticos ſunt deprehenſæ, illæque jam denſiores, jam rariores, jam creſcere, jam decreſcere ſunt viſæ, quod eſt generationis alicujus & corruptionis argumentum. Clavius Comment. in ſphæram de Sacro Boſco p. 211. teſtatur, Platonem ante Ariſtotelem, cum multis aliis Philoſophis ſenſiſſe, cœlum eſſe corruptibile, & poſt Chriſtum non paucos, inter quos Ambroſius, Baſilius, Gregorius Nyſſenus, & cætera fere Eccleſiæ lumina, idem non obſcure docuiſſe. Et vel ipſa imbecillitas rationum, quibus Ariſtoteles & ejus ſequaces moti, quintam quandam eſſentiam Cœlo adſcripſerunt, ſatis oſtendit, quanti debeat haberi hæc ſententia ita gratis aſſerta, & poſita, uti oſtenditur à Baſſone Philoſophiæ naturalis lib. 1. de cœlo p. 458. 2. Minor propoſitæ objectionis etiam vacillat: non enim figura oritur à corporis ſimplicitate, vel compoſitione, ſed à motu: neque enim ulla futura eſſet figura, ſi omnia quieſcerent, imo neque corpora forent in mundo, ſed omnia in unum eſſent concreta. Conſiderari autem debebat potius, cœlum eſſe corpus fluidum, quod figuram accipiat à continente, quod quale ſit, quamque figuram concavam habeat, non ſatis conſtat. 3. Retorquetur potius argumentum. Quo corpora ſunt ſimpliciora, eo minus ſimplex ipſis figura videtur convenire. Nonne enim Aër, Ignis, Aqua, ſecundum oppoſitæ ſententiæ Patronos ſunt corpora ſimpliciora mixtis? Attamen figuræ, quas habent, planè

ſunt

Digitized by Google

ſunt irregulares, fluxæ, & inconſtantes.

CCXIII. 2. Obj. Si cœlum non eſſet rotundum, ſed aut trilaterum, aut quadrilaterum, aut etiam multilaterum, ſequeretur & locum aliquem fore vacuum, & corpus aliquod fore ſine loco. Vacuus enim locus inter angulos acuminati corporis relinqueretur, & ipſi anguli perpetuo moverentur in Vacuo. Atqui utrumque abſurdum eſt, & naturæ rerum contrarium. Si vero Cœlum eſſet figura lenticulari, aut conica, vel etiam cylindrica, hæc quidem incommoda non ſequerentur, ſed alia graviora. Cum enim motus orbium inferiorum ſit oblique oppoſitus motui ſupremi orbis, ſive primi mobilis, fiatque ſuper diverſis polis, neceſſe eſſet, aut cœlos ſcindi, aut alios ab aliis penetrari, ſi non eſſent figurâ orbiculari.

CCXIV. Reſp. Objectio hæc procedit ex falſis & incertis hypotheſibus, quibus ſublatis, hoc argumentum cadere eſt neceſſe. Nam 1. præſupponitur; Cœlum Empyreum undique ambire ſidereum, quod ratione & revelatione deſtituitur, adeoque incertum exiſtit. 2. Superficiem Cœli Empyrei concavam, ſive eam quæ reſpondet Cœlo ſtellato eſſe rotundam, quod gratis ponitur. Itaque poſito, Cœlum ſtellatum eſſe trilaterum aut quadrilaterum &c. dico Cœli Empyrei ſuperficiem talem futuram, ut ei accurate reſpondeat, vel aliud corpus inter Cœlum Empyreum & Sidereum interpoſitum iri, quod illam lacunam repleat, & ſic remotum iri omnem metum & ſuſpicionem vacui. 3. Cœlum conſtare ex orbibus ſolidis, qui pellicularum inſtar in cepis ſeſe invicem ambiant; quod cum fluiditate cœli non convenit, & multis aliis modis eſt abſurdum. 4. Sumitur etiam tanquam in confeſſo, Orbes illos fictitios, à primo mobili rapi ab Ortu in Occaſum, quod itidem falſum eſſe in ſequentibus à nobis demonſtrabitur, ubi illam variationem diei & noctis pendere oſtendemus, non à Cœli ſiderei, ſed à Terræ diurna circumvolutione. His itaque hypotheſibus, quibus tanquam tibicinibus hæc objectio nitebatur, ſublatis, ſponte ſua corruit.

CCXV. 3. Obj. Si cœlum non eſſet rotundum, ſequeretur, ſtellarum fixarum alias aliis Terræ propinquiores fore, aut ab ea remotiores; quod abſurdum videtur.

Reſp. Non eſt abſurdum, alias ſtellas nobis propinquiores eſſe, alias à nobis remotiores; cum enim ſtellæ fixæ nullam aut vix obſervabilem habeant parallaxin, de earum diſtantia nihil certi poteſt definiri. Eas autem inæqualiter à terra remotas, ex lucis inæqualitate patet, quæ etiam in minutis ſtellis valde eſt vivida, indicatque, quod major & minor ſtella-

Digitized by Google

larum lux ex majori minorive remotione à nobis oriatur, quemadmodum à Carteſio eſt demonſtratum; ut ſic ſententiam illam, de ſtellis omnibus in una ſuperficie collocatis, tanquam præjudicium vulgi debeamus abjicere.

CAPUT XV.

De Centro Mundi, nec non circumvolutionum Planetarum.

CCXVI. Ab Extremis mundi hujus adſpectabilis progredimur nunc ad ejus medium, ab ambitu ad centrum, ut diſpiciamus, quodnam ſit Centrum Univerſi. Atqui hic iterum illud judicium Romanorum uſurpare debemus, NON LIQUET. Cum enim fines & terminos mundi ignoremus, eumque ut indefinititum concipere neceſſum habeamus, uti ſuperius eſt oſtenſum, non etiam de medio conſtare poterit, ut apparet ex relatione illa, quæ inter media & extrema exiſtit.

CCXVII. Quod ſi vero medium aliquod reſpectu motus planetarum, circa quod volvantur, aſſignare velimus, illud neceſſario Soli erit tribuendum. Atque hic quidem hactenus inter Tychonianos & Copernicanos convenit (profligatâ jam Ptolemaicâ diſpoſitione ob aliquorum phænomenorum repugnantiam) quod circa Solem Saturnus, Jupiter, Mars, Mercurins & Venus; Luna circa Terram moveantur: ſed in eo eſt differentia, quod Tychoniani Solem circa Terram, cum 5. his Planetis tanquã ſuis ſatellitibus moveri ſtatuant, Copernicani vero inter reliquos planetas conſtituto loco, etiam Terram circa Solem rotari exiſtiment, quod cum in ſequentibus ſit demonſtrandum, pro certo habendum eſt, Solem eſſe illarum circumvolutionum centrum, non Geometricum quidem, ſed Phyſicum, cum ab eo pendeant omnium Planetarum circumvolutiones.

CCXVIII. Contra, Terram in medio non tantum circumvolutionum Planetarum, ſed totius mundi eſſe poſitam, communis eſt ſententia, quæ quibus nitatur rationibus conſiderare hic lubet. Atque 1. ita argumentantur, qui id ſtatuunt: Si ſtellæ ſecluſis vaporibus, in quacunque mundi regione, ſive ad Ortum ſive ad Occaſum, quibuſcunque temporibus nobis apparent, ejuſdem magnitudinis. E. neceſſum erit, Terram

Digitized by Google

ram collocari in medio mundi: ſed verum prius, experientiâ docente. Ergo.

CCXIX. Reſp. Majoris connexio negatur; fieri enim poteſt, ut acceſſus ille Terræ ad firmamentum toto Orbitæ ſuæ intervallo non habeat tantam proportionem, ut exinde ſtellarum adſpectus quantum ad magnitudinem debeat variari; quemadmodum intervallum diametri Terræ ad ſtellarum remotionem nullam proportionem habet, ut ſtella eadem nobis & antipodibus noſtris ſub eadem appareat magnitudine. Fateor equidem hoc multis, qui non ſatis attentos oculos habent ad magnalia Dei, adeo videri abſurdum, ut propter illud ſolum ſententiæ Copernicanæ, à qua alias non videntur alieni, nuncium mittant. Sed nos ſuo loco demonſtrabimus, hoc nullo modo pro abſurdo eſſe habendum.

CCXX. Obj. 2. Si Terra non eſſet in medio mundi, ſed propinquior ab una parte firmamento, quam ab altera, tunc is qui exiſteret in parte Cœlo propinquiori, non videret cœli medietatem, ſed minorem partem, quemadmodum alter, qui exiſteret in parte à Cœlo remotiori, majorem partem conſpicaretur: Sed hoc eſt abſurdum, & cum experientia pugnans, quia ſemper 6. ſigna Zodiaci nobis oriuntur, totidemque occidunt.

CCXXI. Reſp. 1. Illam propinquitatem Terræ majorem vel minorem ad firmamentum, non eſſe ſenſibilem. 2. Circuli omnis imaginarii centrum eſſe Terram libenter concedimus: oculus enim noſter ubicunque ſit conſtitutus, format ſibi circulos in cœlo maximos, Horizontem, Æquatorem, Meridianum, Zodiacum, & concipit ſtellas omnes fixas tanquam in eadem ſuperficie ſphæricâ, quia viſus eo uſque non poteſt diſtinguere remota & propinqua. 3. Non eſt abſurdum dicere, eum, qui exiſteret à Terræ parte cœlo propinquiori, non videre cœli medietatem, ſed partem minorem, & contra. Quis enim quæſo menſus eſt id, quod de cœlo ſimul uno intuitu comprehendit? Quantacunque tamen mundi portio cernitur ea imaginatione ſphæræ circa viſum deſcriptæ, cenſetur eſſe perfectum hemiſphærium. Oculus vero putans, Cœlum eſſe Terræ extremo circumquaque contiguum, non aliâ ſemidiametro altitudinem fornicis, quam ipſam latitudinem diſtantiamve Horizontis metitur.

CCXXII. Obj. 3. Si Terra non ſit in medio mundi, erit vel in plano Æquatoris extra mundi axem, vel in axe mundi, extra planum Æquatoris, vel extra utrumque. Sed omnia hæc ſunt abſurda: E. erit ſimul in plano Æquatoris, & in axe mundi, & per conſequens in mundi centro.

Digitized by Google

CCXXIII. Reſp. 1. Hoc argumento bene infertur, Terram eſſe in medio Æquatoris, at inde non ſequitur eam in medio eſſe mundi. Æquatoris autem formatio pendet à viſus imaginatione, qui, ubicunque ſit Terra, Æquatorem concipit. 2. Axis mundi nihil aliud eſt, quam axis Terræ, circa quem illa motu diurno rotatur; qui dum concipitur continuatus, uſque ad fixas, dicitur axis mundi, adeoque Æquator concipitur circulus maximus, medius deductus inter polos Terræ, & extenſus uſque ad Firmamentum.

CCXXIV. Si Terra non eſſet in medio mundi ſita, non fierent Eclipſes Lunæ ſemper, quando duo luminaria per diametrum opponuntur, ut ſint ſub ſignis Zodiaci oppoſitis: ſed Eclipſes tunc fieri experientia docet.

CCXXV. Reſp. Eclipſis Lunæ fit, quando inter Solem & Lunam Terra interponitur, ut hæc tria corpora ſint in una linea, quo fit ut Terra propter ſuam magnitudinem, qua Lunam aliquoties excedit, impediat, ne poſſit hæc à Sole illuſtrari. Ducta autem linea à Sole ad Lunam, dummodo Terra in illa collocetur, ſive in medio iſtius lineæ, ſive propius ad Solem, ſive propius ad Lunam, ſemper fiet Eclipſis, uti attendenti eſt perſpicuum.

CCXXVI. Obj. 5. Quo tendunt omnia gravia illud eſt centrum mundi: ſed ad Terram omnia gravia tendunt. Maj. exinde probatur, quia gravium natura eſt, ferri & tendere ad mundi centrum:

CCXXVII. Reſp. Negatur Major illa, aliud enim inferri nequit, quam, iſtorum gravium, quæ ſunt circa Terram, eam eſſe centrum, id eſt, locum in quo quieſcunt. Nam per ſe feruntur duntaxat verſus Terræ corpus, ut ei uniantur, ſed quia id faciunt per breviſſimam lineam, quam ſimul contingit ſpectare centrum, fit, ut per accidens ad centrum ferri dicantur. Unde autem conſtabit, gravium eam eſſe naturam, ut ferantur & tendant ad mundi centrum? an eſt talis vis inſita, quæ faciat gravia cognoſcere quodam inſtinctu naturali ſuum centrum? at hoc pugnat cum natura corporum, & oritur ille conceptus confuſus ex non ſatis obſervata diſtinctione, inter res corporeas, & cogitantes, inde factum, ut attributa rei cogitantis fuerint aſſignata rebus extenſis, & vice verſa; ut pluribus oſtendi poteſt exemplis, ſi ferret inſtitutum. 2. Pugnat talis vis inſita, cum principio ab Ariſtotele ſæpe inculcato & demonſtrato, quod *omne, quod movetur, ab alio moveatur*. Sed quia videmus corpora gravia tendere deorſum, cum interim viſu percipere nequeamus tenuiſſima corpuſcula, à Terra reſilientia, quæ illa deorſum premunt, & ſenſus.

ſenſus noſtros omnium rerum facimus judices, itaque quia nihil videmus, à quo deprimantur, etiam nihil eſſe putamus, adeoque à ſe ipſis moveri vulgo ſtatuimus. Et poſſemus ex Carteſii lib. IV. Principiorum gravitatis naturam demonſtrare, ſed id non requiritur ad noſtrum inſtitutum, & ſufficit ſic oſtendiſſe falſitatem Majoris. 3. Nec Minor etiam probari poſſet. Unde enim manifeſtum fiet, an non circa Jovem & Saturnum ſint quædam gravia, quæ ad ipſa tendant, quemadmodum gravia, circa Terram ad ipſam feruntur? Quod enim ſit alia plane materia, cœleſtium & terreſtrium, & quinta quædam Eſſentia, aſſertum quidem eſt ab Ariſtotele ex illo errore, quo ſtatuit, cœleſtia eſſe corpora quædam divina, ſed non probatum, imò ab aliis hæc ſententia falſitatis convicta.

CCXXVIII. Obj. 6. Graviſſimum corpus tendit ad infimum locum, nempe ad punctum remotiſſimum à Cœlo: ſed Terra eſt corpus graviſſimum. E.

CCXXIX. Reſp. 1. Præſupponitur in hoc argumento, Cœlum ſidereum habere rotundam figuram, ut punctum à circumferentia remotiſſimum pro centro ſit habendum: ſed oſtenſum eſt antea, id valde incertum eſſe. 2. Negatur Major, nitens eo fundamento, quod vel centro inſit aliqua vis corpora ad ſe attrahendi, vel vis aliqua corporibus competat centrum per ſe petendi. 3. Minor probatione etiam indiget. Terra enim, proprie loquendo, in ſe neque gravis neque levis eſt; gravitas quippe & levitas competit corporibus, quia ad Terram vel accedunt, vel ab ea recedunt: at inde Terra levis vel gravis dici non debet, neque enim centri, puncti imaginarii, talis vis eſt, ut Terram ad ſe trahat. Addo tamen ex ſuperabundanti: Si Terra poneretur extra hunc locum naturalem, in quo eſt, ex. gr. ſi poneretur in locum Jovis, eam eo delatum iri, ubi nunc eſt, quod iſto in loco commodiſſime circa Solem deferri poſſit; uti à Carteſio eſt demonſtratum.

CCXXX. Obj. 7. Si Terrâ in æquales portiones diviſa, ejuſdem figuræ & magnitudinis & ponderis, hæ diverſis locis ſub concavo Lunæ demitterentur, tum omnes partes eodem tempore procul dubio, ad eundem locum tenderent. At hoc non poſſet fieri, niſi in centro mundi; Ergo Terra eſt in mundi centro.

CCXXXI. Reſp. 1. Major non eſt vera ſimpliciter: hoc quidem ſequeretur, illas portiones Terræ eſſe conventuras in unâ aliquâ orbitâ, ſed non futura eſſet eadem cum eâ, in qua nunc Terra defertur, ſed tanto magis ad Solem acceſſuræ eſſent iſtæ portiones æquales, quo minores

P 2 fue-

Digitized by Google

fuerint, &, ſi quælibet pars talis Mercurio minor eſſet, cæteris paribus Soli propiores eſſe futuras, quam ipſum Mercurium. 2. Non etiam neceſſario eodem tempore nec in eundem iſtius orbitæ locum conventuræ eſſent, ſed poſſet fieri, ut aliæ tardius, aliæ citius eò pervenirent, prout ab intermediis corporibus variè iſta delatio impediri poſſit. 3. Conceſſâ Majori, Minor falſa nihilominus eſt; hic enim locus, in quo convenirent, non neceſſario eſſet centrum mundi, ſed locus tantum, qui Terræ ſitui conveniret, in proportione & reſpectu ad alia corpora.

CCXXXII. Obj. 8. Circuli cœli proportionaliter ſe habent tam in longum quam in latum. Nam ubivis 15. milliaria Germanica efficiunt unum gradum in Cœlo: Ergo erit idem eorum Centrum, ſcilicet Terræ centrum.

CCXXXIII. Reſp. Conceditur, Terram eſſe centrum illorum Circulorum imaginariorum, quia deſcribuntur à nobis in Terra conſtitutis: imo deſcriberentur etiam è Jove, ſi nos in illo eſſemus collocati, ſive, ſi Terra noſtra eo in loco eſſet conſtituta, ubi nunc eſt Jupiter; ſed inde nullis fidiculis poteſt elici, Terram eſſe centrum totius Univerſi.

CCXXXIV. Obj. 9. Si Terra non eſſet in medio mundi, non eſſent futura Æquinoctia, Sole ingrediente Æquatorem; Atqui negari non poteſt, quin tunc Æquinoctia fiant. E.

CCXXXV. Reſp. Major illa eſt falſa, neque aliud quid infert, quàm, Terram eſſe in medio Zodiaci & Æquatoris, ad quorum interſectionem, Sol tempore Æquinoctii motu apparenti pervenit, quod nos non negamus. Quod autem idem obtineatur, ſive Sol motu vero in Zodiaco deferatur, ſive Terra, norunt omnes, qui levem quandam Aſtronomiæ cognitionem ſunt adepti.

CCXXXVI. Obj. 10. Terræ ignobiliſſimo corpori totius mundi competit locus etiam ignobiliſſimus. E. erit in centro Mundi.

CCXXXVII. Reſp. In hoc argumento multa præſupponuntur, quæ tamen dubia, imo falſiſſima exiſtunt: Nam 1. unde conſtat, quod terra ſit corpus ignobiliſſimum, niſi ex erroneâ opinione, quod materia cœli ſit divinum quid, & Terra non niſi ſentina totius mundi. Quid impedit, quin æque nobilis ſit ac Venus, vel Mercurius, vel alius quiſpiam Planeta? 2. Quænam loco Nobilitas vel Ignobilitas ut tali, competere poteſt? Hæc enim non niſi reſpectivum quid important. Quin potius ex hoc argumento à Sole remotiſsimum cenſenda eſſet habere locum, & remotiorem ipſo Saturno, quod tamen etiam cum Tychonianâ hypotheſi pugnaret. 3. Unde probatur, quod in locatione corporum mundanorum

Digitized by Google

rum habita fuerit ratio Nobilitatis, vel Ignobilitatis potius, quam Naturæ? 4. Unde etiam probatur, quod hic præſupponitur, centrum eſſe locum ignobiliſsimum? quin potius nobilitas quædam centro competet, tanquam origini Circumferentiæ ex eo ductæ.

CCXXXVIII. His objectionibus nunc ſubjungo Danæi ex ſcriptura petitas argumentationes. Is tractatu 3. Phyſicæ ſuæ Chriſtianæ cap. 21. ita ſuam ſententiam ex ſcripturâ ſibi videtur firmare. D. *Plane igitur Terram meditullium mundi obtinere cenſes. P. Cenſeo. Atque cur ſic exiſtimem hæc ratio eſt multiplex, quam ex ipſa divina ſcriptura duco. Prima quod à Coelo (quod totius hujus mundi locum ſupremum occupare nemo ſanus dubitat,) longiſsime ſpatii & intervalli ratione diſtat Terra. Pſ. 103. v. 11. Qui vero locus quam longiſsime à ſupremo disjungitur, is procul dubio eſt infimus. Ergo ſit infimo loco neceſſe eſt, aut verum non dixerit ſcriptura, id quod vel omnino cogitaſſe nefas eſt. Secunda autem, quod Coelum & Terra inter ſe opponuntur in ſcriptura, veluti imum ſummo, quemadmodum ex Eph. cap. IV. v. 9. apparet. Tertia, quod ubique infima loca tribuuntur Terræ, uti Pſ. 95. v. 4. & aliis paſsim locis, unde Terram infimo omnium loco collocatam eſſe apparet.*

CCXXXIX. Reſp. Tria citata loca hæc ſunt. Pſal. 103. verſ. 11. *Sed quam alti ſunt cœli ſuper terram, prævalet benignitas ejus erga timentes eum.* Eph. 4. v. 9. *Cæterum illud Aſcendit, quid eſt, niſi quod etiam deſcenderat prius in infimas partes terræ?* Pſ. 95. 4. *In cujus manu ſunt ima veſtigia terræ; penes quem ſunt vires montium.* Sed illa cum judicio conſiderata, nobis nihil obeſſe conſpicientur. Cœlum ſidereum, in quo ſunt ſtellæ fixæ, locum ſuperiorem inter corpora nobis conſpicua occupare concedimus: at, an abſolutè ſit ſupremum, ut nullum aliud corpus ſupra ſe habeat, non conſtare in ſuperiori capite oſtendimus, imò ſaltem ab aliquâ parte ſupra ſe habere Cœlum Beatorum vidimus. Sed quicquid ſit de eo 1. Pſal. 103. nihil aliud dicitur, quàm, Cœlos à Terrâ eſſe valdè remotos, quod nemo negat, imò tantam eſſe diſtantiam, ut à nullo hominum hactenus ea potuerit inveniri. Sed inde non ſequitur, Terram eſſe in mundi centro; neque enim hîc comparatio inter Terram, Solem, Mercurium inſtituitur, quaſi Cœlum ſtellatum magis à Terrâ diſtet, quàm ab his corporibus, ſed tantum abſolutè dicitur, magnam eſſe Cœli ſupra Terram altitudinem. 2. Eph. 4. uti vidimus ſuperius, oſtenditur, Chriſtum ex tantâ altitudine, ex tam ſublimi throno in Terram ſe demiſiſſe, atque ita mentio fit deſcenſus de loco ſublimiori in locum inferiorem, ut ſimul connotetur ſtatus humiliatio. Itaque eſt compara-

parativa locutio, quâ Terra ad Cœlum altum collata valdè humilis eſt & depreſſa; ſed non abſoluta, quaſi nullum corpus à Cœlo magis eſſet remotum quàm Terra, 3. Pſ. 95. eſt planè ἀπροσδιόνυσος; nam ne quidem ibi Cœlum & Terra opponuntur, ſed loca Terræ depreſſiora locis altioribus, nempe montibus.

CCXL. Coronidis loco reſpondebimus ad ea quæ R. St. p. 319. opponit: *Addimus*, inquit, *articulum aſcenſionis Ieſu Chriſti per hanc opinionem everti. Cum enim Chriſtus non noctu, ſed claro die videntibus Apoſtolis* (Act. I, 9, 10, 11.) *aſcenderit, ſanè caput ad Solem erectum habuit, qui ſi in imo mundi erat, non aſcendiſſe Chriſtus, ſed deſcendiſſe dicendus eſſet.*

CCXLI. Reſp. Nihil eſt periculi; quis non novit id dici ſurſum, quod eſt ſupra capita noſtra, deorſum verò id, quod eſt ſub pedibus noſtris? Hæ enim determinationes loci, quales ſunt, dextrum & ſiniſtrum, ſurſum & deorſum, ante & retrò, omnes deſumtæ ſunt à partibus corporis noſtri. Igitur quum habuit caput verſum ad Solem, eo ipſo dici debuit aſcendiſſe, quia motus ille verſus eum locum proceſſit, quem caput reſpiciebat. Quod ſi Terra vel ibi collocata eſſet, ubi nunc eſt Jupiter, nihilominus ſurſum id eſſet dicendum, quod eſſet ſuper capitibus hominum in Terrâ degentium, & vice verſâ deorſum, quod ſub pedibus. Talem autem communiter eſſe acceptionem vocabulorum Surſum & Deorſum diſcere poſſumus ex Platone in Timæum, cujus verba hîc adjungere libet. *Sed illud dictu abſurdum eſt, eſſe duo quædam loca natura à ſe invicem longo intervallo diſtincta: & unum quidem deorſum vocari, ad quem locum ea deferuntur omnia, quæcunque molem quandam corporis habent: alterum verò ſurſum, ad quem vi omnia moveantur. Cùm enim Coelum omne rotundum ſit, quæcunque à medio æquè diſtantia extrema facta ſunt, ſimiliter eſſe oportet extrema. Medium quoque, æqualibus lineis ab extremis utrinque diſtans, è regione æquè omnia reſpicit. Quoniam igitur ita Mundus diſpoſitus eſt, ſi quis dictorum quicquam ſurſum eſſe dixerit vel deorſum, non injuria errare videbitur. Medius enim locus in ipſo neque ſurſum neque deorſum dici debet, ſed medius.* 2. Quamvis autem non diffitear, motum alicujus Corporis verſus centrum dici poſſe ejus deſcenſum, quemadmodum & Carteſius loquitur art. 120. Pp. Part. III, ſatis tamen clarum, Scripturam potius rationem habuiſſe locutionis iſtius communiter receptæ, quâ id, quod capiti noſtro imminet, *ſurſum* dicitur, & quod à pedibus noſtris calcatur, *deorſum* vocatur, quàm alterius iſtius à communi loquendi conſuetudine remotæ, ac non niſi iis uſitatæ, qui Philo-

Digitized by Google

ſophicè rerum naturas rimantur. 3. Non dicimus, Solem eſſe in imo Mundi, ſed reſpectu motuum Planetarum centrum obtinere æſtimamus, non quidem Geometricum, ſed Phyſicum: at medium mundi, quod adverſarius vocat imum, indeterminabile eſſe profitemur. 4. Terra ipſa habet verticem & cœlum ſuum, quaquâ verſus ſibi circumdatum, cujus ambitus Supra, centrum Infra dicitur. Qui igitur circa vel ſupra Terram verſatur, omnes Cœli vortices & corpora ſupra ſe habet. Et ſic Chriſtus aſcendens, omnes alios vortices, etiam Solem ſupra ſe habuit. At ipſa Terra cum vortice ſuò in vortice Solis in orbem circa Solem, qui ei delationi pro centro eſt, delata, ſi appropinquet ad Solem, deſcendet; at non eâ cauſâ corpus, quod à Terra verſus vortices Cœli alios quoſcunque ipſumque Solem feretur, niſi tùm demum cum vorticem Terræ egreſſum in vortice altero ab extremo ad centrum vergere concipietur.

CCXLII. *Denique* addit ibidem, *cum infernus damnatorum à pleriſque Theologis non ſine magna ratione in imo & à ſedibus Beatorum remotiſſimo loco eſſe ſtatuatur, ſcriptura inter hæc magnum chaſma ponente Luc. 16, 20, & abyſſum, puteum, ſtagnum, tenebras exteriores paſſim calamitoſum illum locum vocante; ſequetur juxta ſyſtema Copernicanorum, infernum in ipſo Sole eſſe, quod qua veriſimilitudine poſſit aſſeri, prudentioribus expendendum relinquimus.*

CCXLIII. Reſp. Ubi ſit infernus, nos anxiè non diſquirimus, ſed potius laboramus omnibus modis, ut Chriſto verâ fide adhærentes ab eo tuti reddamur. Pontificii eum in medio Terræ ſtatuunt, quod quamvis non omninò ſit abſurdum, tamen eſt incertum. Sed non ſequitur, eum fore in Sole; nam an Sol an Terra vel quodnam aliud corpus à Cœlo Beatorum ſit remotiſſimum quis dixerit? Fatemur ex loco Luc. 16. conſtare, valdè remota eſſe à ſe invicem Cœlum Beatorum & Infernum, ſed poteſt eſſe aliud corpus ab iſto Cœlo adhuc remotius, in quo tamen non neceſſariò infernus collocandus.

C

CAPUT. XVI.

De ſitu & Ordine præcipuorum Mundi corporum inter ſe. Sententia Carteſii & Copernici collata cum ſententia Ptolemæi & Tychonis Brahe recitatur, porroque origo & vetuſtas ejus exponitur.

CCXLIV. Sic de Extenſione Mundi ex Carteſio actum, atque hâc occaſione etiam quid de ejus Extremo & Medio cenſendum, ex rectâ ratione determinatum. Ut autem Indefinitam iſtam Mundi extenſionem Carteſius ex ideâ menti inſitâ per legitimum rectæ rationis uſum derivavit, ita etiam de Ordine atque Situ corporum Mundi præcipuorum in oculos incurrentium ita diſſeruit, ut ex Principiis primis & maximè evidentibus per legitimas Conſequentias illum ritè deduxerit.

CCXLV. Atque primò commodiſſimè omnium iſtam Mundi materiam ita dividit, ut totum illud ſpatium, quod complectitur Solem cum omnibus Planetis, primum Cœlum appellet, innumerabiles verò vortices, qui gyrant circa ſtellas fixas, ad ſecundum referat, & denique quicquid ultra iſtos duos Cœlos reperitur, pro tertio habeat. Vide Pp. III. art. 53. Dein in ipſo primo Cœlo, cujus conſideratio maximè ad nos ſpectat, cum Copernico talem ordinem corporum in eo contentorum conſtituit, ut Solem in medio collocet, quem arctiori ambitu circumit Mercurius, laxiori Venus, tertio loco Terra cum ſuo ſatellite Lunâ, quarto Mars, quinto Jupiter cum ſuis quatuor ſatellitibus, ſexto Saturnus. Motum porrò ſive Delationem diurnam Terræ tribuit, dùm circa axem ſuum quotidie convolvi docet. In eo verò à Copernico differt, quòd quamvis Sol ab ipſo ponatur in medio iſtarum circumvolutionum Planetarum, non tamen in medio mundi; deinde quòd ſtellas fixas non in unâ aliquâ ſphærâ collocet, ſed hinc inde alias magis, alias minus à Sole removeat.

CCXLVI. Ab hac diſpoſitione corporum cœleſtium recedunt duæ ſententiæ celebres, quarum prima eſt Ptolemæi, qui in medio circumvolutionis Planetarum ponit Terram quieſcentem, circa quam proximè volvi ſtatuit Lunam, quam ampliori orbe excipit Mercurius, atque hunc ambit orbita ſua Venus, ultra quam quarto loco Orbis ſolis, quinto Martis, ſexto Jovis, ſeptimo Saturni, octavo ſphæra Firmamenti collocatur. Atque hos Planetas omnes circa Terram deferri ſtatuit

Digitized by Google

tuit ab Occaſu in Ortum alios citius, alios tardius, dum omnes interim à primo mobili ab Ortu in Occaſum rapiantur.

CCXLVII. Secunda diſpoſitio eſt Tychonis Brahæi nobilis Dani, qui itidem Terram in medio mundi collocat, atque circa eam tria mobilia ferri ſtatuit, proximè Lunam, poſtea Solem, tertiò Firmamentum. Circa Solem verò moveri dicit quinque errantes, Mercurium proxime, dein Venerem, ſed ita ut illi duo ſuo circuitu Terram non intercipiant, hanc conſequitur Mars, ampliori ambitu Jupiter, & adhuc ampliori Saturnus, ſed eâ lege, ut ſuis circumferentiis & Terram cum Lunâ complectantur, & hi omnes, dùm interim propriis motibus circa Solem moveantur, à Sole annuo motu circuitum ſuum circa Terram abſolvente, ſimul circumvehantur.

CCXLVIII. Prior diſpoſitio Ptolemæi jam communiter rejicitur, quod non ſatisfiat per eam omnibus Phænomenis, & experientiæ repugnet. Quippe ſecundum iſtam diſpoſitionem ſæpius Mercurium & Venerem ita conſtitui oporteret, ut Terram inter ſe & Solem haberent poſitum, quod evenire nunquam eſt obſervatum. Deinde explicari non poſſunt phaſes Veneris experientiâ confirmatæ, quippe quæ deprehenſa eſt augeri & minui lumine ſuo ut Luna, & plena apparere, tùm quando ſupra Solem aſcendit, nova verò quando inter nos & Solem eſt interpoſita, cum ſecundum Ptolemæum ſupra Solem nunquam aſcendat. Ut nunc alia abſurda taceam, quæ hanc diſpoſitionem comitantur.

CCXLIX. Controvertitur autem præcipuè de Tychonianâ & Copernicanâ hypotheſi; Utra nempe cum naturæ Principiis atque adeo veritate conveniat? Atque de duobus imprimis diſquiritur: Primò, Utrum Terra circa Solem deferatur intermedia inter Venerem & Martem, an verò Sol circa Terram circumducens quinque Planetas Mercurium, Venerem, Martem, Jovem & Saturnum? Dein, Utrum viciſſitudo diei & noctis contingat per Firmamenti Motum diurnum, an vero per Terræ converſionem circa ſuum axem?

CCL. Quandoquidem ergo prolixius de his quæſtionibus agere nobis eſt conſtitutum, ab ovo, quod ajunt, rem exordiemur, ac examinabimus primo antiquitatem ſententiæ Copernicanæ & originem, dein ſtatum Controverſiæ rectè formabimus per terminorum legitimam explicationem.

CCLI. Ex Veteribus jam diu ante Pythagoram hanc ſententiam Numæ Pompilio adſcribit Plutarchus in Numâ, quem dicit, *templum Veſtæ rotundum feciſſe ad imaginem Univerſi, inque medio ejus conſtituiſſe aeter-*

num ignem, ut ſolaris ignis ſymbolum. Numam autem ante Pythagoram vixiſſe teſtis eſt Cicero lib. 2. de Oratore: *Et referta quondam Italia Pythagoræorum fuit tum cum erat in hâc gente magna illa Græcia: ex quo etiam quidam Numam Pompilium regem noſtrum fuiſſe Pythagoræum ferunt, qui annis permultis ante fuit quam ipſe Pythagoras.* Idem in lib. 4. Tuſculanarum quæſtionum ait: *Pythagoras fuit in Italiâ temporibus iiſdem, quibus L. Brutus patriam liberavit.* Similiter Livius lib. 1. c. 18. *Auctorem doctrinæ ejus* (puta Numæ) *quia non exſtat alius, falſo Samium Pythagoram edunt, quem Servio Tullio regnante centum amplius poſt annos in ultimâ Italiæ ora circa Metapontum Heracleamque & Crotonem juvenum æmulantium ſtudia cœtus habuiſſe conſtat.*

CCLII. Fuerunt autem teſte Laërtio, duo Philoſophiæ Principia, unum quod ab Anaximandro, alterum quod à Pythagora fluxit. Anaximandri præceptor fuit Thales, Pythagoræ vero Pherecydes. Appellatumque eſt id Philoſophiæ genus Ionicum, quod Thales ex Ionia fuerit. Hoc autem Italicum, quod illius auctor Pythagoras in Italiâ ut plurimum philoſophatus ſit. Hæc Principia diverſa Philoſophi ſecuti, circa hanc ſententiam in contrarias partes iverunt.

CCLIII. Ita Ariſtoteles lib. 2. de cœlo cap. 12. docet: Ἐναντίως οἱ περὶ τὴν Ἰταλίαν, καλούμενοι δὲ Πυθαγόρειοι, λέγουσιν. ἐπὶ μὲν γὰρ τοῦ μέσου πῦρ εἶναι φασί, τὴν δὲ γῆν ἓν τῶν ἄστρων οὖσαν κύκλῳ φερομένην περὶ τὸ μέσον νύκτα καὶ ἡμέραν ποιεῖν, h. e. *Contra, qui Italiam incolunt, vocanturque Pythagorei, dicunt. In medio autem ignem eſſe inquiunt, terram autem aſtrorum unum exiſtentem circulariter latum circa medium, noctem diemque facere.* Idem paulo poſt: Ἔτι δ' οἵγε Πυθαγόρειοι καὶ διὰ τὸ μάλιστα προσήκειν φυλάττεσθαι τὸ κυριώτατον τοῦ παντός, τὸ μέσον εἶναι τοιοῦτον, ὃ Διὸς φυλακὴν ὀνομάζουσι, τὸ ταύτην ἔχον τὴν χώραν πῦρ, h. e. *Amplius autem Pythagorei quidem, propterea quod maxime id convenit ſervari, quod eſt principaliſſimum ipſius univerſi, medium autem eſſe tale, quod Jovis carcerem nominat, hanc habere regionem ignem.*

CCLIV. Pythagoras ipſe, quamvis tria volumina ſcripſerit, teſte Laërtio ex Heraclito Phyſico, de Inſtitutione, de Civitate, de Natura, tamen quoniam iſti libri interierunt, de ejus dogmatibus non niſi ex Pythagoreorum placitis quicquam colligere licet. Hinc factum, ut Archimedes libro de arenæ numero dogmatis hujus inventionem adſcribat Ariſtarcho Samio, quem tamen probabilius eſt, id à conterraneo ſuo Pythagorâ accepiſſe.

CCLV. Cæterùm qui ex diſciplinâ Pythagoræ fuerunt progreſſi idem

Digitized by Google

idem dogma cum ſuo magiſtro habuere commune. Hinc de Philolao ita Laërtius: *Opinatur autem, omnia harmoniâ ac neceſsitate fieri, terram juxta primum circulum moveri dicit.* De eodem Plutarchus deque aliis Pythagoricis ſic l. 3. de Placitis & decretis Philoſ. ſcribit: *Cæteri* (ſcilicet Philoſophi dicunt) *terram manere. Philolaus vero Pythagoreus circum ignem verti obliquo in circulo, ſimiliter Soli & Lunæ Heraclides Ponticus, Ecphantus Pythagoricus cient quidem Terram, verum haudquaquam promovent, rota vero inſtar cardine ſuo nixam ab occaſu ad exortum circa eam volvi.* Cicero in Lucullo idem dogma Nicetæ ſive Hicetæ Syracuſio & Platoni tribuit; *Nicetas*, inquit, *Syracuſius, ut ait Theophraſtus, Coelum, Solem, Lunam, Stellas, ſupera denique omnia ſtare cenſet, neque præter terram rem ullam in mundo moveri: quæ cum circum axem ſe ſummâ celeritate convertat & torqueat eadem effici omnia, quæ ſi ſtante terra coelum moveretur, atque hoc etiam Platonem in Timæo dicere quidam arbitrantur, ſed paulò obſcurius.* De quo ſic leges in Platone: *Terram autem altricem noſtram circa polum per univerſum extenſum alligatam, diei noctiſque effectricem & cuſtodem eſſe voluit, nec non primam antiquiſsimamque Deorum omnium, qui in Coelo ſunt geniti.*

CCLVI. Dogma hoc ipſum ſuperiori ſeculo ſuſcitavit & illuſtravit Nicolaus Copernicus Prutenus, Aſtronomus inſignis, uti clarum ex eruditiſſimis libris de revolutionibus cœleſtium orbium conſcriptis, illique dogmati tanquam fundamento ſuperædificavit explicationem phænomenorum cœleſtium, quam longe expeditiorem faciliorenique reddidit, ſublatis infinitis orbibus & Epicyclis à Ptolemæo & Aſtronomis aliis invectis. Hunc feliciter ſecuti ſunt Mæſthlinus, Keplerus, Galilæus de Galliæis, Guilhelmus Gilbertus Anglus, Philippus Lansbergius & alii multi, ut & Clariſſ. Dn. Antonius Deuſingius in ſuâ Diſſertatione de vero ſyſtemate mundi, quo ad motum terræ diurnum circa ſuum axem. Noviſſime vero Renatus des Cartes Philoſophorum facile primus hanc ſententiam ita explicuit, ut difficultates, quibus ſententia Copernici premebatur ſuſtulerit, uti nos in ſequentibus ex eo dabimus demonſtratum.

CCLVII. In contrariam iverunt ſententiam illi, qui Ionicum Philoſophiæ genus, ab Anaximandro Thaletis diſcipulo ortum, adoptarunt, quales fuerunt Anaximander, Anaximenes, Anaxagoras, Archelaus, Ariſtoteles ejuſque ſequaces, Stoici item, Hipparchus & Ptolemæus omneſque Ptolemaici, uti & Tycho Brahæus, qui ex Ptolemaico & Copernicano ſyſtemate quandam fecit mixturam, ut in principio hujus capitis videre eſt.

Digitized by Google

CAPUT XVII.

Termini quæſtionum propoſitarum explicantur, oſtenditur quid Terræ nomine veniat, quid itidem per motum intelligamus.

CCLVIII. Terræ nomine intelligi poteſt 1. globus ille ex Terrâ & aquâ compactus ab aëre & cœlo diſtinctus. 2. Ille globus unà cum illis corporibus, quæ ſe extendunt uſque ad concavum Lunæ. His autem modis Terram accipi poſſe & debere Maimonides More Nebochim Part. II. cap. 30. etiam teſtatur, cujus verba: *Porro & hoc ſciendum tibi, quod* Erez *Terra ſit vocabulum homonymum, quod uſurpatur tum* generaliter, *tum* ſpecialiter: Generaliter *dicitur de omnibus iis, quæ ſunt ſub ſphæra Lunæ, hoc eſt, de quatuor Elementis*, ſpecialiter *dicitur de uno tantum, & quidem ultimo illorum, quod vocatur* Terra. *Docet nos hoc ſcriptura, quando dicit,* Et terra erat informis & inanis, & tenebræ erant ſuper facie Abyſſi, & ſpiritus Dei incubabat in ſuperficie aquarum. *Ubi iſta omnia* Terræ *vocabulo complectitur. Et paulo poſt*: Et vocavit Deus aridam *Erez* Terram. *Atque hoc quoque eſt ſecretum magnum. Quotieſcunque enim dictum offendis,* Et vocavit Deus ſic vel ſic, *dicitur illud ad diſtinguendum rem unam ab aliis, cum quibus commune nomen habebat. Ideo hunc verſum tibi expoſui; In principio creavit Deus ſuperiora & inferiora, & ſic proinde per* Terram, *cujus primo ſit mentio* (quando videlicet dicitur, Deus creavit cœlum & terram) *intelligenda erunt inferiora, hoc eſt quatuor Elementa, & per terram de qua dicitur*: vocavit Deus aridam, Terram, *Terra in ſpecie ſic dicta.*

CCLIX. Motus ab Ariſtotele definitur, quod ſit ἐντελέχεια τοῦ δυνάμει ὄντος ᾗ τοιοῦτον. Sed quid illa ἐντελέχεια ſit, cum etiam anima dicatur ἐντελέχεια, ſimiliter actio hoc nomine inſigniatur & de aliis rebus hoc vocabulum uſurpetur, nondum ſatis convenit inter Interpretes, ut videatur Ariſtoteles rem, de qua ſibi non ſatis conſtabat, obſcuro vocabulo voluiſſe occultatam. Atque ſi ἐντελέχεια hic deſignet actum, ut plerique interpretes volunt, omnis actio erit motus. Nam an non omnis actio, quamdiu durat, ſive quamdiu res eſt in fieri, eſt *actus ejus, quod potentia eſt, quatenus tale eſt*? At omnem actionem eſſe motum abſurdum eſt, quid enim de creatione dices? quid de ſatisfactione & aliis actionibus divinis? At dices; Hanc definitionem eſſe Motus in genere, non motus loca-

localis. Reſp. 1. manere nihilominus, quod ſit obſcura & latior definito, atque adeo careat proprietatibus bonæ definitionis. 2. ſi motus ita generaliter accipiatur, nullo modo differet ab actione; quid autem opus eſt vocabulis uti ambiguis, cum propria ſunt in promptu? 3. præſupponitur, eſſe alias motus ſpecies, quod falſum eſſe prolixè oſtendi poſſet, ſi præſens ferret inſtitutum.

CCLX. Sed longe clarior eſt definitio noſtri Philoſophi, qui Princip. part. II. art. 25. ita Motum definit, quod ſit *tranſlatio unius partis materiæ, ſive unius corporis ex vicinia eorum corporum, quæ illud immediatè contingunt, & tanquam quieſcentia ſpectantur, in viciniam aliorum.* Ex hac enim definitione natura Motus rectè agnoſcitur, cum omiſſis antecedentibus & requiſitis ad Motum, præciſe rationem formalem Motus oſtendat.

CCLXI. Nec aliam naturam Motus reperiemus, dummodo ad rem ipſam attendamus. Simili enim modo Auguſt. lib. 2. de Ordine cap. 6. *Cogis nos definire, quid ſit moveri: quod ſi potes facias &c. Quæ cum dicta eſſent, puer de domo, cui id dederamus negotii, cucurrit ad nos, & horam prandii eſſe nunciavit. Tum ego: Quid ſit, inquam, moveri, non definire nos puer iſte ſed ipſis oculis cogit oſtendere: Eamus igitur, & de iſto loco in alium locum tranſeamus: nam nihil eſt aliud, ni fallor, moveri &c.* Simili ferè modo à Keplero Motus definitur Epit. Aſtron. Copernicanæ lib. 1. mihi p. 106. *Motus eſt ſeparatio mobilis, quatenus mobile, de loco ſuo & tranſlatio in locum alium.* Sed definitio Philoſophi magis perſpicua eſt, quod ex collatione patebit, & ſequenti explicatione, in quo veſtigia Philoſophi ſequemur.

CCLXII. Reddit autem Carteſius rationes, ob quas motum vocaverit tranſlationem, non vim vel actionem quæ transfert; quarum prima eſt, ut oſtenderet, *illum ſemper eſſe in mobili, non in movente, quia hæc duo non ſatis accuratè ſolent diſtingui*: ſecunda ratio eſt, ut planum faceret, *motum duntaxat eſſe modum rei mobilis, vel motæ, non rem aliquam ſubſiſtentem, ſicut figura eſt modus rei figuratæ, ac quies rei quieſcentis.*

CCLXIII. Proclives enim admodum eſſe homines ad confundendum id, quod eſt in mobili, cum eo quod eſt in movente, actionem tribuendo mobili, cum tribui debeat moventi, patet 1. ex defin. Ariſt. ſupra viſâ, qui motum definit per actum. 2. ex eo quod vulgo rebus quibuſcunque motis inſitus motus neſcio quis aſſignatur v. g. cœlis & ſtellis ad ſe movendum in orbem, rebus gravibus ad tendendum deorſum,

Digitized by Google

ſum, levibus ad tendendum ſurſum: in quibus eſt manifeſta mobilis cum movente confuſio.

CCLIV. Nec minus vulgare eſt, motum concipere tanquam rem aliquam ſubſiſtentem, unde illæ definitiones: *Motus eſt forma in moto impreſſa.* Scal. exerc. 28. Vel ut alii: *Motus eſt forma fluens,* aut: *Motus eſt forma, quæ ſucceſſivè per partes acquiritur.* Et inde reſpectu communicationis motus facile nobis talia oboriuntur. 1. in genere, non videtur nobis rem unam poſſe movere alteram, niſi aliquid ei communicet, adeoque, ſi corpus A motum impellat B, ut B quod antea quieſcebat moveatur, vix poſſumus abſtinere, quin putemus corpus A communicare aliquid corpori B, eo quod etiam poſt ſeparationem à corpore A corpus B pergat ulterius moveri. 2. exiſtimamus ſaltem in projectis aliquem impulſum concipiendum, qui iis à noſtra manu communicatur.

CCLXV. Sed ſi ad Carteſii definitionem & rationem ſecundam, quam adfert, animum advertamus, nos facile ex his omnibus extricabimus. Quod enim attinet primum; Non opus eſt, ut aliquid aliud hic inquiramus præter ipſam tranſlationem, ſed ſufficit, ſi conſideremus illam communicari, non aliquid aliud. Sicuti quando ceræ confertur figura quadrata, non opus eſt, ut aliquid aliud inquiramus præter iſtam determinationem extenſionis quadratam. Quemadmodum autem quando in corpus aliquod ex. gr. in ceram alia figura introducitur, eo ipſo prior tollitur, ita etiam hic, quando aliud corpus impellitur, eo ipſo prius motum ſuum deperdere debet, vel totaliter vel ex parte, in quantum ſcilicet communicat; quando enim corpus A movet corpus B, nihil aliud corpori B communicatur, quàm tranſlatio, quæ non eſt concipienda eadem quæ antea, ſed nova. Eſt enim motus talis natura, ut aſſidue mutetur ſitque continuo alius & alius. Dicitur tamen eadem communicari, reſpectu habito ad ejus quantitatem, eo quod Deus eandem motus quantitatem conſervet in corpore B, quam corpus A habuit, antequam diceretur ſuum motum communicâſſe. Ad ſecundum quod attinet, dico impulſum non differre à tranſlatione ipſa, niſi hactenus, quod impulſus reſpectum habeat ad ſubſequentem tranſlationem. Ut ita impulſus nihil aliud ſit, quàm tranſlatio ipſa, quatenus reſpectum habet ad aliam ſubſecuturam. In projectis autem nihil aliud fit, quàm ut ponantur in fluido, & verſus aliquam partem eorum motus à manu determinetur, ſimul etiam determinato aëre verſus eandem. Unde projecta tamdiu manent in iſto ſtatu motus verſus iſtam partem, ad

quam

Digitized by Google

quam ſunt determinata , donec à gravitate deprimantur , atque ita alio verſus determinentur : quo facto in Terram deſcendunt , motumque ſuum cum ejus partibus & aëre quoque circumſtante communicant.

CCLXVI. Egregie vero Auctor libelli de finito & infinito, Anno 1651. Amſtelrodami expreſſi, oſtendit, vim iſtam in corporibus motis præter reſpectum ad motum, nihil eſſe, niſi quid imaginarium. Ita enim p. 16. & 17. inquit: *Attendant quæſo* (hi nempe qui vim aliquam præter motum rebus motis tribuunt) *ad motum ambulantis in navi, qua celerrimè velo & aqua vehitur in contrariam partem ad quam ambulans tendit: liquet non cum majori difficultate ambulantem in contrariam partem ferri, quam ſi navis planè quieſceret: at ſi hic vis aliqua præter illam mutationem ſitus ſtatuenda eſſet, quæ navim impetu perpelleret ad lineam, à qua ambulans recedit: procul dubio majori conatu opus eſſet, & incaſſum laboraret homo contendendo in contrariam partem ei ad quam navis vehitur.* Conſiderare autem hic oportet, navim non à vento agitatam, ſed flumine placido exiſtente à remis tantum impulſam, ne objicere poſſis, ſentire aliquam reſiſtentiam venti navem impellentis. Poſtea vero etiam cauſam reddit hujus hominum præjudicii, quando inquit: *Cum autem videamus res motas tantâ vi & impetu objacentia ſibi corpora depellere & comminuere, inde male concluditur, vim aliquam ab hâc mutatione continua & ſucceſsiva ſitus diſtinctam eſſe: cum ipſe motus ſit, qui per ſuas impreſsiones & effectus in anima ſeſe diſtinguens ab aliis rebus vis atque potentia à nobis vocitetur. Non itaque vim negamus eſſe in natura: ſed vim illam ipſam mutationem ſitus eſſe dicimus, qualem hactenus deſcripſimus.* Hæc adſcribere volui tanquam præclarè rem iſtam declarantia.

CCLXVII. Ex his patet, attentione ſingulari opus eſſe, ſi naturam Motus benè intelligere velimus, neque frivolum fuiſſe Carteſii inſtitutum, actionem à motu ſollicitè diſtinguentis, uti R. St. p. 170. & L. p. 290. opinantur. Vera quidem eſt diſtinctio, *ut actio tribuatur motui, quatenus procedit ab agente, & paſsio quatenus recipitur in patiente*, uti Clariſs. Heerebort. in diſputatione citata docet; ſed hoc totam rem & difficultatem, ad quam Carteſius reſpexit, non exhaurit, neque etiam ab Heerebortio in eum finem eſt adductum.

CCLXVIII. Definitionem Motus art. 25. traditam & probatam Carteſius art. 26. porrò ſic declarat. *Quippe notandum eſt, magno nos in hoc præjudicio laborare, quod plus actionis ad motum requiri arbitremur, quam ad quietem.* Quid præjudicia ſint, & quomodo in nobis formentur, ſatis docuit Carteſius Pp. I. 71, 72, 73, 74. & vel ipſum nomen oſtendit, quod

quod ſint judicia à nobis facta ante perceptionem ſufficientem, adeoque eo ipſo, quatenus talia, erronea. Quando vero dicit, *nos arbitrari, plus actionis requiri ad quietem, in eoque præjudicio laborare*, per actionem intelligit, non actionem tantùm noſtram, ſed collectivè quamcunque, ut in eo conſiſtat præjudicium, quod, quia plus actionis noſtræ ſæpius videmus requiri ad motum, quam ad quietem, proclives ſimus ad ſtatuendum, in genere plus actionis requiri ad motum, non attendentes, plura alia ad motum & quietem concurrere poſſe, quam noſtram actionem, aut noſtram ab actione ceſſationem. Philoſophum autem hic loqui de actione, non noſtrâ, ſed collectivè de omni actione ex ſequentibus ipſius verbis eſt manifeſtum, præſertim ſi attendamus ad illa ipſius verba: *ſumentes ſc. actionem pro conatu illo, quo nitimur ad membra noſtra, & illorum ope alia corpora permovenda.*

CCLXIX. Ad hoc quia non attendit L.p. 290. vel attendere noluit, verba Carteſii art. 26. tali joco, uti ipſe dicit, excipit: *Egregium vero inventum, & par illi, aut ex eo deductum, quod libro de Methodo de frugibus terræ ſine labore percipiendis promiſit. Inventum inquam: nam in hunc diem natura indicio plus actionis ad motum, quàm ad quietem requirebatur. Gratulor ergo jam aurigis, nautis, portitoribus, tabellariis, nunciis, & quicunque iter terrâ marique conficiunt. non plus laboris. Laboris verò? non plus actionis via vel longiſſima perficienda impendent, quàm ſi quieti domi deſideant. Ab his fabrorum & omnium opificum tabernas perluſtrabo, magnam ab iis læto nuntio gratiam initurus. Si quidem & hi, ſi non pedum ſaltem brachiorum motu victum quaritabant. Imò ſi qua & mentis agitatio, quæ ſine omni motu & actione interna eſſe nequit, ſi qua animi operatio, vel ad virtutem adſequendam laborioſa meditatione inſtituta, vel ad eruditionis famam non mendacem acquirendam: omnibus bonæ mentis ſtudioſis jam ſecuris eſſe impero, ac, omni re jam in vado quieſcente in portu navigare, ac ne navigare quidem, ſed remos inhibere, vela dejicere jubeo. Nihilo doctiores fient, nec in bonorum virorum officio plus operæ navabunt agendo, quàm manibus in tergum rejectis quieſcendo.*

CCLXX. Reſp. Quænam quæſo eſt inter hæc Connexio: Præjudicium eſt, plus actionis in genere ad motum requiri, quàm ad quietem: ſive, Non requiritur plus actionis in genere & collective ſumtæ ad motum, quam ad quietem: Ergo etiam non plus actionis noſtræ. Si quis ex illo dicto Poetæ: *Non minor eſt virtus, quam quærere, parta tueri*, in Politicis applicato ad Principem, quod non minorem curam debeat adhibere ad conſervandum ſuum regnum, quàm adhibuit ad illud conſequen-

ſequendum, inferret: Ergo debere Principem, etiam poſtquam regnum eſt pacatum, exercitum ducere in hoſtem, caſtella expugnare &c. nonne hic Politices Profeſſor ipſum argueret ex Topicis, quod male argumentaretur à genere ad ſpeciem affirmativè. Quare ergo & hîc ad illum canonem non attendit? Indignabuntur ergo tibi, aurigæ, nautæ, portitores, tabellarii, nuncii, & quicunque iter terrâ marique conficiunt, quod tuo nuncio, læto quidem, ſed vano, & ex prave intellectis Carteſii verbis hauſto, ipſos deceperis. Quod ſi ab his fabrorum & omnium opificum tabernas perluſtraveris, vide ne malleos, aſcias &c. inſtrumenta ſua capiti tuo impingant, quod fidem tuo nuncio habentes operas intermiſerint, & ita non levem jacturam rei familiaris fuerint perpeſſi. Nec majorem gratiam reportabis à bonæ mentis ſtudioſis, qui à te illuſi, omnem impoſterum impendent operam, ut Satyricum calamum contra te ſtringentes ſaltem famam non mendacem ſtyli acuti & perpoliti reportent; ut reciproco joco tecum ludam.

CCLXXI. Objicit B. p. 103. *Secundum eam Carteſii definitionem Motus tantum eſt ſuperficiei, non corporis totius, ſaltem non internarum partium: & ſic e. g. hinc merces in Indias Orientales transferri poterunt abſque ullo earundem motu, modo compacta ſint in navi vehente &c.*

Reſp. Nodus in ſcirpo quæritur: Clariſſimum eſt pro diverſo reſpectu, eandem rem dici poſſe moveri & non moveri: Ita nempe merces, quæ in Indiam transferuntur, dũ interim in navi ſunt compactæ, poſſunt dici quieſcere, & non moveri, ſi reſpectus habeatur ad ipſam navem, à quâ non recedunt, nec removentur: verùm ſi conſiderentur, ut pertinentes ad navim, naviſque referatur ad littora, vel ad ſtellam polarem, quæ tanquam immota ſpectentur, unà cum navi moveri dici queunt.

CCLXXII. Pergit Carteſius & hujus præjudicii cauſam & fontem aperit, ut eo cognito tanto melius illũd vitare poſſimus. *Hocque ideo*, inquit, *nobis ab ineunte ætate perſuaſimus, quod corpus noſtrum ſoleat moveri à noſtra voluntate, cujus intime conſcii ſumus, & quieſcere ex hoc ſolo, quod Terræ adhæreat per gravitatem, cujus vim non ſentimus. Et quidem quia iſta gravitas, aliaque plures cauſæ à nobis non animadverſæ, motibus quos in membris noſtris ciere volumus reſiſtunt, efficiuntque ut fatigemur, putamus majore actione, ſive majore vi opus eſſe ad motum ciendum, quàm ad illum ſiſtendum, ſumentes ſc. actionem pro conatu illo, quo utimur ad membra noſtra, & illorum ope alia corpora permovenda.* His oſtendit, præjudicium illud ita formari, inque eo conſiſtere, quod motûs membrorum noſtrorum ſimus conſcii, non

item quietis, atque ita ad motum requiri actionem perſpectum habeamus, ad quietem vero æque neceſſariam eſſe non ſentiamus. Cujus rei duæ ſunt cauſæ: prior eſt, quod motus ſæpe pendeat à noſtrâ voluntate, cujus intime conſcii ſumus: (velle enim nos ſcimus, eo ipſo dum volumus, quia aliàs, quando volumus, non poſſemus cum veritate dicere: Ego volo, niſi hoc ſciremus: teſtimonium quippe externum ab interno diſſentiret) de quiete vero corporis noſtri judicamus ex ſenſus perceptione, ita concludentes: Ego ad quietem corporis mei nullam vim, nullam actionis gravitatem extra me ſentio, percipio: Ergo nulla adeſt; male ſenſus noſtros conſtituentes regulam judicandi de iis quæ exiſtunt, vel non exiſtunt. Poſterior cauſa eſt, quia gravitas membrorum noſtrorum reſiſtit eorum motui, quietem vero promovet; hinc fit, ut ſentiamus quidem motum membrorum noſtrorum propter iſtam reſiſtentiam, quietem vero propter ejus abſentiam non ita ſentire queamus.

CCLXXIII. Ad hæc notat L. p. 291. *Verum remoto joco, quibus argumentis opinionem ſuam C. probatum eat, perpendamus. 1. præjudicio nos magno antehac laboraſſe ait. Itane omnia in quibus vel ratio nobiſcum facit, vel populorum conſenſus, vel integrum ſenſuum teſtimonium, ſi id à pueritia annis noverimus, præjudicii judicio damnandum eſt? Malè de ſcientiarum jure agitur, ſi in Novatorum quamvis famoſorum gratiam communes animi notiones, vel omnium gentium tàm barbararum quàm eruditarum judicia, præjudicii inſimulata deponere cogamur.*

CCLXXIV. Reſp. Quid ſint præjudicia indicatum eſt ſuperius. Non dicit Carteſius, ea eſſe præjudicia, in quibus ratio nobiſcum facit, vel populorum conſenſus, vel integrum ſenſuum teſtimonium, ſed ea effata, de quibus judicavimus, antequam perceperimus, vel rite examinaverimus. Poſſunt itaque etiam ea eſſe præjudicia, in quibus ratio nobiſcum facit, vel populorum conſenſus, vel integrum ſenſuum teſtimonium, ſi nempe ea non propter has cauſas ſuſcepimus, ſed tantum credulâ voluntate acceptavimus. Manentque in nobis tanquam præjudicia, donec per legitimum examen reſumamus & aſſentiamur ob rationes manifeſtas. Fuerunt ergo antea quidem vera, ſed nos ea nondum ut talia cognoveramus; fuerunt vera materialiter, at poſtea vera evadunt formaliter & nobis ipſis. Abſit verò, ut communes animi notiones, vel omnium gentium, tàm barbararum quàm eruditarum judicia præjudicii inſimulemus. Quin imò hoc adverſarii eſt præjudicium, dum judicat id, quod nec ex Carteſio, nec ex ejus diſcipulis audivit.

CCLXXV. Porrò non ſufficiebat Carteſio oſtendiſſe morbum, verùm

rùm etiam tollere conatur, medicamen nobis monſtrando, dùm ſic inquit: *Quod tamen præjudicium facile exuemus, ſi conſideremus, non modo conatu nobis opus eſſe ad movenda corpora externa, ſed ſæpe etiam ad eorum motus ſiſtendos, cum à gravitate aliâve causâ non ſiſtuntur. Ut exempli gratia, non majori utimur actione ad navigium in aquâ ſtagnante quieſcens impellendum, quàm ad idem, cùm movetur, ſubitò retinendum: vel certe non multò majori: hinc enim demenda eſt aquæ ab eâ ſublevatæ gravitas, & ejuſdem lentor, à quibus paulatim ſiſti poſſet.* Præjudicium fuerat: Ad motum plus actionis requiritur, quàm ad quietem, idque ex eo, quia ſæpius circa motum actionem experti ſumus. non verò circa quietem, malè concludentes: Ubi nullam ſentimus actionem, ibi nulla eſt: Atqui ad quietem procurandam nullam ſentimus actionem: Ergo nulla ibi eſt. Hic Carteſius quidem principaliter & primariò negat Majorem, quia Pp. I. art. 71. oſtenderat, malè ita concludi: Ego nihil ibi video, ſentio, percipio: Ergo nihil ibi eſt; adeoque, quamvis gravitatis vim & actionem non ſentiamus, non tamen aliquam eſſe debeat negari. Non enim omnia quæ ſunt, ſenſibus noſtris percipere poſſumus: ſic enim nec Deum, nec angelos, nec animas noſtras, nec multa minuta corpuſcula, quæ ſenſum noſtrum effugiunt, exiſtere eſſet concedendum. Dein negat quoque Minorem, oſtendendo, etiam ſæpe fieri, ut ſentiamus requiri conatum ad quietem corporibus motis conciliandum, idque declarat exemplo à navigio deſumto. Illud quidem ſibi relictum ad quietem perducitur, concurrente tùm lentore, tùm etiam gravitate ipſius aquæ, quæ à lateribus navis eſt ſublevata, altiuſque quàm reliqua ſupra eam congregata navem premit, & ejus motui reſiſtit, ut ita ab hâc navis ſiſtenda eſſet, niſi denuò remis propelleretur. Sed ſi ipſi ſoli navem ad quietem velimus reducere, quod facimus ſubitò eam retinendo, (niſi enim hoc fiat, ſtatim habebimus cauſas alias adjuvantes,) experiemur, non multò minori conatu nobis opus eſſe, imò majori, quàm ſi illud quieſcens velimus movere. Poſſumus aliud ad hanc rem adducere exemplum, deſumtum à noſtris muſculis, quibus membra noſtra moventur & quieſcunt. Docent Anatomici, talem eſſe muſculorum conformationem, ut quàm plurimùm duo ubique ſint muſculi ſibi invicem oppoſiti, ita ut muſculo, qui flectit articulum, opponatur extendens, & ei qui movet partem in anteriora opponatur, qui in poſteriora retrahit, atque ita deinceps. Quando itaque duo muſculi oppoſiti ſimul agunt, & quidem æqualiter, oriri docent motum muſculorum tonicum, quo fit, ut pars in eodem ſitu retineatur & quieſcat, ad quam quietem producendam actionem muſculorum requiri ajunt.

Digitized by Google

CCLXXVI. His benè perceptis ſpontè cadunt Objectiones contra hæc Philoſophi verba (L. p. 292.) 2. *Sæpe ad corporum externorum motus ſiſtendos conatu aliquo nobis opus eſſe.* (*ſc. ait Carteſius*) *Quid tum? ergo ſemper ad omnia corpora & ſiſtenda, & in quiete retinenda eodem conatu opus eſt, quo ad ciendum & continuandum motum? pudet me ineptiarum, & tamen à tanto viro pro oraculis hæc traduntur & acceptantur.* 3. *Exemplo utitur navigii in aqua ſtagnante ad quietem permoti, quod planè contra ipſum militat: niſi & ratio nos fugit, & oculorum ſenſus ſæpe decepit. nec eum multum juvit adverbium SVBITO callidè inſertum. non enim de omni ſubitanea quiete, ſed de quacunque & quidem continuata, ut de motu continuo quæſtio eſt, aut eſſe debet, ſi pari hic ratiocinandi modo agimus.*

CCLXXVII. Reſp. 1. quo tendat Carteſius, quando docet, *ſæpe ad corporum externorum motus ſiſtendos conatu aliquo nobis opus eſſe*, ex art. 274. ſatis patet. Ad Minorem enim illam infringendam unica inſtantia ſufficiebat. Noluit autem neque debuit probare, ſemper eodem conatu *noſtro* opus eſſe ad corpora ſiſtenda & in quiete retinenda, imò hoc falſum eſſe ſatis novit: neque etiam hic intendit demonſtrare, tantum actionis ad quietem requiri, quantum ad motum, quæ ejus eſt theſis; ſed contentus fuit antitheſin hominum præjudiciis occupatorum infringere: theſin verò ſuam confirmat Pp. part III. & IV. ubi ex variis exemplis motus & quietis liquet, quod tanta actio ad quietem requiratur, quanta ad procurandum motum. Itaque id, quod de ineptiis Carteſii oggeritur, totum evaneſcit. 2. quomodo exemplum navigii Carteſio inſerviat ſuprà eſt demonſtratum. Voculam *SVBITO* etiam non callidè vel fraudulenter fuiſſe inſertam, ſed ad ſcopum auctoris neceſſariò requiſitam, eſt demonſtratum. Ut enim poſſit *noſtra* actio quietem navigio conciliare, debebat id ſubitò fieri, ne ab aliis cauſis adjuvaretur; quod tamen vix evitari poſſe Carteſius oſtendit, quando ait, demendam eſſe aquæ à navigio ſublevatæ gravitatem, & lentorem, à quibus paulatim ſiſti poſſet. Hinc tamen non putem adverſarium rationem fugere, & oculorum ſenſum ipſum decepiſſe, niſi, ut leniſſime dicam, non ſatis accurate attendendo illam à ſe fugaverit.

CCLXXVIII. Pergit Carteſius definitionem ſuam ulterius deducere & explicare: ita enim art. 27. *Cùm autem hic non agatur de illâ actione, quæ intelligitur eſſe in movente, vel in eo, qui motum ſiſtit, ſed de ſolâ tranſlatione ac tranſlationis abſentiâ, ſive quiete; manifeſtum eſt hanc tranſlationem extra corpus motum eſſe non poſſe, atque hoc corpus alio modo ſe habere cùm transfertur; & alio cùm non transfertur, ſive cum quieſcit: adeò ut motus & quies*

quies nihil alind in eo ſint, quàm diverſi modi. Horum verborum iſte eſt ſenſus. *Cùm autem hic non agatur*] Propterea enim definiverat motum per translationem, ut oſtenderet, actionem non eſſe de ejus formali ratione, ut à nobis plenius eſt oſtenſum. *de illa actione quæ intelligitur eſſe in movente*] At objiciat aliquis: Actio non eſt in agente, ſed ab illo, quatenus verò terminatur in effecto, paſſio vocatur. *Reſp.* Actio poteſt dici ab agente & in agente diverſo reſpectu, uti ex actionibus immanentibus eſt manifeſtum. 2. In movente eſſe actionem aliquam facilè intelligitur: nonne enim, ſi lapidem moves, actio in te exiſtit, vibratio brachii, muſculorum extenſiones, ſpirituum influxus & ſimilia? *manifeſtum eſt*] actio enim illa, quæ eſt in movente extra corpus motum eſſe poteſt, & eſt in jactu lapidis; ſed translatio ipſa non poteſt, cùm ſit mobilis, non moventis. *atque hoc corpus alio modo*] quemadmodum enim figurarum variatio corpus cui inſunt variat, ùt cera ex. gr. aliter ſe habeat, quando eſt quadrata, aliter, quando rotunda exiſtit; aliam enim atque aliam exteriorum partium diſpoſitionem obtinet, aliamque ſuperficiei terminationem: ita etiam motus & quies corporibus aliquam variationem conferunt; quippe motus alium reſpectum & diſpoſitionem corpori moto ad corpora circumſtantia confert, quam quies. *adeo ut motus & quies*] ad modum enim duo requiruntur, 1. ut inſit ei, cujus eſt modus. 2. ut illud variet, & alio modo ſe habere faciat; quæ duo motui & quieti competere hactenus oſtenſum.

CCLXXIX. Art. 22. declarat Carteſius quare dixerit, translationem fieri ex viciniâ corporum immediatè contiguorum in viciniam aliorum, non verò, translationem fieri ex uno loco in alium, *quia* (inquit) *ut ſupra explicui*, art 14. & 15. *loci acceptio varia eſt ac pendet a noſtra cogitatione: ſed cùm per motum intelligimus eam translationem, quæ fit ex vicinia corporum contiguorum, quoniam una tantùm corpora eodem temporis momento ejusdem mobilis contigua eſſe poſſunt, non poſſumus iſti mobili plures motus eodem tempore tribuere, ſed unum tantùm.* Quæ verba ſic explico. *Quia loci acceptio varia eſt*) aliquando enim deſignat ſpatium, quod ſibi corpus quodlibet ſuâ magnitudine determinat, & vocatur locus internus; aliquando verò ſitum certum inter alia corpora, appellaturque locus externus. Ut ita dicatur corpus in alterius locum ſuccedere, dummodò eundem ſitum inter corpora circumjacentia obtineat, quem prius, in cujus locum dicitur ſucceſſiſſe: ſed non dicitur corpus idem ſpatium occupare cum altero, niſi ſit ejuſdem magnitudinis. Hinc apparet, definitiones Auguſtini & Kepleri, quas 260. & 261. articulo adduximus

Digitized by Google

ximus, veras quidem eſſe, ſed, quia per vocem ambiguam loci fuerunt formatæ, minus eſſe claras hâc definitione Philoſophi. *Quoniam una tantum corpora*, id eſt, à qualibet ſuperficiei totius parte circumcirca, non niſi unum tantùm corpus poteſt eſſe contiguum, ab hac parte hoc, ab aliâ parte aliud. Dicit autem *una corpora* non *unum*, quia plura ſunt, quæ rem illam quæ movetur contingunt. Impoſſibile enim eſt, ut motus fiat, niſi in circulum, ſi uno continuo corpore res contineatur. *Non poſſumus iſti mobili plures motus*] quia eodem tempore non poteſt, niſi à proximè circumjacentibus corporibus recedere, quæ illud immediatè contingunt.

CCLXXX. Porrò oſtendit Carteſius art. 29. quare dixerit, tranſlationem illam fieri ex viciniâ, non quorumlibet corporum contiguorum, ſed eorum duntaxat, quæ tanquam quieſcentia ſpectantur. *Ipſa enim*, inquit, *translatio eſt reciproca, nec poteſt intelligi corpus A B transferri ex vicinia corporis C D, quin ſimul etiam intelligatur corpus C D transferri ex viciniâ corporis A B: Ac planè eadem vis & actio requiritur ex una parte atque ex altera. Quapropter, ſi omninò propriam, & non ad aliud relatam naturam motui tribuere vellemus, cùm duo corpora contigua, unum in unam, aliud in aliam partem transferuntur, ſicque à ſe mutuò ſeparantur, tantundem motus in uno quàm in altero eſſe diceremus. Sed hoc à communi loquendi uſu nimium abhorreret, cùm enim conſueti ſimus ſtare in terra, eamque ut quieſcentem conſiderare, quamvis aliquas ejus partes aliis minoribus corporibus contiguas, ab eorum vicinia transferri videamus, non tamen ipſam idcirco moveri putamus.* Hæc verba ita explicanda. *Ipſa enim translatio eſt reciproca*] ſcilicet in rei veritate, ſecundùm illas ſuperficies, ſecundùm quas fit tranſlatio. Supponitur autem in exemplo à Carteſio allato 1. quod ſit immediata contiguitas duorum corporum A B & C D, 2. quod illa corpora ſint æqualia, 3. habeant ſuperficies congruentes, & 4. libera ſint ab omnibus aliis & à nullis corporibus impedita. Illam autem tranſlationem eſſe reciprocam, etiam colligi poteſt ex motibus apparentibus Planetarum, quos Aſtronomi ſolent vocare veros, quia retroceſſiſſe intelliguntur à viciniâ corporum immediatè contiguorum. *Ac plane eadem vis*] non quidem terminatur iſta vis & actio ad utrumque corpus, ſed ad quodcunque terminetur, cùm ſupponantur eſſe æqualia, non requiritur major vis, quæ terminetur ad corpus A D, quàm quæ terminetur ad corpus C D, & ad quodcunque corpus ex his duobus actio terminetur, ſemper erit eadem tranſlatio. *Et non ad aliud relatam*] nempe, ſi planè non attendamus ad actionem

actionem vel vim moventem, ſed meram trāſlationem ſpectemus, illamque ſolam pro motu accipiamus & habeamus, uti haberi debet, ut patet ex antecedentibus, manifeſtum erit, tantum eſſe tranſlationis in uno corpore, quantum in altero, ſi duo corpora à ſe mutuò transferantur, adeoque etiam tantundem motus in utroque. *Sed hoc à communi uſu loquendi*] hic uſus loquendi multum obeſt indagationi veritatis, & cauſa eſt errorum multorum, uti à Philoſopho oſtenditur Pp. I. art. 74. Cùm enim vulgus invenerit voces, qui non habuit veram cognitionem rerum, ſed præjudiciis infantiæ obſcuratam, voces ad infantiæ præjudicia accommodavit. Hinc eſt, quòd Comenius in Viâ Lucis optat dari aliquam Linguam Univerſalem, quæ ſit rebus accommodata, earumque naturam commodè exprimat, *quia enim dum rebus nomina non per rerum naturam impoſita ſunt, neque ſermonis uſu rerum deteguntur fundamenta & harmonia mutua fit, ut quoties de rebus controverſia incidit, ultro citroque contendentes, nihil niſi verba verbis immiſceant*, verba ſunt Comenii. Saltem quia vix ſperandum, ut talis eruditorum conſenſus ſit futurus ad hujuſmodi linguæ conſtitutionem, rebus ita ſtantibus & hominibus variè diſtractis, niſi ſpecialis gratia Dei accedat, loquendum eſt cum vulgo, ſed ſentiendum cum eruditis. Quia itaque, ut ad rem redeamus, non conſuevit vulgus tàm accuratè loqui de motu, ut aſſignet eum unicuiq; corpori, quod transfertur è vicinia corporis contigui, ſive actio moventis ad illud terminetur, ſive non, Philoſophus illum modum loquendi hîc vult ſequi, ut ei tantùm corpori motum tribuat, ad quod actio moventis terminatur. *Eamque ut quieſcentem conſiderare*] quia nos ſumus Terræ conjuncti, quamvis deferatur, ut in ſequentibus oſtendetur, eam ſolemus reſpectu noſtræ ſuper eâ ambulationis ut quieſcentem ſpectare, quemadmodum is, qui cum navi circumfertur, reſpectu ſuæ obambulationis in illâ, eam ut quieſcentem conſiderat.

CCLXXXI. Tandem Philoſophus art. 30. rationem reddit, quare hoc in negotio modus loquendi vulgaris ſit retinendus. *Hujuſque rei*, ait, *præcipua ratio eſt, quod motus intelligatur eſſe totius corporis quod movetur, nec poſſit ita intelligi totius Terræ ob tranſlationem quarundam ejus partium, ex viciniâ minorum corporum, quibus contigua ſunt; quoniam ſæpe plures ejuſmodi tranſlationes ſibi mutuo contrarias, in ipſâ licet advertere, eſſe totius corporis, quod movetur,*] id eſt, ſecundùm omnem ſuperficiem circumcirca è viciniâ omnium corporum immediatè contiguorum. Terra verò ex eo ſolo, quòd quædam ejus partes concipiantur tranſlatæ eſſe è viciniâ corporum immediatè contiguorum in viciniam aliorum, quia interim aliæ partes

Digitized by Google

partes propterea non transferuntur, ſed vicinitatem ſuam retinent cum aliis corporibus, non dicetur moveri. *Sibi mutuo contrarias*:] Sic enim diceretur uno eodemque momento transferri reſpectu horum corporum in ortum, reſpectu aliorum in occaſum, quod ſi iterum ad alia atque alia relationem inſtituas, moveri etiam diceres & ad meridiem & ad ſeptentrionem.

CCLXXXI. Atque ita, quid Motus propriè loquendo ſit, didicimus. Sed ſolet aliquando Motus vocabulum latiùs uſurpari. Unde nata eſt diſtinctio Motûs in Communem & Proprium. *Proprius* eſt is, de quo egimus, quando nempe corpus aliquod transfertur è viciniâ corporum immediatè contiguorum. *Communis* verò eſt, cùm corpus tanquam pars alterius vel alteri conjunctum unà cum illo circumfertur, etiamſi illud propriè non moveatur, nec recedat à corporibus immediatè contiguis, atque propterea reverâ quieſcat, qui motus *Delatio* vocatur. Talis motus eſt Nautæ in navi, aut potiùs hominum in interiori navis ſedentium, qui à navi dicuntur deferri. Hactenus ergò terminos quæſtionum propoſitarum conſideravimus, prolixiùs de Motu agentes, partim, quòd ejus natura vulgò non ita nota, partim, quia dum ſequimur Carteſii Motus explicationem neceſſe fuit, ut omne quod obſcuritatem aliquam continere videretur, & objectionibus vel fuerit impetitum, vel ſaltem impeti potuerit, elucidaremus.

CAPUT XVIII.

Demonſtratur duobus argumentis, Terram deferri circa Solem annuâ delatione, & circa axem ſuum diurnâ.

CCLXXXIII. Terminis ita explicatis, nunc ad determinationem quæſtionum Cap. XVI. art. 249. propoſitarum accedimus. Atque pro diverſâ acceptione ſubjecti & prædicati, dicimus. 1. Si Terra accipiatur ſtrictè, prout cum aquâ unum globum conſtituit, & diſtinguitur ab aëre & aliis corporibus, ei nullum motum propriè acceptum tribuendum, ſicque eam motu proprio moveri negamus. 2. Sed non negamus, motum ei ſic acceptæ tribui poſſe communem ſive Delationem, quæ non niſi impropriè motus vocari poteſt: imò aſſerimus, eam ſic unà cum Lunâ à materia cœleſti ambiente deferri circa Solem delatione annuâ, itidemque ſingulis diebus circa axem ſuum convolvi. 3. Quòd ſi verò Terra

Digitized by Google

Terra accipiatur latè pro complexu omnium corporum, uſque ad Lunam, neque ſic eam proprie moveri aſſerimus, quia materia, quæ illam defert, tum delatione annuâ, tum diurnâ, nunquam tota ſimul ab illâ recedit.

CCLXXXIV. His ita conſtitutis patet, à Carteſio & nobis, qui hîc eum præeuntem ſequimur, multò minus motus terræ tribui, quam vel Tycho, vel Ptolemæus aſſignaverit, quos inter ſe quoad motum diurnum convenire ſuperius vidimus. Illi enim aërem vicinum unà cum Cœlo à Terrâ ſeparari ſtatuerunt, vel ſaltem Cœlum ab aëre ſubjacente. Cùm autem omnis translatio ſit reciproca, ut præcedenti capite eſt demonſtratum, tantum motus Terræ vel ab aëre vicino ſeparatæ, vel unà cum aëre ambiente à proximo Cœlo revulſæ tribuerunt, atque ipſi Cœlo. At Carteſius Terram à materiâ cœleſti ambiente totâ ſimul nunquam recedere ſtatuit. Ergo multo minùs ei motûs aſſignat, quàm Tycho aut Ptolemæus. Quod ſi igitur L. p. 304. naturam veri motus & propriè ſic dicti ejusque differentiam à motu communi, hoc eſt, delatione, mente perſpicaci conſideraſſet, nullam in verbis Carteſii contradictionem eſſe videre potuiſſet, neque ſequentibus verbis Carteſium arguere conatus fuiſſet. *Quomodo,* inquit, *omnem motum terra detracturus es, & nihilominus eam pro ſtellâ erranti habebis? Tecum igitur te committo, à te ipſo pugnâ plusquam Cadmaâ conſumendum. Tirones tamen monitos hic velim, non ex animi ſententia motum Terra ab eo detrahi, nec nudam hîc hypotheſin foveri, repugnant aperta in contrarium aſſertiones, repugnat aſſeclarum ejus explicatio.*

Reſp. Reverâ motum Terræ non competere ſatis, ut puto, patebit Lectoribus ex dictis hoc & præcedenti capite: inde autem nihilominus delationem poſſe ei tribui etiam conſpicuum eſſe puto, & reverâ tribuendam in ſequentibus demonſtrabimus.

CCLXXXV. Ut ergo id aggrediamur, quid nobis incumbat probandum, conſideremus; nimirum, ,, 1. Terram deferri circa Solem ,, à materiâ cœleſti ambiente delatione annuâ. 2. Eandemque unoquo- ,, que νυχθημέρῳ converti circa ſuum axem. Ad hoc præſtandum non utar argumentis à Circulorum, Orbium, Epicyclorum per Copernici ſyſtema ejectione & faciliori explicatione Aſtronomicâ motûs corporum cœleſtium deſumtis. Quamvis enim hæc Circulorum multitudo confundat intellectum, & ſimplicius ſemper ſit præferendum compoſito, tamen non neceſſe eſt, ut fiat per talem ſyſtematis mutationem, ſed præſtari poteſt per plurium Circulorum ad pauciores reductionem, uti hoc

egregiè eſt præſtitum à Clariſſimo Deuſingio in ſuo tractatu de vero ſyſtemate mundi, quo magnam lucem tum Copernicano, tum etiam Tychoniano ſyſtemati intulit. Neque adhibebo argumenta, à proportione & harmoniâ deſumpta, quia harmoniæ non ſunt in rebus præſupponendæ, ut ex illarum hypotheſi aliquid concludas, ſed tum demum, cùm in rebus fuerint inventæ, agnoſcendæ & admirandæ.

CCLXXXVI. Ad iſtum cenſum argumentorum imbecillium etiam refero deſumtum argumentum à nimiâ celeritate primi mobilis, quod tamen tantùm non pro Achilleo à Copernicanis haberi ſolet. Raptus firmamenti, quem ſtatuunt Ptolemaici & Tychoniani, fieri debet ſecundum Tychonianam computationem, ut ſtella fixa motu horario abſolvat milliaria circiter 3153333, &, uno ſcrupulo ſecundo, ſive temporis momento milliaria 26277. Sed tam celerem motum dicunt eſſe mente imperceptibilem, adeoque impoſſibilem. Sed mihi videtur iſtud argumentum eſſe ejusdem commatis, cujus eſt Tychonianorum contra Copernicum à nimiâ altitudine ſtellarum Fixarum, & nimiâ magnitudine Cœli deſumtum, quâ fiat, ut Orbis magnus, in quo Terra defertur, debeat habere ad Cœlum rationem puncti inſenſibilis, de quo argumento ſuo loco videbimus. Quanquam enim nequeamus diſtinctè in particulari percipere tantam celeritatem motus, nec imaginatione comprehendere, poſſumus tamen in genere facilè intelligere, quod motus velocitas poſſit augeri in infinitum, ita ut adhuc infinities velocior poſſit cogitari & dari. Eſt enim eadem ipſius ratio, quæ magnitudinis, quæ in infinitum augeri poteſt. Quod ſi ſupponamus, Terram cum Firmamento eſſe unum aliquod continuum corpus, eamque ponamus ita moveri à Deo, ut 24 horis circumvolutionem ſuam abſolveret, rapiet ſecum eodèm tempore convexam Firmamenti, cujuscunque eam amplitudinis ſupponamus, ut punctum aliquod in eâ, ſcrupulo ſecundo poſſit abſolvere milliaria 26277. imò multò plura, prout amplitudinem ſphæræ iſtius ſuppoſuerimus majorem. Vel finge rotam extenſam uſque ad ſtellas fixas, vel ulterius etiam, eamque moveri ſuppone, debebunt neceſſariò eodem tempore, quo partes axi proximæ circuitum ſuum abſolvunt, id etiam præſtare remotæ. Pone ergo partes axi proximas horarum 24 ſpatio circumvolvi. Ergo partes remotiſſimæ eodem tempore circuitum ſuum abſolvent; adeoque conficient ſingulis ſcrupulis ſecundis milliaria 26277, vel etiam plura, ſiquidem amplitudinem rotæ majorem ſuppoſueris. Quandoquidem ergò illa celeritas Motus in corporibus continuis non eſt intellectu imperceptibilis,

Digitized by Google

ceptibilis, conſtitue nunc, poſt impetum impreſſum, ſeparari vel Firmamentum à Terrâ, vel partem rotæ proximam axi à remotiſſimâ, eadem utique celeritas poterit permanere.

CCLXXXVII. Sed ad obtinendum inſtitutum utar mox §. 291. argumento demonſtrativo & evidentiſſimo, ex noſtro Philoſopho deſumto, illudque tantâ, quantâ potero, brevitate methodo Mathematicâ ſyntheticâ per propoſitiones diſtinctas proponam. Lectores tamen rogatos volo, ut ipſum Philoſophum adeant, & imprimis Princip. partem III. diligenter & attentè pervolvant, ubi accuratè, & Methodo analyticâ demonſtrata reperient omnia ea, quæ hic breviter à me proponentur.

CCLXXXVIII. Exc. 1. B. p. 213. 214. *me in hiſce Propoſitionibus variis modis peccare in Methodum Mathematicam, 1. quia nullas ponam notiones communes ſive axiomata. 2. quia poſt propoſitiones ſubjungam hypotheſes, easque probem. 3. quia de eorum veritate dubitem.*

Reſp. Si voluiſſem abſolutam & plenam inſtituere probationem materiæ propoſitæ, potuiſſet fortè iſta accuſatio aliquam juſtam habere rationem, ſed cùm expreſſe artic. præcedenti, ut & in fine hujus capitis lectorem ablegem ad Carteſii Principia, dicamque, quod in ea hîc tantum digitum intendam, locum ea non invenit. Definitiones ergo omiſi brevitatis cauſâ, quia in ipſis demonſtrationibus, ſi quis terminus obſcurus occurrat, explicatus eſt. Atque notionum communium ſive axiomatum eadem eſt ratio, quæ cùm ex terminis ſint manifeſta, brevitati ſtudens non lubuit ſeparatim præmittere. 2. Mathematici novum librum inchoantes præmittunt, ſi neceſſarium videatur, definitiones, communes notiones & Poſtulata; & ego ante Propoſ. XIII. à quâ novus liber potuiſſet inchoari, præmiſi ſola Poſtulata, quæ Hypotheſes vocavi, eaque non tam probavi quàm declaravi, eo modo quo & Clavius libro 1. Euclidis circa 4. Poſtulata fecit. 3. Poſtulata omnia verè poni non eſt neceſſe: ſufficit enim oſtendere, quid eo ſuppoſito conſequatur, prout apparet ex Poſtulato Archimedis, *Detur punctum extra terram, & terram movebo.* Omnes ergo hîc ab adverſario adductæ difficultates in fumum abeunt. 4. quod ſi has hypotheſes nomine Poſtulatorum cenſere nolis, age ſint hypotheſes, ſimiles iis, quales in Aſtronomiâ aſſumuntur ad ſalvanda phænomena, propter quarum uſum in phyſicis mihi non magis ſuccenſere potes, quàm Aſtronomis propter uſurpatas ſimiles Hypotheſes in Aſtronomiâ.

Digitized by Google

CCLXXXIX. Exc. 2. B. p. 214. *Methodus Mathematica non neceſſe habet emendicare præjudiciorum depoſitionem, ſed Propoſitiones lectores cogunt in aſſenſum, ita ut nullam hactenus paſſæ ſint contradictionem: at ex tuis propoſitionibus ut priores nituntur principio falſiſſimo, ita & varia ſunt, quæ cum præcedentibus non habent neceſſariam connexionem, &, ſi forſam hæ tuæ probationes non ſufficientes comperiantur, vis lectores rogatos ut ipſum Philoſophum adeant.*

Reſp. Cum mea demonſtratio non ſit niſi brevis & ſummaria, non mirum quod Lectores ablegem ad Carteſium, quoniam nolui integram ipſius Phyſicam deſcribere. 2. agitur hîc de rebus Phyſicis, de quibus varia præjudicia homines hauſerunt; ergo hîc opus eſt poſtulare ut ea deponant, ne impediantur in percipiendâ veritate, ſecus ſe res habet in Geometricis, quas ut quis percipiat nulla præjudicia impediunt. 3. Mathematicæ demonſtrationes nullam paſſæ ſunt contradictionem, niſi à non intelligentibus; exemplo ſit Peletarius contra Clavium, vide Clav. Eucl. lib. 3. prop. 16. quo tamen Mathematicæ eſſe non deſinunt. Ita etiamſi antagoniſtæ & ſimiles non poſſint percipere iſtas demonſtrationes, non tamen propterea certæ eſſe deſinunt. 4. quod de Principiis falſis & de quarundam Prrpoſitionum inutilitate dicit, in ſeqq. examinabimus.

CCXC. Sed quoniam idem ille homo etiam p. 211. gravitèr invehitur in poſtulatum meum æquiſſimum, ut præjudicia deponantur, placet uberius de eo cum ipſo agere. Inquit: *Meum eſſe vi argumentorum adverſarium à præjudiciis liberare, vel ita confutare, ut non habeat, quod ratione reponat*; & interjectis ſarcaſmis, quos facile potuiſſem in ipſum retorquere, ſatis acerbè & contra gravitatem Eccleſiaſticam quærit, *quænam ſint deponenda præjudicia? Anne*, inquit, *quod credimus Solem moveri? Anne S. Scripturam ubique veracem eſſe? Anne Deum eſſe?* additque, *ſe hæc præjudicia nunquam depoſiturum, 1. Quodcunque nobis dictat ſcriptura verum eſſe, 2. In expoſitione textus ſacri à proprio verborum ſenſu ſine cogente ratione non eſſe recedendum.* Ad quæ reſpondeo 1. apparere hinc candorem Theologicum & charitatem, quâ iſti homines feruntur in eos, qui ab ipſorum opinionibus quantumcunque recedunt, quorum ſententias iniquiſſimè pervertunt, ut petulantèr iis inſultent. Ad ſe ſi rediiſſet adverſarius, ſcire poterat, illa omnia eſſe præjudicia, quæ judicavimus re non ſatis examinatâ & perſpectâ, in quibus judicium contra naturæ ordinem perceptionem antecedit, quorum varia hinc & inde ſunt indicata, plura à Carteſio Princip. I. art. 71.—75. & à Claubergio in Defenſione

Digitized by Google

Defenſione Carteſianâ ſunt collecta. Ea omnia deponenda ſunt ei, qui veritatem cognoſcere cupit, quod niſi faciat, fruſtra contra ipſum rationibus egeris. Hoccine verò iniquum putabimus poſtulatum, ut homo ad aliquam rem examinandam accedens mentem non præoccupatam afferat. Cùm tamen tùm communiter omnes id à veritatis ſtudioſo exigant, tùm in ſpecie noſtri Theologi in Pontificiis deſiderent. Videſis Ludovicum Crocium de Eccleſiæ Pontificiæ Præjudiciis & præſertim Diſſertationem primam. 2. Hoc verò imprimis neceſſarium eſt circa res naturales, circa quas ab infantiâ verſati, neque ſatis eas per ætatem examinantes, varia præjudicia hauſimus, quæ poſtea tenaciſſimè retinentur, nec niſi magno adhibito labore deponi queunt. At non requiritur circa res puræ Matheſeos, circa quas homines non ſolent verſari, antequam ad uſum rationis pervenerint. Verbi gratiâ, perſuaſus ſis ab ineunte ætate, Terram ſtare & Solem circa eam quotidie convolvi, puteſque etiam id teſtari Scripturam in locis mox examinandis, æquum tamen eſt, ut ſi quid veri falſive in tuâ ſententiâ ſit inquirere velis, de ea, donec evidentèr cognoveris veritatem falſitatemve, quidque de ea re Scriptura doceat, judicium ſuſpendas. Æruginem verò ſuam adverſarius prodit, cùm quærit, num velim tanquam Præjudicia deponi, *Scripturam ubique veracem eſſe & Deum exiſtere*, cùm me de illâ Scripturæ Veracitate nullatenus dubitare ex meis Diſſertationibus ſatis potuerit cognoſcere, in iiſque adduxerim rationes, ob quas loca objecta ita interpreter, ut meæ ſententiæ nihil quicquam adverſentur. De Dei verò exiſtentia nequaquam Carteſium dubitaſſe, quo ſenſu id ipſis tribuunt adverſarii, clariſſimè oſtendit Dn. Claubergius *de Dubitatione* Cap. IV. Refutet id ſi vir eſt, ſin minus, omittat inpoſterum calumnias & convitia. 3. Mirum verò eſt, quòd, cùm hanc ſententiam, *Carteſium non potuiſſe errare*, contra mentem & proteſtationes noſtras nobis attribuit, nullum ejus ex noſtris ſcriptis afferat fundamentum, atque ſic ſe à calumnia præſervet. Ubinam verò Auctoritate Carteſii nitimur vel argumentum ab ea deſumimus? ubinam ſententiam ejus ſine ratione & examine ſuſcipimus? cum è contrario hæc ſit noſtræ Philoſophiæ norma, Nihil eſſe admittendum pro vero, niſi quod clare & diſtincte fuerit perceptum.

CCXCI. His ita præmiſſis ipſæ Propoſitiones cum vindiciis ab Exceptionibus nunc ſequuntur.

Digitized by Google

de colligitur, iſta omnia eſſentialia eſſe, & ad naturam corporis, in quantum corpus eſt, pertinere, quod ſine iis eſſe non poteſt. Inter ea autem, quodnam ſit Attributum primum à quo reliqua oriuntur, quodque propterea Eſſentia corporis ſit dicendum, facile reperietur, ſi conſideres, omnia illa, quæ ad extenſionem referuntur, eam præſupponere, ac non niſi eâ poſitâ corpori attribui poſſe. Ac Quantitatem & Magnitudinem quod attinet, ſi eam ſpectemus accuratius, atque cum extenſione comparemus, reperiemus, hanc eſſe aliquid magis Abſolutum, illa verò magis Reſpectiva (cum ut Quantum ad Tantum, ita Magnum ad Parvum referatur) adeoque ea Extenſionem præſupponere. Neque enim ipſa quantitatis appellatio aliud menti exhibet, quàm certam extenſionis determinationem & menſuram. Similiter diviſibilitas extenſionem in ſuo conceptu præſupponit, atque ab ea abſtrahi nequit. Quod verò partes habeat corpus, quarum una ſit poſita extra alteram, quæque inter ſe invicem per extremitates ſuas conjunctæ continuum faciant, id diviſibilitatem, & per conſequens extenſionem præſupponit. Atque ita Extenſio non proprietas ſtrictè ſic dicta, ſed primum Attributum Corporis eſt, & proin ejus eſſentiam conſtituit. 2. Ineptiſſimum vero eſt dicere, formam corporeitatis eſſe eſſentiam corporis. Non enim plus dicis, quàm ſi diceres, eſſentiam corporis eſſe eſſentiam corporis. Atqui de illa ipſa forma corporeitatis quæritur, in quonam illa conſiſtat. Nos in extenſione conſiſtere jam dedimus probatum. Cum Carteſio philoſophantes rem quærunt, non notiones ſecundas & nomina, nucleum, non corticem, &, quando eum invenerunt, ſunt contenti; ne more Canis Æſopici, dum umbram captant, rem ipſam amittant. Atque hic error eſt communis in Adverſariis, quod Entia multiplicantes citra neceſſitatem plus quærunt in re quàm revera ineſt, atque nucleo reperto eum tamen cum cortice commutare velint.

Verùm dices: *Nos quærimus ſubjectum rei, cui omnia iſta, Extenſio, Quantitas, Magnitudo, diviſibilitas &c. inſint.*

Reſp. Fruſtra quæritis, quod jam habetis. Extenſio enim eſt ipſum illud ſubjectum, cui Quantitas &c. conveniunt. Nihil enim reale poſt Quantitatem, Magnitudinem, diviſibilitatem &c. in corpore præter extenſionem remanet. Nolite in infinitum progredi, nolite loco realis ſubjecti quod habetis, aliquod notionale vel nominale ſubſtituere. Ac ſi omninò velitis ſubjectum extenſionis, dico, illud eſſe ipſum corpus, quod ab extenſione, non niſi nomine, non niſi ut concretum ab abſtracto differt; ſicut humanitas ab homine, Deitas à Deo.

CCXCIV.

Digitized by Google

de colligitur, iſta omnia eſſentialia eſſe, & ad naturam corporis, in quantum corpus eſt, pertinere, quod ſine iis eſſe non poteſt. Inter ea autem, quodnam ſit Attributum primum à quo reliqua oriuntur, quodque propterea Eſſentia corporis ſit dicendum, facile reperietur, ſi conſideres, omnia illa, quæ ad extenſionem referuntur, eam præſupponere, ac non niſi eâ poſitâ corpori attribui poſſe. Ac Quantitatem & Magnitudinem quod attinet, ſi eam ſpectemus accuratius, atque cum extenſione comparemus, reperiemus, hanc eſſe aliquid magis Abſolutum, illa verò magis Reſpectiva (cum ut Quantum ad Tantum, ita Magnum ad Parvum referatur) adeoque ea Extenſionem præſupponere. Neque enim ipſa quantitatis appellatio aliud menti exhibet, quàm certam extenſionis determinationem & menſuram. Similiter diviſibilitas extenſionem in ſuo conceptu præſupponit, atque ab ea abſtrahi nequit. Quòd verò partes habeat corpus, quarum una ſit poſita extra alteram, quæque inter ſe invicem per extremitates ſuas conjunctæ continuum faciant, id diviſibilitatem, & per conſequens extenſionem præſupponit. Atque ita Extenſio non proprietas ſtrictè ſic dicta, ſed primum Attributum Corporis eſt, & proin ejus eſſentiam conſtituit. 2. Ineptiſſimum vero eſt dicere, formam corporeitatis eſſe eſſentiam corporis. Non enim plus dicis, quàm ſi diceres, eſſentiam corporis eſſe eſſentiam corporis. Atqui de illa ipſa forma corporeitatis quæritur, in quonam illa conſiſtat. Nos in extenſione conſiſtere jam dedimus probatum. Cum Carteſio philoſophantes rem quærunt, non notiones ſecundas & nomina, nucleum, non corticem, &, quando eum invenerunt, ſunt contenti; ne more Canis Æſopici, dum umbram captant, rem ipſam amittant. Atque hic error eſt communis in Adverſariis, quod Entia multiplicantes citra neceſſitatem plus quærunt in re quàm revera ineſt, atque nucleo reperto eum tamen cum cortice commutare velint.

Verùm dices: *Nos quærimus ſubjectum rei, cui omnia iſta, Extenſio, Quantitas, Magnitudo, diviſibilitas &c. inſint.*

Reſp. Fruſtra quæritis, quod jam habetis. Extenſio enim eſt ipſum illud ſubjectum, cui Quantitas &c. conveniunt. Nihil enim reale poſt Quantitatem, Magnitudinem, diviſibilitatem &c. in corpore præter extenſionem remanet. Nolite in infinitum progredi, nolite loco realis ſubjecti quod habetis, aliquod notionale vel nominale ſubſtituere. Ac ſi omninò velitis ſubjectum extenſionis, dico, illud eſſe ipſum corpus, quod ab extenſione, non niſi nomine, non niſi ut concretum ab abſtracto differt; ſicut humanitas ab homine, Deitas à Deo.

CCXCIV.

Digitized by Google

CCXCIV. Exc. 3. (B. p. 218.) *Carteſium confundere extenſionem prout ineſt corpori, cum eâ quæ fit per abſtractionem intellectus. Cùm enim nominat quid extenſum, tum comprehendit duo, videlicet, & ſubjectum cui extenſio adhæret, & adjunctum videl. extenſionem ſubjecto inhærentem: At in ſpatio, quod vacuum appellatur, per abſtractionem concipitur extenſio non dato ſubjecto extenſo, qualis eſt abſtractio Mathematica & Aſtronomica &c.*

Reſp. Quin extenſio ita poſſit à corpore diſtingui, quemadmodum humanitas ab homine nemo negat: neque negamus, quòd extenſio poſſit in genere conſiderari, prout non eſt ad hoc vel illud corpus reſtricta, adeoque, quod poſſit abſtrahi ab hoc vel illo corpore in particulari, ſicut & humanitas poteſt abſtrahi ab hoc vel illo homine. Verùm, quemadmodum humanitas in genere non differt ab homine in genere ſpectato, niſi ut abſtractum & concretum, ita nec extenſio à corpore generatim accepto. Atque hæc eſt abſtractio Mathematica in genere ſic dicta, quæ contemplatur magnitudines & figuras, parùm curans, utrùm tales ſint actu in rerum naturâ, an vero tantùm tales eſſe poſſint. Unde dicitur, *Mathematicam* quidem *abſtrahere à materiâ ſenſibili*, hoc eſt, hâc vel illâ, *non verò à materiâ intelligibili*. 2. Aſtronomia vero non in abſtracto contemplatur diſtantiam, magnitudinem &c. ſed diſtantiam & magnitudinem ſtellarum; & quamvis in diſtantiâ menſurandâ non habeat rationem vel aëris, vel aliorum corporum certorum, tamen non poſſet diſtantiam conſiderare corporum, ſi inter duo, quorum diſtantiam ſpectat, nulla alia corpora intercederent, hoc eſt, ſi non diſtarent inter ſe invicem. Nulla ergo hîc confuſio adſcribi poteſt Carteſio, cùm non neget, extenſionem poſſe abſtrahi à re extenſâ modo dicto, ſed neget ab ea realiter differre, & per conſequens poſſe inde ſeparari. 3. Si in ſpatio, quod vacuum appellatur, conſideretur per abſtractionem extenſio, tum conſideraretur ea in genere quidem, ſed non tamen oppoſite ad corpus. At ſi dicatur, eam revera exiſtere, etiam ſubjectum ejus corpus reverâ exiſtere oportet confiteri. Apparet ergo ſufficienter probatam eſſe à Carteſio propoſitionem primam, neque quid ſolidi objectum.

PROPOSITIO II.

CCXCV. *Vacuum dari non poteſt*, art. 16. Quia contradictionem implicat. Quodcunque enim fingas, aut voces vacuum, cum ei ſemper extenſionem videas eſſe tribuendam, reipſa tale non concipis, nec concipere potes, adeoque nec tale eſſe judicare debes, quia judicium perceptio-

in

Digitized by Google

ni conforme eſſe debet. Quia autem extenſionem ei attribuis, eo ipſo totam corporis naturam ei aſſignas (per propoſ. 1.) & ſic quod vacuum vocas, re ipſa corpus eſſe oſtendis.

SCHOLIUM,

CCXCVI. Exc. 1. (B. p. 219.) *Mathematicorum ſtylus eſt ipſis propoſitionibus, non earum demonſtrationibus propoſitiones ſequentes ſuperadificare, quod hic à me ſit factum.*

Reſp. Niſi brevitati ſtuduiſſem, & non digitum intendiſſem ad Carteſium, iſtamque materiam tanquam non actam tractaſſem, tum debuiſſem propoſitionem hanc præmittere: *corporis naturam in extenſione conſiſtere,* & ſic hinc & inde plures formare Propoſitiones, ſed quia brevitati ſtudui, illam Propoſitionem in demonſtratione primæ conſideravi, & ſic ad illam demonſtrationem hîc potui provocare.

CCXCVII. Exc. 2. (B. p. 220, 221.) *Spatium vocamus, quod corpus comprehendere poteſt, & locum nominamus, cùm corpus continet. Locus enim eſt ſpatium corpore plenum. ſpatium verò eſt reverà nihil, ſed ita ſpatioſe conſideratum, ut in eo corpus locari poſſit. Spatium autem conſideratur vel ut indeterminatum vel ut terminatum. Indeterminatum eſt, quod nullos, ne quidem in conceptu noſtro terminos habet. Terminatum, quod ſaltem in conceptu noſtro terminis eſt comprehenſum. Et ſic conſideratur in Mathematicâ per abſtractionem mentis nulla materia habita ratione.*

Reſp. Si τὸ Nihilum recte conſideres, non opus eſt, ut in eo aliud quam negationem omnis realitatis ſpectes, utque neges habere extenſionem, cogitationem & quæ alia cum iis ſunt connexa, quo ſenſu, ſi ad potentiam Dei referatur, nihil aliud poteſt dici, quàm Deum poſſe res omnes ſive extenſas ſive cogitantes ex nihilo condere, & creare, ſed tunc male tribuis iſti nihilo, *quod poſſit corpus comprehendere*, cum id non conveniat, niſi ei quod eſt extenſum. Nam neceſſario diſtaret ea pars iſtius nihili, quæ poſſet hanc corporis partem comprehendere, ab ea quæ poſſet oppoſitam, niſi velis dicere, ab eadem ejus parte omnes corporis partes ſimul poſſe comprehendi, quod eſt contradictorium. Quod autem ut extenſum debet concipi, debet concipi, ut corpus, ac proinde ut tale judicari, ut judicium cum perceptione concordet. Videre ergo potes, te non recte Spatium Loco contradiſtinguere, ſed præferendam Carteſii diſtinctionem, quæ clara eſt & ab omni confuſione libera. Vide Princ. II. art. 14. 2. Quod ſi ante mundum conditum debuerunt concipi attributa

Digitized by Google

tributa corporum, quale eſt extenſio, tum etiam ipſa corpora, & ſi debuerunt concipi, etiam debent judicari exſtitiſſe, & per conſequens, mundum fuiſſe ab æterno. 3. Mathematici conſiderant ſpatium quidem, & corpus in genere & abſtracte, ut non referatur ad hoc vel illud corpus phyſicum in ſpecie, ſed non tamen ſine ulla materiæ ratione, quia, ut dictum, Mathematici non abſtrahunt à materiâ intelligibili, etſi à materiâ ſenſibili, hoc eſt, hâc vel illâ.

CCXCVIII. Inſt. 1. (B. p. 221.) *Deus in vaſe manentibus terminis omne corpus nullo alio ſuccedente tollere poteſt.*

Reſp. At hæc eſt manifeſta contradictio: Manere in vaſe terminos à ſe invicem diſtantes, & tamen nihil eſſe intermedium. Diſtantia enim quidem eſt duorum corporum, ſed tamen fundamentum ejus non eſt in ipſis corporibus diſtantibus, ſed in tertio aliquo intermedio corpore. Si enim in ipſis corporibus, ergo habebunt diſtantiam, quocunque modo fuerint poſita, etiamſi ſe immediate contingant, quod non poteſt non eſſe abſurdum. Nihilum vero efficere diſtantiam non poteſt, cum ejus nullæ ſint affectiones, nullæ operationes.

CCXCIX. Inſt. 2. (B. p. 221.) *At hallucinamini in voce Nihil, cùm eâ tantùm negetur corpus aliquod intermedium, non verò ſpatium tale, quod intellectu abſtrahente ab omni materiâ concipitur &c.*

Reſp. Spatium abſque omni materia concipi non poteſt, cum non poſſit concipi ſine extenſione, quæ eſt materiæ ſive corporis eſſentia, uti demonſtratum. Τὸ nihil à nihilo non differt, ſed reale à nihilo differt. Spatium ergo illud ſi differat à nihilo, reale erit dicendum, & per conſequens vel aliquid extenſum erit, vel aliquid ſpirituale. At ſpirituale diſtantiam efficere non poteſt. Extenſum vero ſi ſit, eo ipſo corpus erit dicendum.

CCC. Inſt. 3. (B. p. 222.) *At Deus potuit Angelos creare ante ſubſtantia corporea univerſitatem, ergò potuerunt fuiſſe in aliquo Ubi, in quo verſarentur, quod debet conſiderari tantùm ut ſpatium vacuum, ſunt enim eſſentia finitæ, quas de loco in locum migrare teſtatur pagina ſacra.*

Reſp. Angeli ad ſuam eſſentiam præciſe conſideratam non opus habent aliquo ubi, cum ea in cogitatione conſiſtat, quæ ubi quidem conſiderat, ſed formaliter ad ipſum nullam habet relationem. Dicuntur autem in ubi eſſe, quando operantur extra ſe in corpora, in quibus Ubi conſideratur, & quoniam eorum eſſentia non poteſt ſeparari ab eorum operatione, etiam tum eorum eſſentia ad ubi habet relationem. Itaque dico, Angelos ante univerſitatem corporum creatos nullum reſpectum

ad

Digitized by Google

ad ubi habituros fuiſſe, cum nullum tale fuiſſe ſupponatur. Nihili enim nullæ ſunt qualitates, nullæ affectiones. Finitudo vero Angelorum non infert, ut neceſſario ad extra in corpora operentur, ſed tantum, ſi ad extra operentur, & ſic relationē ad ubi recipiant, quod eorum operatio non ad omne ubi, ut Dei, ſed ad certum aliquod & determinatum ſeſe extendat.

CCCI. Exc. 3. (B.p.223.) *Ex hâc ſententiâ inferri mundi æternitatem, quia ante mundum conditum poſſum fingere ſpatium replebile, ſicut ante mundi principium poſſum concipere tempus poſſibile.*

Reſp. Illud vero ex veſtrâ ſententiâ ſequi ſuperius art. 297. oſtendi. Nos enim negamus, ante mundum conditum, præter Deum aliud debere concipi quàm nihil, non Ens, negationem omnis realitatis, omniſque extenſionis &c. adeoque non ſpatium replebile. 2. Ut vero tempus ante mundum quidem potes concipere poſſibile, non quod eſſet, ſed quod fieri poſſet, ita etiam tantum ſpatium poſſibile ut corpus poſſibile concipere licet, quod non negamus, ſed dicimus, illud ſine extenſione concipi non poſſe, adeoque à corpore non differre realiter.

CCCII. Exc. 3. (B.p.224.) *Noſtram doctrinam contra ſpatia imaginaria magnam ſibi ingenerare ſuſpicionem, quod clam negetur mundi creatio ex nihilo, & foveatur opinio de æternitate mundi. Idque eò magis, quòd illud axioma, ex nihilo nihil fit, ut veritas quadam æterna à Carteſio conſideretur* Princ. I. art. 49.

Reſp. Si ſuſpicionibus & conſequentiis agere licet, multo magis adſcribenda adverſariis opinio de mundi æternitate, quàm nobis, quoniam ex ipſorum principiis ſequi oſtendimus, à noſtrâ vero ſententiâ removimus. Tantum abeſt, ut exiſtimem mundum eſſe ab æterno, ut & contra ſcholaſticos negem, æternitatem mundi poſſibilem eſſe. 2. Axioma illud, ex nihilo nihil fit, intelligendum ſecundum ſubjectam materiam in Phyſica, in qua agitur de viribus naturæ, de qua ſemper verum eſt, eam ex nihilo nihil poſſe producere. Ad reliqua, quæ de infinitate mundi hîc diſputat, ſuperius jam reſponſum.

PROPOSITIO III.

CCCIII. *Rarefactio non fit, niſi quando corpora quædam poros alterius corporis ingrediuntur, eaque diducunt: Condenſatio contrà, quando corpora ex poris alicujus corporis recedunt, ut intervalla iſta imminuantur vel plane tollantur.* art. 6. Non poteſt enim cognoſci, quomodo nova extenſio accedat ſine novæ ſubſtantiæ corporeæ additamento; ubicunque enim extenſio-

nem ponis, ibi corpus te ponere neceſſe eſt, & vice verſâ (ex propoſ. 1.)

SCHOLIUM.

CCCIV. Exc. (B. p. 135.) *Hanc propoſitionem inutiliter hîc inſeri, cùm in ſequentibus non habeat uſum, præterquam in propoſitione ultimâ, & in controverſiâ alienâ, videl. cur Luna non magis acceſſerit ad terram.*

Reſp. Si vel in unâ propoſitione habeat uſum eſt neceſſaria: nec illa controverſia aliena. Nam oſtenditur ibi, quòd Luna materiam cœleſtem inter ſe & terram interjectam in modum vorticis contorqueat, & ſic iſtâ materiâ interveniente terram circa ſuum axem circumvolvat; ad id oſtendendum requirebatur, ne Luna propiùs ad terram accederet, quod oſtenditur factum eſſe ex globulorum reſiſtentiâ, quæ nititur propoſit. hâc tertiâ, uti in demonſtratione propoſitionis ultimæ videre eſt.

PROPOSITIO IV.

CCCV. *Omne corpus, quantumvis parvum, in infinitum poteſt dividi.* art. 20. Quia nulla pars corporis poteſt eſſe tam parva, quin habeat extenſionem: ſecus enim corporea eſſe deſineret, & vel in nihilum abiret, vel in rei ſpiritualis ſive immaterialis naturam mutaretur, quod eſt impoſſibile. Omne autem extenſum, cum hoc ipſo habeat longitudinem, latitudinem & profunditatem, iterum minui poteſt.

SCHOLIUM.

CCCVI. *Hanc propoſitionem dicit* (B. p. 236.) *ſe concedere poſſe, cum hâc cautelâ, nullam dari realem diviſionem in infinitum.*

Reſp. Hoc libenter admitto, imò conſequens hujus noſtræ propoſitionis exiſtimo. At quòd hinc putat, ſe probare poſſe infinitatem mundi implicare contradictionem, id non videmus conſequi.

Inquit: *Omne corpus habet partem extra partem, ergò varias & diverſas partes; partium autem illarum, qualeſcunque vel quantæcunque conſiderentur, numerus eſt par vel impar, & ſic unitate poteſt augeri, ac proinde, quemadmodum numerus in infinitum auctus dari non poteſt, ſic nec extenſio corporis, quod ex partibus eſt compoſitum, in infinitum aucta: ac proinde terminos & fines habet extenſionis ſuæ.*

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Simile hoc eſt argumentum ei, ad quod ſupra reſponſum eſt cap. XIII. Nam numerus partium mundi, quæ actu à reliquis ſeparatæ intelliguntur, ſemper eſt finitus, adeoque par vel impar; quod ſi verò mundus eſſet infinitus, dico, nunquam tantum numerum partium auferr poſſe, quin ſemper in infinitum reſtet aliquid ſumendum, adeoque numerus partium mundi, quæ in eo continentur, infinitus erit dicendus. Sed hæc ex hypotheſi infinitatis mundi reſpondeo, de quâ nihil certi poſſe determinari ſtatuo.

PROPOSITIO V.

CCCVII. *Quocunque corpore moto ſemper integer ambitus corporum ſimul movetur art.* 33. Cùm enim vacuum non detur (per prop. 2.) non poteſt ullum corpus moveri, niſi aliud corpus ante ſe protrudat, nec hoc, niſi iterum aliud, & ſic conſequenter. Non datur autem locus, quò recedat corpus ultimum, niſi quem derelinquere conatur primum, quo facto, penultimum in locum ultimi ſuccedit, & ſic porrò. Itaque quocunque moto corpore ſemper integer ambitus ſive circulus corporum ſimul movetur.

SCHOLIUM.

CCCVIII. Exc. 1. (B. p. 239.) *Se quomodo ea propoſitio in omni motu corporum omnium locum habeat vel non capere, vel ut falſum concipere. Ponamus enim ſagittam vel glandem ex ſclopeto celerrimè per liquidum aërem emiſſam, quomodo corpora illa vel aëris protenſi particulæ moveantur in circulum oſtendendum eſſet. Ponamus etiam navem, & quidem ſatis magnam in circumferentiâ lacûs aggere concluſi celerrimè motam, protrudit quidem partes proximas à lateribus recedentes, ſed non aquas totius circumferentiæ.*

Reſp. Sive capiat antagoniſta ſive non, nihil ad veritatem refert. Interim ea difficultas quam objicit, nulla eſt. Nam ſagitta non poſſet procedere, niſi tanta pars aëris recedat, quanta eſt ſagitta, nec illa pars aëris recedere poteſt, niſi ſibi cedat alia, & ſic porrò, atque ita aëris partes proximæ ſagittæ iterum ſe conferant in locum ſagittæ, ubi ſpatium inveniunt, cùm aliud reperiant nuſquam. Sic navis celerrimè mota non neceſſariò protrudit aquas totius circumferentiæ lacûs, ſi ille ſit ſatis magnus, ſed intra illam circumferentiam alium ambitum efficere poteſt, ita

Digitized by Google

ita nempe,ut ſemper novus ac novus ambitus, prout ulteriùs navis promovetur, efficiatur.

CCCIX. Exc. 2, *Ad fugam vacui ſufficit corpora ſibi mutuò cedere & ſuccedere, quamvis id non fiat in circulo.*

Reſp. Nec nos, nec Carteſius de circulo propriè dicto vel perfecto loquitur, ſed per ambitum intelligit circulum quantumlibet irregularem, modò primum corpus ſuccedat in locum ſecundi, ſecundum in locum tertii, tertium in locum quarti, & ſic porrò, ut ultimum locum primi viciſſim occupet: quo ſenſu dicitur circulatio ſanguinis, item circulatores, qui poſt varia loca peragrata tandem ad primum redeunt. Circulus ergò dicitur, quia ſemper ſolet fieri aliqua curvatura, etiamſi quædam in illo circulo ſecundùm lineam rectam moveantur. Ergo eo ipſo ſi ad fugam vacui corpora ſibi mutuò cedant ac ſuccedant in omni motu, erit in omni motu *circulus* ſive corpotum ambitus, quod erat probandum.

PROPOSITIO VI.

CCCX. *In hoc motu circulari omnes locorum inæqualitates inæquali motuum celeritate debent compenſari* art. 33. Quandoquidem enim vacuum dari non poteſt (per prop. 2.) ideo neceſſario minora corpora citius tranſeunt, ubi majora ſimul non poſſunt, vel etiam unum aut duo majora corpora reliqua motu prævenire debent. Et quia ſe invicem premunt, alterutri major vis ad motum celerem communicatur, ei nempe, quod ad motum aptiſſimè eſt diſpoſitum.

SCHOLIUM.

CCCXI. Exc. (B. p. 240.) *Hæc propoſitio ſi intelligatur de corporibus fluidis, in lateribus circumferentiæ concluſis, ut in aquis, quæ in circumferentiâ lacûs concluduntur; tota facilè conceditur.*

Reſp. Hæc propoſitio eſt intelligenda de omnibus corporibus fluidis, quandocunque nempe contingit, ut à latere ea comprimantur ab aliis corporibus cedere neſciis, tum enim propter rationem allatam corpora per anguſtius ſpatium celerius moveri debent, ut ita per celerem motum latitudo ſpatii compenſetur.

PROPO-

Digitized by Google

PROPOSITIO VII.

CCCXII. *Deus primaria eſt motûs cauſa, eandemque ſemper motûs quantitatem, quam ſemel creavit, conſervat.* art. 36. Prius facilè concedet, qui attendet ad Dei perfectionem, à quâ oritur, ut omnia ab ipſo independente dependeant. Nec poſterius etiam facilè quis negabit, qui ad Dei conſtantiam animum ſuum adjecerit, quam eum in operando ſemper exprimere cogitandum, donec mutatio aliqua ex effectibus evidenter cognoſcatur.

SCHOLIUM.

CCCXIII. Exc. 1. (B. p. 241.) *Hanc non eſſe Methodum Mathematicam, quia hac propoſitio non demonſtretur ex antecedente aliqua propoſitione.*

Reſp. At ſufficit, ſi ex communi notione demonſtretur, quod à me eſt factum, quamvis brevitatis cauſâ illa communis notio propoſitioni non fuerit præmiſſa. Communis eſt notio: *Ab Ente perfectiſſimo omnia dependere.* Si enim id negetur, ſimul negabitur illud Ens perfectiſſimum exiſtere. Inde ergo etiam motum dependere evincitur.

CCCXIV. Exc. 2. (B. p. 243.) quâ impugnatur art. Cart. 36. Princ. II. ad quem provocavimus. *Concedimus Deum omnis motus, qui in rerum natura reperitur, eſſe cauſam primam. At duo ſunt in Philoſophia Carteſiana principia, quibus aſſentiri non poſſumus. Primum eſt, ad rerum omnium conſtitutionem nihil requiri præter materiam, figuram & motum, ita ut creatio, quam Theologi vocare ſolent ſecundam, non in alia re conſiſtat, quàm quòd motum ſpecialem dederit variis partibus materiæ &c.*

Reſp. Illud quod de creatione ſecundâ adducit, eſt planè impertinens: neque enim in noſtrâ propoſitione, prout nec à Carteſio, aliud quid intenditur, quàm motum dependere à Deo tanquam à cauſâ, & eandem ejus quantitatem in mundo ſemper remanere, quorum ſi alterum concedat, habemus quod intendimus. Quod autem omnes materiæ proprietates, quæ clarè & diſtinctè poſſunt concipi, reducantur ad id, quod ſit mobilis & partibilis, id ex Carteſii Principiis patet, quoniam per hæc omnia in corporibus demonſtrata ſunt & demonſtrari poſſunt. Quod ſi antagoniſta & alii plura requiri putent, formas nempe neſcio quas ſubſtantiales, qualitates reales, ea ab ipſis probari oportebat. Ad Dei vero

opera

Digitized by Google

opera extollenda non opus eſt, ut aliquid iis affingamus, quod non reperitur, ſed ea ſatis evadunt magnifica, ſi 1. conſideremus, eſſe ampliſſima, & nobis imperſcrutabilia. 2. Si non præſumamus nos ea perfectè exhaurire, ita ut non aliam putemus in iis poſſe adhuc latere proprietatem, quam non cognoſcimus. 3. Si ejus immediatam operationem in iis agnoſcamus. 4. Si omnibus momentis ab ipſo dependere & conſervari ſtatuamus, &c. qualia in Carteſianâ Philoſophiâ reperiuntur. *Creatio* vero *ſecunda* ſatis diſtinguitur à Mechanici actione. 1. quod ſit productio rei ex materiâ nullam habente naturalem ad id, quod inde fit, diſpoſitionem. 2. quod Deus ſit auctor legum naturæ, & ſecundum eas omnia ipſe dirigat. 3. quod ea quæ produxit, comparatè ad opera Mechanica, infinitè ſint artificioſa, ut ea non poſſit ullus Mechanicus imitari. 4. quod creaverit motum, porroque creet ſive conſervet, cum Mechanicus non niſi motum poſſit determinare, nullum vero novum producere. 5. quod ad omnia opera Dei ſimul ſeſe extendat & reſpectu omnium quæ ſunt in iis, cum Mechanici uno tempore non niſi unum opus illudque imperfectum poſſint efficere. Probetur vero, ad creationem ſecundam opus eſſe, ut Deus novas formas ſubſtantiales, quæ realiter diſtinguantur à materiâ, producat. Eſt ergo creatio ſecunda omnipotens Dei actio, ad omnia opera Dei ſeſe extendens, quâ motûs certam quantitatem in mundo produxit, & ſecundùm leges naturæ à ſe poſitas eum direxit, atque ſic ex materiâ inhabili & informi ſex diebus opera ea, quæ in Geneſi deſcribuntur, per immediatam ſuam operationem & in materiam influxum perfecit.

CCCXV. At dices: *Creatio eſt ſubſtantiarum. At motus non eſt ſubſtantia. Ergò non poteſt creari. Item, Secunda creatio eſt creatio. Ergò per eam productæ ſunt ſubſtantiæ, & per conſequens formæ ſubſtantiales.*

Reſp. Ad primum. Creatio propriè dicta eſt ſubſtantiarum, ſed impropriè dicta, qualis eſt creatio motus, poteſt etiam eſſe modorum, quam ſi malis concreationem vocare, me non habebis repugnantem. Ad ſecundum. Et ſecundùm nos creationis ſecundæ terminus eſt ſubſtantia, non aliqua ex nihilo producta materia, (quod nec dicent adverſarii, cùm illa materia ſit primæ creationis effectum:) ſed illa ipſa materia variata hoc modo & diſpoſita, ut aliquod ſingulare corpus inde oriretur, quod vel Sol, vel ſtella, vel planta &c. poſſet vocari, idque propter vim omnipotentem & immediatam, quæ ſeſe hîc exſeruit, ut aliquid produceret, quod à nullâ creaturâ produci potuiſſet.

Reli-

Digitized by Google

Reliqua, quæ hîc adverſarius debacchatur in Carteſium de arrogantiâ & ſuperbiâ, ne par pari referre cogamur, intacta relinquimus.

CCCXVI. Pergit (B. p. 244.) *Secundum Carteſii principium eſt, quod ex Deo merum faciat tornionem, & in rebus creatis nullum agendi principium internum relinquatur, & ſic ſecundum ipſius theoriam non agunt creaturæ, ſed Deus in creaturis, & ad earum præſentiam; ſic urit in igne &c.*

Reſp. 1. Quomodo à Mechanici cujuſvis actione Dei diſtinguatur actio jam oſtendimus. 2. Neque ſequitur, Deum urere in igne, &c. quamvis Deus ſit cauſa iſtius actionis propter ſuum Concurſum, quem omnes Philoſophi agnoſcunt, quia actio denominatur ab eo corpore, à cujus diſpoſitione determinatur, ſic uſtio ab igne, latratus à cane &c. 3. Internum agendi principium rebus corporeis inditum, diverſum à magnitudine, figurâ, motu & quiete, eſſet probandum: nos hoc privilegium ſolis creaturis rationalibus dicimus reſervatum.

CCCXVII. Exc. contra ſecundam Propoſitionis partem. (B p. 245.) *In motu luminarium cœleſtium Deus eundem motum continuo conſervat, ſed in aliis rebus non agnoſcimus motum illum, quo materia ad rerum conſtitutionem modificetur, ut & negamus, Deum eandem motûs quantitatem in univerſo conſervare.*

Reſp. In iſtâ Propoſitione oſtenditur generaliter, quod Deus eandem motûs quantitatem tam in cœleſtibus quam ſubcœleſtibus conſervet, non quidem, ut iſte motus certis quibuſdam corporibus ſit alligatus, ſed quòd, licet ab his procedat ad illa, non tamen augeatur, nec minuatur ejus quantitas; argumentum noſtrum ſumentes ab immutabilitate Dei, quod an adverſarius enervet, videamus.

CCCXVIII. Inquit (p. 245.) *Immutabilitas Dei non violatur mutatione operum ſuorum. Non eſt in ſe mutabilis factus, cum mundum ex nihilo creavit.*

Reſp. Per ſe manifeſta eſt hujus Propoſitionis ſecunda pars, ut nempe ſtatuamus, *Nullam in univerſo variationem eſſe quantitatis motus, quamdiu nec ratio nec revelatio aliquam mutationem docet.* Similiter ac tamdiu ſtatuitur ſenſus alicujus orationis proprius, quamdiu nulla neceſſitas ab eo recedere cogit. Potuiſſet itaque etiam iſta Propoſitio ſine probatione tanquam notio communis admitti. Carteſius tamen fundamentum iſtius veritatis in immutabilitate Dei conſiſtere ex ſuperabundanti demonſtrat, hoc modo: Qui eſt conſtans & immutabilis, illius operibus nulla debet tribui mutatio, niſi quam evidens experientia vel divina revelatio certam reddit. At motûs quantitatem variari, ita ut Deus partem nunc interire

 ſinat,

Digitized by Google

ſinat, nunc novam viciſſim creet, nec divina revelatio, nec evidens experientia certum reddit. E. id non eſt ſtatuendum. Major probatur exinde, quòd quanta maxima poteſt conformitas operantis & operationis eſt agnoſcenda: item, quia ubi variatio, ibi quædam imperfectio: at qui eſt immutabilis etiam perfectus eſt, qui autem perfectus eſt, is talia opera condit, ut ſint durabilia. Variatio autem, quam evidens docet experientia, non pugnat cum Dei immutabilitate & conſtantiâ, quia non pugnat cum legibus naturæ, ſed ex ipſis oritur, iiſque eſt conformis. Variatio, quam revelatio teſtatur, eo ipſo creditur non obeſſe divinæ immutabilitati, etſi id percipere non queamus. Et ſanè ſimili modo Theologi ex immutabilitate Dei, immutabilitatem fidei, juſtificationis & ſanctificationis ſolent colligere, quod argumentum, ſi noſtrum non procedat, ſimiliter claudicare erit dicendum.

PROPOSITIO VIII.

CCCXIX. *Unaquaque res, quantum in ipſâ eſt, ſemper manet in eodem ſtatu, ſicque quod ſemel movetur, ſemper moveri pergit* art. 37. Hæc Propoſitio videtur naturâ nota eſſe, neque demonſtratione indigere, ſed tantùm hâc cautione, *niſi ab alio ex illo ſtatu deturbetur, vel in motu impediatur*. Quare enim moveri ceſſaret, ſi nulla ſit cauſa, quæ motum impediat?

SCHOLIUM.

CCCXX. Hanc exagitat (B. p. 246.) *& cum Methodo Mathematica non convenire* inquir. Cui reſponſionis loco inſervire poteſt, quod ab initio ad præcedentem Propoſitionem annotavimus.

Pergit, *videtur ea Propoſitio ferè in omnibus ſublunaribus falſa eſſe.*

Reſp. Naturâ nota eſſe videtur omnibus iis, qui præjudicia ſenſuum & infantiæ depoſuerunt, falſa verò eſſe videtur hominibus, qui, poſtquam ab ineunte ætate judicarunt eos motus, qui à cauſis, quæ noſtros ſenſus latent, ſiſtebantur, ſua ſponte deſinere, nitentes hac fallaci regulâ: *Quas cauſas ſenſibus non percipio, ea non ſunt*, quique poſtea illud de omnibus exiſtimant, quod videntur in multis eſſe experti.

CCCXXI. Ad meam rationem, *quare moveri ceſſaret* &c. reſpondet, hoc fieri, *quod vis à motore corpori moto impreſſa ſenſim evaneſcit, cum & hic locum habeat illud vulgare, nullum violentum eſt diuturnum.*

Reſp. Meæ rationis vis hæc eſt, Quod non habet cauſam, ob quam moveri

Digitized by Google

moveri ceſſet, illud pergit moveri; at quælibet res mota in ſe nullam habet cauſam, ut in motu impediatur, nec ſupponitur alia impediens. E. quæ erat refutanda. 2. Objectio ejus nullius eſt momenti; nam vis illa à primo motore impreſſa, ut ſenſim dicatur evaneſcere, abſurdum eſt. Nec enim illa vis aliud eſt quam ipſe motus, qui, prout paulo poſt eſt futurus, vis vel potentia poteſt appellari. 3. Et quid moveret Deum eam creare motûs quantitatem, cui aliquid demendum ſibi ſciret in poſterum? Si enim poſtea evaneſceret motus, quem Deus corpori impreſſit, demeret Deus de quantitate motûs, atque ſic ceſſaret ab opere, quod ſapientiſſime conſtituerat is, qui eſt immutabilis. 4. Violenti vox dupliciter poteſt accipi, vel pro eo quod pugnat cum aliquâ alicujus rei naturâ, vel pro eo quod pendet à cauſâ externâ. Nullum violentum eſt diuturnum, priori ſenſu verum eſt, poſteriori falſum: at poſteriori modo, non priori motus poteſt dici violentus.

CCCXXII. Pergit adverſarius, (p. 247.) *& exempla affert trochi, & eorum, quæ in longum projiciuntur, quibus putat ſe confirmare* poſſe ſuam contra hanc propoſitionem oppoſitionem, ad quæ quoniam ſufficiens reſponſio haberi poteſt ex iis, quæ à Carteſio art. 37. & 38. dicuntur, lectorem eò remitto, quamvis etiam initio hujus ſcholii iſta Objectio à nobis ſit præoccupata.

CCCXXIII. Quærit tandem, *quare non uſus fuerim ratione Carteſii, putatque eam a me non habitam fuiſſe pro firma & ſufficienti.*

Reſp. Hæc Propoſitio ſufficienter per ſe erat clara, quia communi axiomate nitebatur, *Nihil fieri ſine cauſa*, itaque alteram rationem non adhibui. 2. Sed ut videat, me non rejicere, eam nunc ſubjungo, hoc modo. Cui Deus conſervat perfectionem ſemel datam, illud nunquam ſponte & per ſe eam abjicit, ſed ſi abjiciat, hoc alii imputandum eſt. At Deus & rei motæ, & rei quieſcenti conſervat hanc perfectionem, nempe motum illi, huic quietem. E. Min. prob. Qui eſt conſtans & immutabilis, illum, quod ſemel dedit, conſervare, ſtatuendum eſt, niſi evidens ratio de mutatione certum quem reddat, quæ eſt, quando aliud corpus externam rem de ſuo ſtatu deturbat. Illudque eodem modo clarum poteſt reddi, quo probatio præcedentis Propoſitionis.

CCCXXIV. Hic porrò arrodit adverſarius terminum *immobilitatis* à Carteſio uſurpatum, quem *inſolentem & hactenus Theologiæ inauditum* inquit; ſed ſciat, eum potuiſſe in genere uſurpari, prout ab adverſariis motus uſurpatur pro omni mutatione: ut ſic ſimiliter Immobilitas idem eſſet, quod Immutabilitas. Atque ea vox uſurpatur à Pareo Theologo in

Digitized by Google

commentario Epiſtolæ ad Romanos cap. 1. ad verſum 19. prope finem, qui inquit: *Oſtendit ea* (puta cognitio Dei naturalis) *hominibus utcunque, quod ſit Deus, quod ſit æterna & immobilis ſubſtantia &c.* I nunc & dic, hunc terminum Theologis inauditum. Argumentum verò Carteſii quale ſit hic eſt declaratum, ut fruſtra illud arrodat, transformet, & debile reddat adverſarius, quantum poteſt.

PROPOSITIO IX.

CCCXXV. *Omnis motus ex ſe ipſo eſt rectus; & ideo, quæ circulariter moventur, tendunt ſemper, ut recedant a centro ſui circuli, quem deſcribunt, idque obtinent, niſi ab aliis corporibus impediantur*, art. 39. Cùm enim Deus motûs ſit primaria cauſa (per prop 7.) ex Simplicitate Dei colligere licet, talem inditurum fuiſſe, qui maximè ſit ſimplex, qualis ſolus eſt rectus. Ipſa experientia etiam hanc Propoſitionem confirmat. Ita enim lapis in funda circumrotatus in quavis parte circuli, etiam ſuperiori, (ne dicas id à gravitate pendere) tendit ſemper, ut à manu ſecundùm lineam rectam recedat.

SCHOLIUM.

CCCXXVI. Exc. (B. p. 250.) *negando, quod ea propoſitio in omnibus ſubjectis locum habeat, quia, inquit, corpora cæleſtia nullam ex ſe ipſis haberent inclinationem ad receſſum a centro.*

Reſp. Cùm de omni motu loquatur Propoſitio ejuſque demonſtratio, ex vi univerſalitatis etiam motui cœleſtium corporum talis competit proprietas. Cur autem Planetæ non ulteriùs recedant demonſtratum à Carteſio, in ſpecie verò de Luna à me quoque Prop. 28. Idem Carteſius rationem reddit, quare ſtellæ fixæ centra ſua non deſerant, quæ ratio non obſtat, quò minùs ſua natura habeant inclinationem ad motum rectum. Propoſitionem iſtam primo demonſtravi ex Simplicitate Dei, dein auctarii loco etiam per ipſam experientiam, valdeque errat B. p. 25. quòd primum argumentum in duo diſpertit, ut vim ejus enervet. Eſt verò meum argumentum, ſi omnino ad ſyllogiſmum reduci velit tale. Qui eſt ſimplex, ejus operibus nulla tribui debet irregularitas & difformitas, niſi quam evidens experientia, & divina revelatio certam reddit: Atqui motùs eſt opus Dei Simplicis: E. ut à Deo inditur, non poteſt eſſe niſi maximè regularis & ſimplex, qualis eſt rectus. Ut autem varietur, id habet non quatenus à Deo inditur, ſed quatenus communicatur cùm aliis corporibus.

Digitized by Google

poribus, Maj. probatur ſimili ratione, quâ argumentum circa priorem Propoſ. probatum. Atque hæc Major non eſt inepta, ut clamat B. p. 251. modo legitimè proponatur, non ut fit ab adverſario.

CCCXXVII. Pergit B. p. 252. *Equidem ſimiliter ex aliis attrib. licet argumentari. Deus eſt æternus, immenſus, omnipotens, ergo tales etiam ſunt ejus creaturæ.*

Reſp. Nullum dubium, quin ex attributis Dei quibuſcunque ſimili modo liceat inferre, Deum in operibus ſuis ſimilitudinem ſuorum attributorum, quantum fieri poteſt, expreſſiſſe, & quantum creaturæ iſtius ſunt capaces, quamdiu vel evidens experientia, vel divina revelatio contrarium non ſuadeat. Quanta enim poteſt maxima conformitas operantis & operationis eſt agnoſcenda.

Reliqua quæ contra Cart. art. 39. à nobis citatum objicit p. 253. inde oriuntur, quòd argumentum non perceperit, quare ad ea non opus eſt aliâ reſponſione, quàm, quæ ſuprà eſt facta, argumenti nempe legitimâ propoſitione.

CCCXXVIII. Tandem Carteſii verba art. 39. arrodit. *Neque enim illum* (ſcil. motum Deus) *conſervat, niſi præciſe qualis eſt eo ipſo temporis momento, quo conſervat, nulla habita ratione ejus, qui forte fuit paulo ante.* Quorum hic eſt ſenſus. Probat ex ſimplicitate Dei ſimplicitatem operationis Dei in indendo & conſervando motu tali, quò materia tendat moveri ſecundùm lineas rectas, & nequis dicat, fieri nihilominus, ut multiplici modo corpora cogantur deflectere ob occurſum aliorum, reſpondet, Dei conſervationem, ex quâ oritur ſimplicitas motûs, præciſe reſpicere motum in ſe & ſuâ naturâ conſideratum, adeoque ex illâ habiturum, ut ex ſe tendat ſecundum lineas rectas, etſi fortè antè propter occurſum aliorum corporum hoc non potuerit obtinere. Hæc interpretatio ſi attendatur, apparebit aëra cædere B. p. 254. ſuâ objectione contra verba iſta, quod manifeſtum evadet ſi lector benevolus conferre dignetur. Vim corporibus inditam, qua ſe ipſa moveant negamus, ſolarum creaturarum rationalium hoc ſtatuentes eſſe privilegium, ut internum habeant propriumque agendi principium.

PROPOSITIO X.

CCCXXIX. *Corpus alteri fortiori occurrendo, quod propellere non poteſt, nihil amittit de ſuo motu, ſed tantum determinationem aliam accepit: occurrendo vero minus forti, tantum amittit, quantum in illud transfert art. 40.*

Nulla enim ratio eſt, cur amitteret, quia alteri non communicat, ſed manet in iſto ſuo ſtatu motûs (per prop. 8.) Tantum etiam amittere, quantum transfert, exinde cognoſcitur, quia non poteſt retinere illud, quod alteri communicavit.

SCHOLIUM.

CCCXXX. Exc. B. *Hæc propoſitio repugnat experientiæ: detur enim globus exploſus è tormento inhærens vallo vel parieti, quæ propellere nequit, reverà motum ſuum amittit, ut & ſagitta, &c. ſimiliter ut rota quæ vehementer mota ligno vel alio inſtrumento puncto temporis ſiſtitur.*

Reſp. Hic verò iterum laborat iſto præjudicio adverſarius, quo circa prop. 8. eum laboraſſe oſtendimus, nimirum, quia ſenſibus non percipit, quibus corporibus motus globi tormentarii, ſagittæ & rotæ communicetur; itaque communicari negat. Sciat ergò, globum tormento exploſum & ſagittam primò quidem, dum moventur per aërem, tantundem motûs, quantum ipſa amiſerunt, aëri communicaſſe, & infixa vallo vel parieti non quidem propuliſſe tota, ſed tantum partes v. g. muri & valli propuliſſe eas, quæ locum fecerant globo & ſagittæ, illas verò partes aëri circumſtanti, quod acceperant motus, reddidiſſe; ut hoc experimento prob. noſtra non refutetur, quæ firma demonſtratione eſt fulta, hactenus fruſtra ab adverſario impetitâ. Similiter rota mota ſiſtitur à ligno, ſed ita, ut partem ſui motus ligno, partem manui & partem aëri circumſtanti communicet.

PROPOSITIO XI.

CCCXXXI. *Omne fluidum corpus eſt diviſum in multas particulas exiguas, motibus à ſe mutuo diverſis agitatas*, art. 54. Hoc enim vocamus corpus fluidum, quod facilè cedit alteri corpori moto. At cùm motus motui non ſit contrarius, quies verò ſit, facilè percipitur, id corpus, quod jam in motu eſt, faciliùs cedere alteri corpori, quàm illud, quod quieſcit. Ergò quanto minùs quieſcit, tanto faciliùs cedit, quod fieri manifeſtum eſt, ſi conſtet particulis exiguis, motibus à ſe mutuo diverſis agitatis.

SCHOLIUM.

CCCXXXII. Exc. (B. p. 256.) *Hæc mea & Carteſii definitio fluidorum*

dorum ſi ſit vera, ſe non videre quomodo cineres & farina & arena non etiam inter fluida poßint referri.

Reſp. Omnia mundi corpora in univerſum in has duas ſpecies poſſunt diſpeſci, ut eorum alia ſint dura, alia fluida; atque ea à poſteriori ſic definiuntur à Carteſio. *Fluida*, quod eorum partes facile recedant ex ſuis locis, atque ideo manibus noſtris verſus illa motis non reſiſtant. *Dura*, quod eorum partes ita ſibi mutuò cohæreant, ut non ſine vi, quæ ſufficiat ad iſtam illorum cohærentiam ſuperandam, ſejungi poſſint. A priori verò, quod *Fluida* ſint corpora diviſa in multas exiguas particulas motibus à ſe mutuo diverſis agitatas. *Dura* verò, quorum omnes particulæ juxta ſe mutuo quieſcunt. Hæc ſunt duo extrema & immediatè oppoſita: at inter ea multa ſunt intermedia corpora, nec perfectè dura, alia magis ad fluida accedentia, aliaque etiam intermediam naturam obtinentia: unde apparet, quid de farinâ, arenâ, cinere & ſimilibus ſit ſtatuendum, nimirum, nulla ex his eſſe perfectè fluida vel dura, ſed reſpectu interjacentis materiæ mobilis & ſubtilis, quæ particulas farinæ & cineris circumdat, dici *fluida*, ſi tanta ejus ſit copia, ut illas particulas ſecum movere poſſit, ſin minus, ſingulas quidem particulas farinæ, ſingulas arenulas dici *dura*, ſed reſpectu circumſtantis materiæ totam maſſam farinæ &c. mixtum quid ex duro & fluido poſſe appellari. 2. Confundit antagoniſta communi errore in Philoſophia fluidum cum humido, quæ tamen valdè ſunt diverſa, cum etiam ſicca poſſint eſſe fluida, ut ignis, materia Solis & ſtellarum.

CCCXXXIII. Excipit præterea B. p. 257. contra Propoſ. demonſtrationem. *Motûs ſpecies revera ſibi contrariari, quales ſint antrorſum & retrorſum, dextrorſum & ſiniſtrorſum, ſurſum & deorſum &c.*

Reſp. Quomodo motus motui non ſit contrarius, intelligere licet ex Carteſio art. 43. & 44. Is art. 43. oſtendit, quod vis cujuſque corporis ad agendum in aliud, vel ad alterius actioni reſiſtendum, in hoc uno conſiſtat, quod unaquæque res tendat, quantum in ſe eſt, ad permanendum in eodem ſtatu, in quo eſt. Unde colligere licet, motum per ſe, ut talem, non eſſe alteri contrarium. Contraria ergò corpora eſſe ſibi invicem, quando unum alterum de illo ſtatu, in quo eſt, expellere conatur. Quod non fit per duorum corporum motum, quatenus is in ſe ſpectatur; ſed contrarietas eſt inter motum & quietem, item inter motum celerem & tardum, non reſpectu motûs, ſed reſpectu quietis, de quâ motus tardus participat. Dein, contrarietas eſt inter determinationem motûs verſus unam partem, & occurſum corporis ad illam partem quieſcentis, vel aliter

Digitized by Google

ter moti, tardiùs nempe, vel diſſentiente determinatione. Si enim talia duo corpora ſibi invicem occurrant, conatur unum alterum impedire in eo ſtatu in quo eſt, quò facit obj. adducta, quæ mihi propterea non contrariatur, ſed ex malè intellectâ meâ mente procedit.

Exemplum *de duobus globis ejuſdem magnitudinis & gravitatis eadem vi actis, ita ut unus ab oriente in occidentem, alter ab occidente in orientem moveatur, quos, ſi ſibi mutuo occurrant & in puncto oppoſitionis contingant*, putat B. p. 257. *quieturos*, alienum eſt, & cum omni ratione pugnat; nam tali poſito caſu, iſta corpora reflecterentur, & pergerent moveri retro, verſus illos terminos, unde venerant. Alienum eſt, quia non nego, quin ſit contrarietas inter duo corpora verſus invicem mota, reſpectu nempe ejusmodi determinationis. Et, ſi præterea ſupponas, ea duo corpora eſſe perfectè dura, item à reliquis omnibus ſic diviſa, ut eorum motus à nullis aliis circumjacentibus impedirentur, nec juvarentur, poſt occurſum & reflexionem pergerent ita moveri verſus illas partes, à quibus venerant, nullâ parte ſuæ celeritatis amiſſâ. Vide hæc clariſſimè demonſtrata à Carteſ. Pp. II. art. 45, 46.

CCCXXXIV. Porrò hic neſcio quod (B. p. 258.) argumentum mihi affingit: *In Syllogiſmum*, inquit, *ſi redigatur meum argumentum, talem fore ejus formam. Quod corpus faciliùs cedit corpori quieſcenti, illud jam eſt in motu, corpus fluidum faciliùs cedit corpori quieſcenti. Ergo.* cùm tale quid ex demonſtratione meâ elici non poſſit: ſi tamen forte ſit παρόραμα, ut pro *quieſcenti* voluerit ſcribere *moto*, dico ſequens argumentum ex iſtâ meâ demonſtratione debere formari. Quod facilè cedit corpori moto, illud non quieſcit, ſed eſt in motu, & quò faciliùs cedit, eo minùs de quiete participat, cujus ratio eſt, quia, ſi quieſceret, non cederet facile, propterea quod quies motui ſit contraria, non verò ipſe motus in ſe conſideratus. *Sed*, inquit, *dicimus, ad facilem ceſſionem corporum ſufficere, ſi particulæ à ſe mutuo vel ſint diſtinctæ, vel facillimè poſſint ſeparari, ut videre eſt in ligno, quod totum durum eſt; at ſi ſerra in particulas minutas diſſecetur, facile movetur, & eo facilius, quo particulæ ſunt minores, fragmentis tamen nullum motum indidit ſerra, ſed ea tantum ſecavit, & à ſe mutuo divulſit.*

Reſp. Verùm, ſi mea demonſtratio rectè percipiatur, hæc mihi nihil contrariantur. Antea viſum eſt, inter corpora perfectè dura & fluida eſſe varia intermedia corpora, quæ partim de naturâ duri, partim de naturâ fluidi, participant. Sed quò faciliùs cedunt corpori moto, eo magis fluida ſunt judicanda, quò minùs eò minùs, ita quo magis reſiſtunt, eo magis dura, quo minus, eo minus. Lignum non eſt corpus perfectè durum,

rum, ſed multos habet poros materiâ fluidâ repletos, quod etiam, quo ejus pori ſunt minores, eo majorem duritiem obtinet, ac eo difficilius ſerræ cedit, prout in ligno Braſilienſi videre eſt: ſcobis vero particulæ facilè moventur, quia ſunt à ſe invicem diviſæ, & materiâ fluidâ circumdatæ, quæ dum movetur, eas ſecum aufert, uti Carteſius obſervat de corporibus duris, quæ in fluido ſunt poſita. Ut autem moveantur deorſum verſus, à vi gravitatis habent, ſive actione materiæ cœleſtis, quæ motum iſtarum particularum verſus terram determinat, prout per eam actionem naturam gravitatis Cart. explicuit. Unde apparet, Maj. meam propoſitionem ut à me adducta, veram eſſe, nempe, *& corpus, quod eſt in motu, faciliùs cedere, quàm quieſcens, &, quo faciliùs cedit, eo minùs quieſcere.* 2. Lignum quieſcens non tam facilè cedit corpori moto, quàm quod eſt in motu, quod longè facilius impelli poteſt; ſerra vero non agit in totum lignum ſimul, ſed nunc in has, nunc alias ejus partes, quas ſeparat; interim difficilius agit in eas ante ſeparationem, quando quieſcunt, quàm poſt, quando motum tum à ſerrâ, tum à gravitate acceperunt. 3. Itaque quod facillimè cedit, & nihil planè reſiſtit corpori moto, illud æquè veloci motu movetur, quàm corpus motum; quod aliquantum reſiſtit, illud tardius movetur; quod magis, adhuc tardius; quod facillimè poteſt ſeparari, illud minus durum eſt, ejuſque partes minus quieſcunt; quod habet particulas à ſe mutuo diſtinctas eſt fluidum, cui corpus durum dum innatat facilius ejus motui obſequitur.

PROPOSITIO XII.

CCCXXXV. *Corpus durum in fluido collocatum defertur à fluido verſus eam partem, ad quam ipſum corpus fluidum tendit. art.* 61. Vel enim imponetur quieſcens, & ſic (per propoſ. 10.) facilè motum accipiet à fluido, quod totum ſimul verſus aliquam partem tendit, quo ipſo fluidum illud totum ſimul fortius erit duro quocunque: vel imponetur cum impetu tendente aliorſum, quàm fluidum, & ſic iterum, cum totum fluidum ſit fortius, determinationem accipiet verſus eam partem, ad quam fluidum fertur, (per eandem prop. 10.) vel denique imponetur, ut motus duri determinetur verſus eam partem, ad quam fluidum fertur, & ſic tanto facilius ab eo poterit deferri.

Digitized by Google

SCHOLIUM.

CCCXXXVI. B. p. 259. *Se poſſe hanc propoſitionem totam concedere, ſi excipiantur ea, quæ feruntur in contrarium, ſive motu proprio, ut aves in aëre, piſces in aquis &c. ſive motu violento, ut naves acta velis & remis.*

Reſp. Illa exceptione non erat opus; præſupponitur enim corpus durum in fluido collocatum, & eo modo collocatum relictum, quod per ſe eſt manifeſtum, & ſic in ſecundo caſu etiam poſt impetum acceptum ſibi relinquitur: at aves poſt acceptum impetum ſemper alium atque alium accipiunt, neque eo modo, quo poſt unum impetum in aëre ponuntur, relinquuntur; ſed alium atque alium accipiunt à ſpiritibus, à quibus alæ moventur. Similiter navis remis & velis impulſa non eo modo, quo collocata eſt, relinquitur, ſed ſemper novum à remis & velis impetum recipit.

CCCXXXVII. His propoſitionibus ex lib. II. Cart. Principiorum tanquam fundamentis generalibus præmiſſis, nunc ut ad noſtrum inſtitutum propius accedamus, utque naturam cœlorum & terræ, atque inde hujus duplicem delationem cognoſcamus, opus eſt, non, uti nunc ſunt in ſtatu ſuæ perfectionis abſoluto, uno quaſi obtutu ea inſpicere, ſed prout paulatim fieri potuiſſent ac debuiſſent, ex legibus naturæ à Deo poſitis, (ſi Deus paulatim oriri ea ac fieri voluiſſet, donec tandem talia evaderent, qualia eſſe experimur, dum conſummata & abſoluta ſunt,) ea contemplari. Res enim ſunt eædem in fieri, quæ in facto eſſe, eandemque habent naturam, qualem, ſi ſucceſſivè eſſent factæ, per leges naturæ fuiſſent conſecuturæ. Nam per τὸ fieri acceperunt omnia, quæ nunc habent in facto eſſe, naturam nempe, quæ cum principiis & legibus naturæ convenit: At talis eſt ea quæ ſucceſſivè iis fuiſſet tribuenda, quippe quæ à Carteſio oſtenditur cum legibus naturæ convenire. Quod ſi ergo in fieri res ſpectemus, eaſdem illas contemplabimur & perfectius, quoniam quod primo obtutu in iis cernere non poſſumus variis ordine actibus luſtrabimus, & perfectius cognoſcemus. Atque ita propter imperfectionem noſtri intellectus ſolet ac debet fieri in quibuſcunque rebus. Ita ad hominis naturam perfectius cognoſcendam, opus eſt eum conſiderare, prout paulatim in utero formatus & perfectus eſt. Sic planta ſpectanda prout paulatim è ſemine orta, & adulta, ultimumque complementum conſecuta ſit, &, ne dicas, *iſtam Methodum contemplandi quidem locum habere in iis, quæ ſucceſſivè fiunt,* quamvis ratio antehac allata generalis ſit, do etiam exempla

pla eorum, quæ indiviſibilia in ſe ſunt, nec tamen à tali conſideratione excluduntur. Sic etiamſi Deus homines quoſdam in momento regeneret, debemus tamen regenerationem ſpectare, prout & Theologi faciunt, per varias partes, ſecundum ordinem naturæ, ut primo intellectus, deinde voluntas illuminentur atque regenerentur. & variis actibus cognitionis & fidei intervenientibus tandem regeneratio plenè perficiatur. Sic reſurrectio mortuorum, quamvis momento ſit futura, ab Ezechiele 37. cap. ut ſucceſſiva deſcribitur, & ut talis à nobis poteſt conſiderari.

CCCXXXVIII. Atque ut paucis abſolvam, hanc methodum noſtram confirmat quàm maxime conſideratio decretorum divinorum inter Theologos frequentata. Norunt ii, ea non, ut inter homines contingit, ſucceſſive eſſe facta, ut unum poſt alterum prævià deliberatione, ordine quem ſapientia dictat, fuerit factum, ſed unico & ſimpliciſſimo actu, quo Deus omnia intelligit & vult; non tamen verentur ea ſpectare, ac ſi ſic ſucceſſive eſſent formata, ordinemque in iis conſtituunt talem, qui legibus ſapientiæ eſt conveniens, ſi ſucceſſive unum poſt alterum eſſet ſancitum. Quidni ergo licebit opus creationis, de quo ſaltem conſtat, quod non momento, ſed ſex diebus fuerit abſolutum, & de quo quæri poteſt, num non cujuslibet diei opus, etiam ſucceſſive fuerit peractum, ita ut totum ſpatium νυχθήμερον ei conſummando fuerit adhibitum, ſucceſſive & per partes modo dicto contemplari. Si id licet de operibus Dei internis, quæque cum Deo ipſo convertuntur, atque ipſe ſunt Deus, quidni licebit circa opera Dei externa, quæ ab ipſo Deo realiter differunt? Ac, quemadmodum in decretis divinis neceſſitatem ea diſtinguendi nobis imponit imbecillitas noſtri intellectus, quod illa unico actu intelligere nequeamus; ita ea ipſa eſt cauſa, propter quam opera Dei in creatione, etſi indiviſim ſit facta, diſtincte & per partes ſpectemus. Sicut porro in decretis divinis rationem ordinis inde petit Theologus, quod unus ille actus divinus ſimplex æquivaleat actibus creatis, quorum unus alterum conſequitur conſecutione naturali, vel, quod unicus actus divinus multiplicem volendi varietatem eminenter continet. Ita in operibus creationis rationem ordinis inde petit Philoſophus, quod una actio divina, momentanea quamvis & indiviſa, æquivaleat actibus naturæ, ſecundum leges à Deo poſitas, Dei concurſu interveniente agentis, quorum unus alterum conſequitur conſecutione naturali. Ut etiam ratio conſiderandi varios actus in decretis divinis exinde ſumitur, quia in

 operi-

Digitized by Google

operibus illis, de quibus facta ſunt decreta, eſt quædam varietas & ſucceſſio; ita, quia in operibus naturæ, quæ Deus nunc per naturam operatur, quædam eſt ſucceſſio & v. g. ſtella fixa mutatur in Planetam & Cometam, prout Carteſius demonſtravit, etiam ab initio tale quid prius debet concipi. Sicut tandem ordo in decretis divinis ſecundum leges & regulas ſapientiæ divinæ conſtituitur: ita ordo in operibus creationis ſecundum leges divinas, quas in naturâ tulit, eſt conſtituendus. Verum cui hæc plenius cognoſcere libet, &, quomodo hæc noſtra ſententia ab adverſariorum objectionibus ſufficienter ſit vindicata, percipere, adeat Exercit. Claubergii 94---100.

CCCXXXIX. Excipit B. p. 260. *Ortum rerum naturalium quæ in ſuo Eſſe à merâ creatione dependent à priori conſiderare, prout ſenſim oriri poſſint ac debeant* (addere debuiſſet, quod ego addidi, *ſi Deus ipſa paulatim oriiri voluiſſet) non tantùm impoſſibile & imperveſtigabile judicamus, ſed & id tentare ut temerariæ præſumptionis indicium habeamus.*

Reſp. Poſſibile eſſe demonſtravimus, & facto paulo poſt ipſo oſtendemus; debere autem fieri exinde manifeſtum eſt, quia alio modo non poſſunt opera Dei diſtinctè cognoſci, niſi earum ſucceſſivam compoſitionem ſaltem poſſibilem, à primis rudimentis ad ultimam uſque perfectionem inſpiciamus; præſumptioni vero temerariæ iſtum agendi modum non eſſe obnoxium patebit, ſi quis illum modũ procedendi conferat cum modo conſiderandi Dei decreta, quæ à Theologis ſpectantur, non prout facta ſunt unico actu, ſed certo quodam ordine, qui convenienter ſapientiæ divinæ eſt inſtituendus. Si enim illi temerariæ præſumptionis non poſſunt accuſari, multo minus ii, qui opera Dei, etſi momento eſſent facta, certo quodam ordine convenienti naturæ ipſarum rerum conſiderant.

CCCXL. Exc. porro B. p. 261. *Gloriæ divinæ non parùm detrahi per hanc ſententiam, cum inde ſequatur creationem ſecundam tantùm conſiſtere in mechanicâ motione &c.*

Reſp. Ad hanc objectionem ſufficiens reſponſio eſt in ſchol. Prop. 7. ubi oſtendimus, quantum hæc actio divina à Mechanica actione differat, unde etiam patebit, quod Angelis communicari non poſſit. Sed ſecundum iſtos homines gloriæ divinæ detrahitur, ſi non quælibet commenta, nempe formas ſubſtantiales, qualitates reales, vires movendi corporibus inditas, velimus agnoſcere, eaſque ad Deum tanquam auctorem, referre. Gloria divina multò magis elucet, ſi ſtatuamus, Deum per motum & diviſionem, obſervationemque legum naturæ, quas poſuit,

Digitized by Google

poſuit, tam admirandos effectus potuiſſe efficere, quam ſi exiſtimemus, non potuiſſe eum hæc, quæ videmus effecta, producere ſine formis ſubſtantialibus, qualitatibus & neſcio quibus viribus, per quas ſemetipſa moveant, quamvis hæc non niſi ab hominibus ſint efficta. Quod porrò clamat adverſarius: *Hac qua à me ſtatuuntur eſſe indigna Theologo Reformato*, ſi de ipſâ meâ ſententiâ intelligat, lectori judicioſo cuicunque judicanda relinquo, ſi verò de conſequente, quod ex eâ ſe educere putat, interpretetur, cum illud minimè conſequatur, non eſt, quod me iſtius ſententiæ pudeat.

CCCXLI. Exc. B. p. 267. *Non eſſe hîc quaſtionem, an Deus opera uniuscujusque diei unico momento abſolverit, an verò eo ſpatio, quod dies vocatur, produxerit, ſed* 1. *An creatio ſecunda tantùm conſiſtat in materia corporea diviſione & motione.* 2. *An fluidorum natura conſiſtat in motione circa propria centra.*

Reſp. Et ego ipſe hanc quæſtionem, *An Deus opera uniuscujusque diei momento abſolverit*, in medio relinquo, cum ad negotium noſtrum patum faciat ejus determinatio. Verum quæſtio in hoc articulo eſt: An non ſicut in decretis divinis diviſio & ordo legibus ſapientiæ divinæ conveniens, ſpectatur, licet ſint indiviſa; ita ſimilitèr, licet opera creationis unico momento facta ſint, poſſimus ordinem & diviſionem convenientem ſapientiæ divinæ & naturæ legibusin iis ſpectare? quod plane diſſimulat adverſarius, neque quicquam reſpondet NB. ad comparationem operum Dei creationis cum decretis divinis à me ita inſtitutam, ut efficaciſſimum argumentum pro negotio præſenti inde deſumeretur. De reliquis autem duabus quæſtionibus ſuo loco eſt actum, & quid de creatione ſecundâ ſtatuamus ad Prop. VII. oſtenſum, & ad Hypoth. tertiam demonſtrabitur, quod ad fluida requiratur motio circa propria centra.

CCCXLII. His ita conſtitutis, quatuor Hypotheſes, ſive, ſi malis, Poſtulata ad conſiderationem operum Dei ſucceſſivam inſtituendam, præmittemus, quæ quidem facile à quovis poſſunt admitti, tradita à Carteſio Pp. III. art. 46.

Hypotheſis ſive Poſtulatum I.

Deus materiam illam, ex quâ mundus adſpectabilis eſt factus, unam & eandem omnium corporum exiſtentem (per prop. I.) diviſit in varias particulas, ut ita corpus fluidum conſtituerent (per prop. XI.) Declaratio. Neceſſario enim requirebatur diviſio, ut ſeparatim à ſe invicem hæ particulæ moveri

moveri poſſent, atque ita, quæ per motum oriuntur, proprietates eſſe poſſent. Ante diviſionem autem & motum eſt eadem, & omnes proprietates materiæ ad hoc unum reducuntur, quod ſit diviſibilis & mobilis. An verò æquales, an inæquales ſupponanrur iſtæ particulæ, parum refert, quia qualiscunque figuræ ſint, & quantæcunque parvitatis (dummodo ea tanta ſit, ut corpus fluidum componant) ſemper idem ſecundùm leges naturæ ſequetur, ut & Philoſophus monet art. 47. ſed probabilius tamen eſt, eas ſupponere æquales, quia magis æqualitas & ordo Deo convenire videtur.

SCHOLIUM.

CCCXLIII. Excipit B. p. 262. *Hanc Hypotheſin ſupponere falſiſſima principia.* 1. *Materiam omnem in prima productione ex nihilo fuiſſe eandem, quod repugnat authoritati ſacræ.*

Reſp. Oſtendi prop. primâ, quod una & eadem ſit omnium corporum materia, eandemque Prop. ab Exc. adverſarii vindicavi. Quod intelligendum, uti per ſe patet, de materiâ, quatenus in genere conſideratur, & in hoc conſiſtit, quod res ſit extenſa in longum, latum & profundum; ſed non ſuppono, quod non in pirmâ creatione quædam jam facta fuerit diſtinctio iſtius materiæ. Non enim dico, quid fecerit Deus, & quomodo formaverit corpora (illud enim non determino: An Deus momento uniuscujusque diei fecerit opera? An vero intervallo iſtius temporis, quod dies vocatur? atque hiſtoriam creationis à Moſe deſcriptam intactam relinquo) ſed dico tantùm, quod ordine debeant corpora à Deo facta conſiderari, eo modo, quo Theologi dicunt: Deum primum conſideraſſe finem, dein media; quod intelligitur non reſpecta ipſius Dei, ſed in modo noſtro conſiderandi.

CCCXLIV. 2. Secundum falſum principium, quod mihi tribuit, eſt, *Creationem ſecundam tantùm conſiſtere in operatione mechanicâ.*

Reſp. De eo in ſchol. prop. 7. ſufficienter eſt actum.

CCCXLV. 3. Tertium falſum principium: *Rerum creationem nobis eſſe perceptibilem, cujus contrarium teſtatur mortalium ſapientiſſimus Eccl. 3. 11. Ipſum unumquodque facere pulchrum ſuo tempore etiam quamdiu ſæculum eſt, exponere animo illorum (excepto eo, quod non aſſequitur homo) opus quod facit ipſe Deus à principio ad finem uſque.*

Reſp. Et nos concedimus, perfectè opera Dei à nobis cognoſci non poſſe, vide ſchol, prop. 7. quod tantum teſtatur Eccleſiaſtes, ſed

non

non negat, ea debere conſiderari (imo vel hoc ipſum citato in loco confirmat) nec negat, in iis conſiderandis debere ordinem adhiberi naturæ & ſapientiæ divinæ convenientem, prout ſcriptura non prohibet, ut decreta divina conſideremus, & iis ſpectandis certum ordinem adhibeamus.

CCCXLVI. Tandem dicit B. *diſquiſitionem eſſe ridiculam, an particulæ ſupponendæ ſint æquales, an inæquales, per quas facta eſt iſta diviſio, & argumentum pro æqualitate earum eſſe vaniſſimum, quod tantùm propter authoritatem Carteſii recipiamus.*

Reſp. Parum refert, quid antagoniſtæ videatur ridiculum, quid ſerium; facile enim fieri poteſt, ut ex ridiculis faciat ſeria, & contra. 2. Argumentatio ab attributis Dei ad ejus operationes, ut quantum fieri poteſt maximam inter Deum operantem & ejus operationes conformitatem agnoſcamus, valida ſuo loco ſatis oſtenſa. Falſiſſimum eſt autem & contrarium tot noſtris proteſtationibus, quod nos propter auctoritatem Cart. vel minimum arripiamus, cum illud ipſum ſit, de quo accuſamus alios Philoſophos, ſcientes, quod in Philoſophiâ non auctoritas humana, ſed ratio debeat obtinere.

Hypotheſis II.

CCCXLVII. *Deus iſtam materiam ita diviſam movit, tantundemque motûs indidit, quantum jam in mundo reperitur.* Declaratio. Hoc requirebatur ſi diſtincta & varia corpora ex illâ materiâ ſucceſſivè producere vellet. Poſterius patet ex prop. 7.

SCHOLIUM.

CCCXLVIII. *Hanc hypotheſin ut vaniſſimam ſe rejicere, ut propoſitionem ſeptimam*, inquit B. p. 264.

Reſp. At nos, ut ſolidiſſimam oſtendimus illam prop. ſeptimam, ita hanc hypotheſin convenientèr legibus naturæ dicimus conſtitutam.

Hypotheſis III.

CCCXLIX. *Deus iſtas particulas ſingulas movit circa propria centra ſeparatim.* Declaratio. Hoc enim requirebatur ad naturam fluidi (per prop. 11.)

Digitized by Google

prop. 11.) quod debere conſtituere præſupponuntur; item, ut à ſe invicem iſtæ particulæ ſejungerentur.

SCHOLIUM.

CCCL. Ad id, quod toties repetit B. nempe, *per hanc meam ſententiam Deum transformari in merum tornionem*, ſemel eſt reſponſum.

2. Quod ad naturam fluidi, qualetunc poterat ſpectari, requiratur, ut Deus ſingulas particulas circa propria moveret centra, patet ex prop. 11. in quâ oſtenſum, fluidi particulas agitari motibus à ſe mutuo diverſis: Motus enim à ſe mutuo diverſi, hoc eſt, ut quælibet particula habeat motum proprium, & ab alterâ diſtinctum, eſſe nequeunt, ſi non quælibet circa proprium centrum convertatur; nam hoc non poſito, plures habebunt eundem motum.

CCCLI. At B. putat, hîc me in varias abſurditates incidere. Quarum prima, *quod hæc non conveniant cum prop. 9. in qua dixeram, omnem motum natura ſua eſſe rectum.*

Reſp. Quomodo hæc conveniant, Carteſius art. 39. in prop. 9. citato declarat his verbis: *Etſi multa cogantur ſæpè deflectere propter occurſum aliarum NB. atque in quolibet motu fiat quodammodo circulus ex omni materia ſimul mota.* Idque etiam ex ipſâ illâ prop. patet, in quâ dico, quod illa, quæ circulariter moventur, recedant *ſua natura* à centro ſui circuli & actu egreſſum iſtum obtineant, niſi ab aliis impediantur. Conferat etiam lector Schol. ad prop. 9.

CCCLII. Secunda abſurditas ab adverſario objecta eſt: *quod, cum omnia quæ circa centra moventur, in circulum moveantur, videatur neceſſario dandum vacuum inter illos vortices, prout enim circulus circulum tangit in puncto, ita & vortex vorticem &c.*

Reſp. Negamus, quod vortex vorticem tangat tantum in puncto, ita enim compoſiti ſunt inter ſe vortices, ut inæqualitas alterius per alterum ſuppleatur, atque totâ ſuperficie alter alterum contingat, & quoniam tota materia cujuſque vorticis, eſt fluida, facile unius vorticis materia cedit alteri vortici moto, ut non neceſſarium ſit vacuum admittere. Verùm de vorticibus ipſis hîc non quæritur, ſed de particulis eorum, quæ non ſphæricæ ſupponuntur, ſed anguloſæ, quia poſtea ex ipſorum angulis abraſis, materia primi elementi dicitur orta. Illæ ergo dùm circa centra motæ fuerunt anguli illarum paulatim fuerunt abraſi, quæ raſura ſpatia inter ipſas relicta replevit. Nulla ergo hîc poteſt eſſe vel ſuſpicio vacui, ſi rem attente inſpiciamus.

Hypo-

Digitized by Google

Hypotheſis IV.

CCCLIII. *Deus plures particulas tales ſimul movit circa alia quadam puncta æque à ſe mutuo remota, & eodem modo diſpoſita, ac jam ſunt centra fixarum, nec non etiam circa alia aliquanto plura, quæ æquent numerum Planetarum.* Declaratio. Ut enim poſſent miſceri, & varia corpora inde fieri, non debebant in eodem loco conſiſtendo circa propria tantum centra convolvi. Et cogitare hîc licet, Deum voluiſſe ita obſcura quaſi lineamenta effingere corporum maximè conſpicuorum per motum talem circa commune centrum.

SCHOLIUM.

CCCLIV. Exc. B. p. 266. *Me in hac una hypotheſi quinque ſupponere, quæ ne una quidem ratione probem.*

Reſp. Nihil hic ſuppono, niſi quod ordini iſti ſpectandi opera Dei ſucceſſivè eſt conveniens ſecundum leges naturæ, quod quidem de his 4. quæ hic ponuntur oſtendo. (Non enim 5, verum 4 pono.) Primum eſt, *plures particulas ſimul eſſe motas circa alia quadam puncta,* quod requirebatur ad mixtionem. 2. *Ea puncta æque à ſe mutuo remota & diſpoſita eſſe, ac nunc ſunt centra fixarum*; quod colligitur ex ipſa diſpoſitione fixarum, quarum ortum cum ſuis vorticibus poſtea Carteſius demonſtrat. 3. *Nec non circa alia aliquanto plura,* quia præter fixas etiam conſiderandi Planetæ. 4. *Ea puncta æquare numerum Planetarum*, quia tot debent centra præter ſtellarum fixarum conſiderari, quot ſunt planetæ.

CCCLV. Non ſunt autem hæ hypotheſes omninò falſæ & veritati è diametro adverſæ. Licet enim talis præcisè diviſio & ordo à Deo non fuerit obſervatus, tamen actio divina una, quâ iſta opera facta fuerunt, illis actionibus diverſis, quæ hîc ſpectantur, æquivalet, cum per eam res naturam legibus naturæ convenientem acceperint. Eodem modo, quo hypotheſes circa decreta divina explicanda adhibitæ, (quales ſunt, quòd Deus prius finem, poſtea media decreverit, cùm tamen in Deo nihil ſit prius vel poſterius,) non ſunt omninò falſæ; illud enim decretum in Deo unicum æquipollet actibus creatis, inter quos prior ſpectat finem, poſterior media. Repete plures rationes iſtius convenientiæ ex art. 338. Ut tamen hæ hypotheſes faciunt ad intellectum decretorum divinorum, ita illæ ad intelligentiam operis creationis.

CCCLVI. Exc. B. *Has hypotheſes poſteà aſſumi ut media probationis, media autem probationis ex parte falſa nobis non poſſe formare certas concluſiones.*

Reſp. Non aſſumuntur aliter in ſequentibus, quàm diviſio & ordo decretorum divinorum à Theologis ad hæc vel illa probanda. Non enim argumenta ex falſâ hypotheſi quâtenus tali petuntur, ſed ex legibus naturæ, quas, his hypotheſibus præmiſſis, diſtinctè poſſumus inſpicere, quemadmodum à Theologis argumenta deſumuntur ex regulis ſapientiæ divinæ, quas præmiſſâ diviſione & ordine decretorum divinorum, diſtinctè poſſumus conſiderare.

PROPOSITIO XIII.

CCCLVII. *Illa particulæ æquales hypotheſeôs primæ non potuerunt eſſe ſphaericæ.* Quia ſic vacuum relinqueretur (contra Prop. 2.) *ſed cujuſcunque figuræ primò fuerint, debuerunt tandem fieri ſphaericæ*, art. 48. Quia fuerunt motæ (ex hypoth. 2.) & quidem variè, tùm circa propria centra, tùm circa alia (per hypoth. 3. & 4.) Quare eminentiæ omnes neceſſariò tandem fuerunt abraſæ.

SCHOLIUM.

CCCLVIII. Exc. B. p. 268. *Futilem eſſe probationem, quia nitatur hypotheſibus vaniſſimis non probatis.*

Reſp. Nititur legibus naturæ, quas poſitis diviſione, motu & ordine, in operibus divinis contemplandis, conſideramus: ſicut enim poſito ordine aliquo in decretis divinis, ac ſuppoſitâ eorum diviſione, ſequitur primò, Deum decreviſſe de fine, dein de mediis ex legibus ſapientiæ, ita & poſito ordine in operibus divinis ac ſuppoſita diviſione & motu materiæ, ſequitur, ex legibus naturæ eas particulas debuiſſe evadere ſphæricas.

PROPOSITIO XIV.

CCCLIX. *Circa iſtas particulas ſphæricas debuit alia eſſe materia ſubtilis*, art. 49. Orta eſt enim ex abraſione angulorum & eminentiarum (per prop. 13.) Quia autem manſit eadem extenſio totius iſtius materiæ collectivè conſideratæ poſt diviſionem & abraſionem, ideò ſpatia inter globulos relicta debuit implere, quod facilè potuit præſtare propter te-

nuitatem,

Digitized by Google

nuitatem, quia non niſi tenue potuit eſſe id, quod unâ vice ab iſtis æqualibus partibus fuit abraſum, propter quam tenuitatem etiam facile dividi potuit in infinitum (per Prop. 4.) ut in quælibet ſpatiola ſe potuerit inſinuare.

SCHOLIUM.

CCCLX. Obj. B. p. 269. *Hæc corpuſcula ſpatia inter ſphæras intermedia replere nequeunt, niſi talis ſint concavitatis & tales habeant proeminentias & angulos acutiſſimos, ut undiquaque ſphærulas circumcingant.*

Reſp. Ad illam obj. reſponſum eſt in ipſâ demonſtratione. Iſta abraſio eminentiarum & angulorum, ut ſphærulæ fuerint formatæ, non potuit fieri unâ vice, ſed ſæpius debuit repeti: Quod autem unâ vice fuit abraſum, valde fuit tenue, & ſic facile potuit dividi, ut in quælibet ſpatia ſe potuerit inſinuare; quod ſi una particula ad aliquod ſpatium implendum non apta eſſet, potuerunt plures id præſtare, idque tantò magis, quod variarum ſint figurarum; potuit etiam quælibet variè flecti propter tenuitatem, & dividi ulterius, ut quodlibet ſpatium minimum ab aliis corpuſculis ſive particulis relictum impleret. Evaneſcunt ergo omnia, quæ de ſuperficiebus iſtarum particularum vel convexis vel concavis proferuntur p. 269, 270. cùm ſuperficies debuerint eſſe omnis generis, & magnitudines etiam indefinitæ iſtarum particularum. Spatium enim quodvis repleri poteſt per corpuſcula indefinitæ magnitudinis, & cujuscunque figuræ. Si enim unum corpuſculum ſit nimis parvum, conjunguntur plura; ſi nimis magnum, aliud aptum inter tot indefinitæ magnitudinis adeſt. Si figura ſit inconveniens vel ſuperficies, aliud alterius figuræ id præſtabit; facilè etiam dividi poteſt id, quod propter figuræ inconvenientiam ſpatium ſuppoſitum non poteſt introire.

CCCLXI. At contra meam rationem inquit, *me Propoſ. IV. tantùm probaſſe, poſſe corpora dividi in infinitum, ſed non actu diviſa, qualia ſecundùm hanc doctrinam darentur.*

Reſp. Negatur, quòd ſecundùm hanc doctrinam darentur corpora actu in infinitum diviſa, ſed tantùm, nullum corpus tam parvum, quin adhuc poſſit dividi ulterius, &, ſi neceſſe ſit, etiam ulteriùs dividatur, ita tamen, ut nunquam ad ultimam diviſionem perveniatur, vel etiam perveniri poſſit; quod cùm ſtatuamus, eo ipſo negamus, dari corpora actu in infinitum diviſa.

Digitized by Google

PROPOSITIO XV.

CCCLXII. *Confluxit etiam iſta materia ad centra ea, circa quæ ex hypoth. quarta congeries particularum fuit mota, indeque ſidera ſunt orta,* art. 54. Aucta enim eſt valde ex cōtinuâ illa abraſione, ut major longè fuerit copia, quàm requirebatur ad ſpatia interjecta replenda. Cùm autem (per Propoſ. 9.) globuli moti circulariter à centro conarentur recedere, propulerunt illi proximos, & hi alios. Sed vacuum dari non poteſt (per Prop. 2.) & in corporibus motis ſemper fit circulus (per Propoſ. 5.) Neceſſariò ergò globulis à centro recedentibus alia quædam materia debet ſuccedere. Globuli autem nulli ad centra potuerunt accedere, quia hactenus omnes fuerunt æquales, adeoque æqualem habuerunt conatum à centro recedendi. Ergò neceſſario materia ſubtilis, quæ facile recipit motus aliorum corporum, utpote tenuis & facile ſeſe inſinuare valens, ad centra fuit depulſa, ſicque ſidera ſunt orta proportionalia ad materiam, quæ circa illa in orbem movetur.

SCHOLIUM.

CCCLXIII. Rogat hîc B. p. 272. *Annon illa corpuſcula angulata, quæ per abraſionem mutata ſint in ſphæras, tantum amiſerint à ſua magnitudine, quantum ab ipſis fuit abraſum? ſi amiſerint, quidnam repleverit ſpatium abraſarum particularum? ſi dicatur, illa materia ſubtilis, undenam auctio illius materiæ, ſi replere debuit illa ſpatia, quibus abraſa & in ſphærulas mutata corpuſcula ſunt imminuta? vel, unde fiat, quod materia ſubtilis ex abraſione orta jam majora & ſpatia occupet poſt abraſionem, quàm cùm corpuſculis aliis adhuc erat annexa?* haſque putat difficultates inextricabiles.

Reſp. Qui non intelligit, nec percipit demonſtrationes Mathematicas, ei difficultates inextricabiles oriri nullum eſt dubium, quæ tamen alii in mentem venire non poſſunt. Nullū dubium, quin tantum amiſerint corpuſcula angulata de ſua magnitudine, quantum fuit abraſum, &, cùm dixerimus, varias eſſe particulas, quarum anguli debuerint abradi, item omnes fuiſſe & circa centra propria & circa alia puncta quædam agitatas, facile patet, ſimul varias particulas debuiſſe abradi, quarum hæ hoc ſpatium, aliæ aliud repleverint ſibi conveniens, præſertim, cùm, ſi hæ non eſſent aptæ, facile per ea, quæ ad propoſitionem præcedentem diximus, potuerint aptitudinem acquirere. Præterea, quarum eminentiæ fuerunt

fuerunt abraſæ, illæ eo, quod fuit relictum, immediate particulas contiguas attigerunt, atque in illud ſpatium, quod per iſtum acceſſum fuit relictum, facile quævis particulæ aliunde abraſæ, ſi, quod hîc abraſum, non eſſet conveniens, potuerunt ſeſe inſinuare. Poſt abraſionem autem materiæ non fuerunt ſpatia majora facta, quàm ante abraſionem illa materia replevit, ſed eadem manſerunt in totâ iſtâ materiâ, quam motam dicimus; verùm propter acceſſum particularum, poſt ablatos angulos, & remotionem ab aliis, alia ſpatia majora, alia minora fuerunt facta, quæ eo ipſo materiâ abraſâ fuerunt repleta, ſecundùm ea, quæ ad Propoſ. præced. fuerunt dicta.

CCCLXIV. Pergit B. p. 273. *Nullam dari rationem, unde fulgor ille, qui conſpicitur in Sole, oriatur, & quomodo particularum imminutio tantam lucem gignere poſſit.*

Reſp. Fulgor in Sole non poteſt conſiderari, niſi poſtquam ipſe formatus conſideratur; at ut ille fulgor à me hîc demonſtraretur, ad inſtitutum meum planè non erat neceſſe: id tamen factum abunde à Carteſio Pp. III. 77, 78, 80, 81.

CCCLXV. Tandem p. 273. *Si Sol ſit centrum, neceſſariò ab omnibus peripheriis vorticum planetarum æqualiter diſtare debet; at hoc falſum eſſe teſtatur tota Aſtronomia. Habent enim omnes planetæ, qui in vorticibus ſuis ſecundum Carteſium circa Solem feruntur, ſua Aphelia & Perihelia &c.*

Reſp. De eâ, quam exiſtimat, difficultate, quoniam pleniùs agetur ad Propoſ. 21. igitur ejus explicationem eò uſque differemus; ubi tantum obſervaverimus, non à Carteſio dici Planetas moveri in vorticibus ſuis, cùm illorum omnium vortices abſorptos à vortice Solis oſtendat, ſed intra globulos ſecundi elementi quemlibet in ſuo circuitu, quem obtinent in vortice Solis, exceptâ tamen Terrâ & Jove ac fortè Saturno.

PROPOSITIO XVI.

CCCLXVI. ***Illa porrò materia ſubtilis, quàm primùm ad centra pervenit, mota eſt motu iſtius vorticis in circulum.*** **art. 72. Hic enim motus facilè à vicinis globulis poterat imprimi, unde poſtea ſubſequens materia ſimilem impreſſionem ſuſcepit, donec omnis ſuperflua materia in centrum deſcenderit, quæ tota ſimul gyrare debuit.**

SCHOLIUM.

CCCLXVII. B. p. 274. inquit, *Se hanc Propoſ. facile conceſſurum, ſi demonſtratum, dari tales vortices, globulos & materiam ſubtilem,* quæ omnia cùm ex legibus naturæ demonſtraverimus efficaciſſimè, nos hanc conceſſionem adverſarii accipimus.

PROPOSITIO XVII.

CCCLXVIII. *Vortices jam debent ita inter ſe eſſe compoſiti, ut unusquiſque in eam partem feratur, ſecundum quam reliquorum omnium circumſtantium motus minus illi adverſantur* art. 65. Nam (ex Propoſ. 10.) colligi poteſt, motum quodcunque corpus alterius occurſu ita facile flecti poſſe, ut in ſuo motu quàm minimùm impediatur, quod futurum eſſe mutuo huc & illuc impulſu, concipi facilè poteſt.

SCHOLIUM.

CCCLXIX. Ad hanc Propoſitionem B. p. 275. eandem cantilenam repetit, & dicterium ſe dignum annectit, itaque pergo ad Propoſitionem XVIII.

PROPOSITIO XVIII.

CCCLXX. *Minùs autem ſe impediunt vortices, ſi poli cujuſque non tam vicini ſint polis aliorum vorticum contiguorum, quàm partibus ab ipſorum polis valdè remotis, hoc eſt, ecliptica,* art. 67. Si enim duorum poli ſe mutuò tangerent, vel ambo in eaſdem partes ferrentur, & ſic in unum vorticem coaleſcerent, at nos diſtinctos jam ſuppoſuimus; vel in contrarias, & ſic ſibi mutuò quàm maximè repugnarent.

PROPOSITIO XIX.

CCCLXXI. *Vortices iſti ſunt latiores & ampliores verſus eclipticam quàm verſus polos.* Globuli enim vehementiùs verſus eclipticam pelluntur, quod ex circumgyratione eſt manifeſtum. Eclipticæ autèm oppoſiti ſunt poli, (per Prop, 18.) qui minus reſiſtunt, quòd globuli verſus polos

Digitized by Google

los non ita vehementer pellantur: Polis verò eclipticæ, quæ magis.

SCHOLIUM.

CCCLXXII. Ad has duas propoſitiones nihil annotat Adverſarius, quàm, vortices à Carteſio non eſſe probatos; quod an factum ſit, non ipſius, ſed lectoris attenti & cordati judicio permittimus.

PROPOSITIO XX.

CCCLXXIII. *Materia ſubtilis ex polis cujuſque vorticis verſus centrum, & ex centro verſus alias partes fluit*, art. 69. Omnis enim materia recedere conatur à centro, (per prop. 9.) & vehementius pellitur verſus eclipticam, quàm verſus polos (per Prop. 19.) Cum ergò ad Eclipticam occurrat polis (per Prop. 18.) qui minus reſiſtunt, certum eſt, illam ibi ingreſſuram, egreſſuramque ex partibus verſus eclipticam.

SCHOLIUM.

CCCLXXIV. Objicit hîc B. p. 277. *Si detur talis fluxus & refluxus materiæ ex polis ad centrum, & ex centro rurſus ad alias partes, non videmus, quomodo fieri poſſit, quin Planetæ deſcendant verſus Solem, ut centrum, & inde rurſus ad alias partes circumferentiarum recedant, nec Luna æquabiliter à centro ſuo diſtabit, modò verget verſus illud, modò in alias partes circumferentiæ feretur, & ſic omnia tandem in unum chaos convertentur.*

Reſp. Scilicet, quia antagoniſta videre non poteſt aliud, idcircò hoc, quod imaginatur, fiet! At Carteſius demonſtrativam dedit rationem, Princip. III. art. 120. & ſeqq. quare aliquis Planeta, quem ordine naturæ prius conſideravit ut ſtellam fixam, neque ulterius verſus centrum deſcendat, neque magis ab eo recedat. Materia verò ſubtilis, quæ ex aliis vorticibus per partes polo vicinas verſus centrum cujuſque vorticis fluit, & refluit, non habet tantam vim, ut Planetam aliquem verſus Solem, ut centrum vorticis, vel verſus circumferentiam vorticis propellere poſſit, quamvis hinc & inde aliquantum eum poſſit propellere, prout & Carteſius demonſtravit Pp. III. 142.

Digitized by Google

PROPOSITIO XXI.

CCCLXXV. *Proximi ſideris globuli celeriùs feruntur, quàm paulò remotiores ad certam diſtantiam*, art. 84. Quia, cùm materia ſubtilis in centro vorticis ſemper circumvolvatur, (per Prop. 16.) & ſemper aliquid ſui per anguſtos meatus, qui ſunt inter globulos ſecundi Elementi, verſus Eclipticam emittat. & verſus polos recipiat, (per Prop. 20.) non dubium eſt, quin habeat vim ſecum rapiendi globulos iſtos uſque ad certam diſtantiam. Ideoque quò propiores ſunt, tantò magis in iſtos vim ſuam exſerere poteſt, quò remotiores, tantò minus.

SCHOLIUM.

CCCLXXVI. In hàc Propoſitione examinandâ B. prolixior eſt, ac citatis Pp. III. art. 30. & 148. tres quæſtiones ventilandas proponit. 1. *An Sol ſit centrum Planetarum.* 2. *An circa proprium centrum celerrimè gyrando ſecum rapiat materiam cæleſtem, in quâ verſantur Planetæ.* 3. *An ejus partes Soli viciniores velocius moveantur remotioribus.*

CCCLXXVII. De priori ſic inquit p. 278. *Solem eſſe centrum Planetarum vult Carteſius, & proinde typum ſuum Planetarum ita conſtruxit, ut Sol accuratè in centro omnium Planetarum ſit locatus, ut in ſchemate videre eſt* &c.

Reſp. Ridiculum eſt, quòd ex ſchemate velit colligere, Carteſium ſtatuiſſe, Solem eſſe centrum Planetarum Geometricum & exactum, cum nec Carteſius curioſus fuerit circa figuras, nec ſoleant multi Mathematici accuratiſſimi. Vide Clavii figuras in Euclide, quæ ſæpe non conveniunt cum propoſitionibus, ſed ſupponuntur tantum convenire; & aliunde ſatis ſit manifeſtum, eum non alio modo ſtatuere Solem eſſe centrum circuitûs Planetarum, quàm circuitus ipſorum circulus appellatur. At ipſorum circuitus circulus appellatur non perfectè, ſed valdè imperfectè, eo modo, quo circulus deſignat ambitum aliquem, in quo alicubi incipiendo tandem ad eundem locum ſit regreſſus, à quo initium fuerat deſumtum. Ipſo illo par. 30. ab adverſario citato inquit: *Ut in fluminum locis, ſi variæ feſtucæ aquæ incumbant, videbimus eas, quamvis ſemper motus circulares affectent, vix tamen unquam circulos omninò perfectos* NB. *deſcribere*, quod & de Planetis vult intelligi, ac per ea omnia eorum phænomena explicari. Quod ſi enim hæc proportionaliter conferas, ad vorticem

Digitized by Google

ticem illum magnum, in quo Sol centrum, & omnes Planetæ circa eum transferuntur, nulla poteſt eſſe difficultas. Porro Pp. III. 34. inquit: *Ne putemus omnia centra Planetarum in eodem plano ſemper conſiſtere NF. nec circulos, quos deſcribunt, eſſe omninò perfectos NB. ſed ut in omnibus aliis rebus naturalibus contingere videmus, iſta tantùm præterpropter talia eſſe, ac etiam labentibus ſeculis continuò mutari.* Item art. 36. expreſſe agnoſcit *Aphelia & Perihelia Planetarum.* Sic & art. 82. dum dicit, *globulos HQ in ſphæroide HNQR impendere triginta annos vel etiam plures, ſatis manifeſtum reddit, Saturnum, qui triginta annis circuitum abſolvit, & per iſtos globulos defertur, in tali ſphæroide moveri, & ſic Solem non eſſe centrum ejus Geometricum.* Conf. etiam art. 84, 134, 136. in quo expreſſiſſimè dicit, ſphæram Saturni intra illum terminum contineri, intra quem globuli cœleſtes non ſunt æquales, cùm extra eum æquales ſtatuantur, qui terminus art. 82. dicitur ſphæroides. Statuit ergò, Solem eſſe centrum circuitûs Planetarum, eo modo, quo quivis alii Aſtronomi Copernicani, & quo etiam Tycho, qui tamen non ignorant Aphelia & Parhelia Saturni, ejuſque eccentricitatem.

CCCLXXVIII. At dices: *Non tribui Carteſio, quod ſtatuat Solem eſſe centrum Planetarum Geometricum, ſed quæſtionem eſſe, an centrum circuitûs Planetarum poßit vocari.*

Reſp. Verba B. citata hoc inferunt, quod Carteſius eo modo Solem ſtatuat centrum, quo modo in typo planetarum Sol conſpicitur; ad quæ ſubſumo: At in typo planetarum à Carteſio adjuncto accuratè ponitur in medio, eſtque centrum Geometricum, Ergo & Carteſius ſecundum te ſtatuit Solem eſſe centrum Geometricum: Ego vero & contrarium oſtendi & Majorem Propoſitionem falſitatis convici. Si hic non ſit ſenſus verborum citatorum, aſſignetur iis alius ſi fieri poteſt. 2. Niſi centrum ſumatur accuratiſſimè, nulla erit quæſtio ex mente adverſarii inter ipſum & Carteſium; concedit enim paulo poſt, Solem poſſe vocari centrum Planetarum late ſumtum. Qui plura de iſto lapſu adverſarii cognoſcere velit, adeat libellum, cujus titulus: *Demonſtratio Mathematica Ignorantiæ & ineptiarum* &c. p. 27. ſeqq. Item *Den Hollenden Aſtronomus* p. 9, 10. ut & *Den Verſtrickte Aſtronomus* p. 16, 17.

CCCLXXIX. Progredimur ad ſecundam quæſtionem, quam propoſuit adverſarius; *An Sol circa proprium centrum celerrimè gyrando ſecum rapiat materiam cœleſtem, in quâ verſantur Planetæ?* cujus affirmativam cum Carteſio ſtatuo.

Hîc primo inquit B. p. 281. *Nondum certum eſt, Solem circa proprium cen-*

Digitized by Google

centrum ita gyrare. Id enim ex motu macularum ſolarium colligere imbecille nimis eſt, cum aliunde motus ille cauſari poſſit.

Reſp. Quod Sol circa proprium centrum gyret demonſtratum eſt Prop. 16. Nam quod per materiam ſubtilem intelligatur cujuvis ſideris, adeoque & Solis materia, liquere potuit ex collatione hujus Propoſit. cum Carteſ. art. 84. unde deſumta eſt. At B. nihil repoſuit, quàm, vortices & materiam ſubtilem non eſſe demonſtrata, quod an factum ſit nec ne Prop. 15. judicet Lector attentus. 2. Remotis formis ſubſtantialibus & vi inſitâ, quâ corpora à ſemetipſis moveantur, & ſolis his noſtris principiis ſuppoſitis, non alia poteſt eſſe cauſa motûs macularum ſolarium circa Solem, quàm gyratio Solis circa proprium centrum, quod à Carteſio abunde demonſtratum.

CCCLXXX. 2. inquit B. p. 281. *Eo motu Solis conceſſo non poterit tamen dici celerrimus. Nam maculæ illæ ſuperficiei Solis contiguæ, ut vult Carteſius Pp. III. 22. Solem circumeunt ſpatio viginti ſex dierum. Unde ſequetur, Solem ferè quadruplo tardiùs circumgyrationem ſuam abſolvere, quàm ex ipſius hypotheſi terra.*

Reſp. Quod ille motûs ſit celerrimus, patet ex naturâ materiæ, ex quâ Sol conſtat, quæ eſt fluidiſſima & celerrimæ agitationis, utpote ejuſdem naturæ, cujus ignis, niſi quod ignis hic noſter partes terreſtres & aëreas multas habeat intermixtas, & propterea hujus motus tardior ſit. Difficultatem vero objectam jam ſolverat ipſe Carteſius, Pp. III. 148. quæ verba adſcribere lubet. *Nec interim*, inquit, *mirabimur, quod maculæ, quæ in ejus ſuperficie apparent, multo tardiùs ferantur, quàm ullus Planeta: (quippe in breviſſimo ſuo circuitu viginti ſex dies impendunt, Mercurius autem in ſuo pluſquam ſexagies majori vix tres menſes, & Saturnus in ſuo forte bis millies majori annos tantùm triginta, qui niſi celeriùs ipſis moveretur, plus centum deberet impendere.) Hoc enim putabimus accidere ex eo, quod particulæ tertii elementi, ortæ à continuâ macularum diſſolutione, congregatæ ſint circa Solem, atque ibi magnam quandam molem aëris ſive ætheris componant, forte uſque ad ſphæram Mercurii, vel etiam ulteriùs extenſam, cujus ætheris particulæ cùm ſint valdè irregulares & ramoſæ, ſibi invicem ſic adhærent, ut non disjunctim concitentur, quemadmodum globuli materiæ cœleſtis, ſed omnes ſimul à Sole rapiantur, & cum ipſis tum maculæ ſolares, tum etiam pars cœli Mercurio vicina; unde fit, ut non multo plures circuitus, quàm Mercurius, eodem tempore abſolvant, nec proinde tam cito moveantur.* Apparet ergo adverſarium parum legiſſe Carteſium, quod tamen ejus refutatorem decebat, qui hîc & alibi ea objicit, ad quæ jam diu à Carteſio reſponſum. Non ergo

Digitized by Google

ergo Sol tam tardè movetur ac maculæ ſolares, nec propterea tardius quàm terra, ſed longè celerius. Et novum hîc paralogiſmum antagoniſtæ videre licet.

CCCLXXXI. 3. *Abſurdum eſſe putat* B. p. 262. quod hinc conſequitur, nimirum, *tardius moveri materiam cœleſtem circa verticem terræ quàm circa Solem.*

Reſp. Hæc abſurditas conſequitur ipſi ex priori; nimirum, prius exiſtimavit Solem longè tardius moveri circa axem ſuum, quàm terra circa Solem moveatur, & hinc comparatione inſtitutâ tribuerat diurno motui ſuperficiei ſolaris milliaria 1572. nunc autem reperit ex hypoth. Copernici & Lansbergii materiæ cœleſtis circa terram motui diurno competere milliaria 16785. Verum, quin uno abſurdo dato alia conſequantur, non negamus, ſed & uno abſurdo ſublato alia auferri neceſſe eſt. Quoniam itaque oſtendimus, nequaquam ex noſtra ſententiâ conſequi, Solem tardius circa axem ſuum gyrare, quàm Terra circa Solem defertur, adeoque longe plus diurno motui ſuperficiei ſolaris competere, quàm milliaria 1572. etiam cadit id, quod inde educit, materiam ſolarem tardius moveri quàm materiam cœleſtem, quæ circa terram exiſtit, totaque iſta computatio fruſtrà eſt inſtituta.

CCCLXXXII. 4. Inquit B. p. 283. *Galilæus Galilæi magnus ille macularum ſolarium inventor & obſervator, qui ex maculis illis magis præſupponit, quàm certo affirmavit corpus ſolare in gyrum verti, probat Dial. 3. polum macularum illarum diverſum eſſe à polo eclipticæ, unde porro ſequetur, etiam polos motus corporis ſolaris eſſe diverſos à polis eclipticæ, circa quos Planetæ omnes moventur. Jam velim oſtendi, quomodo circumgyratio Solis circa proprios polos ſecum poßit abripere & movere vortices circa alios polos.*

Reſp. Agnoſcimus, quod poli macularum, qui iidem ſunt cum polis corporis ſolaris, ut & Carteſius ſtatuit Princ. III. 95. quando dicit, *maculas Solis in orbem circa Solis polos moveri*, differant à polis eclipticæ. Et ſic Carteſius art. 35. ex Scheinero ponit Solis maculas in planis ſeptem gradibus aut amplius ad eclipticam inclinatis circa Solem volvi, adeo ut earum motus hâc in re non differat à motibus Planetarum, quorum nullus movetur circa polos eclipticæ, exceptâ ſolâ terrâ ſecundum nos, ſecundum Ptolemæum & Tychonem unico Sole. Poli autem macularum cum iidem ſint cum polis Solis, quærendum tantum, quare fiat, ut poli Solis non ſint iidem cum polis eclipticæ, & cum polis motuum Planetarum, & tamen Sol circa ſe Terram & reliquos Planetas faciat gyrare. Ad quod Reſp. Solem, quantum in ſe eſt, ita rapere hos globos, ut via ipſorum

Digitized by Google

rum motus parallela ſit corporis ſolaris eclipticæ, ſed quod inde deflectant, Terra ſeptem gradibus, alii Planetæ magis minuſve, oritur ex aliis cauſis, nempe, quod materia primi elementi per polos hujus cœli, in quo Sol, ingrediens & ſic in ſphæroides illud, intra quod verſantur Planetæ, irruens & tranſiens corpus Planetæ, eum vel poſſit attollere ſuper planum Solis vel infra illud deprimere, per quam exaltationem & depreſſionem motus in latitudinem indicatur.

CCCLXXXIII. 5. Inquit B. p. 283. *Cum Sol non ſit centrum Planetarum, niſi admodum latè ſumtum, & Saturni centrum nullâ ratione dici queat, oſtendi etiam debet, quomodo Sol ſecum poſſit rapere orbes eccentricos circa varia, & tam à Sole quàm à ſe invicem diſſita centra?*

Reſp. Neg. quod non poſſit Sol dici centrum Saturni, quum ambiat Solem circuitus Saturni. 2. quod petit oſtendi adverſarius, jam oſtendit Carteſius, quando rationes reddidit apheliorum & periheliorum Planetarum, nempe Pp. III. 141. Motus quidem Planetarum circa Solem pendent ab ipſo Sole & materiâ cœleſti, infra cujus ambitum Planeta aliquis eſt detruſus, ſed quia ſpatium, in quo ſimul cum totâ materiâ cœli rotatur, non eſt perfectè ſphæricum, fit, ut, ubi illud latius eſt, lentius fluat materia cœli, adeoque Planeta magis à Sole removeatur, ubi anguſtius, celeriùs fluat iſta materia, & ſic Planeta magis ad Solem accedat.

Duabus his difficultatibus, quartæ nempe & quintæ, hîc ab antagoniſtâ objectis jam ſatisfecerat Carteſius art. 141. —— 146. Quod ſi quis hæc quæ à nobis ad eas ſunt dicta, non ſatis poſſit percipere, operam impendat in evolvendo lib. III. Princip. nec enim, quæ ex interioribus penetralibus hujus Philoſophiæ petuntur, aliter, quàm multis aliis, quibus innituntur, admiſſis & intellectis, intelligi queunt.

CCCLXXXIV. Quærit 3. B. p. 283. *An materia cæleſtis partes Soli viciniores velocius moveantur quàm remotiores?* Cujus negativam prolixe ſe putat demonſtrâſſe, verum, quoniam Auctor *Demonſtrationis Mathematicæ ignorantiæ & ineptiarum du Bois* ad incitas hic redegit adverſarium, nos lectorem eo remittimus.

PROPOSITIO XXII.

CCCLXXXV. *Globuli ſideri proximi ſunt minores remotioribus*, art. 85. Eſſe enim inter eos quoad magnitudinem differentiam, patet exinde, quia etſi ab initio omnes fuerint æquales, fieri tamen non potuit, quin lapſu tem-

temporis ob inæqualitatem ſpatiorum quæ percurrunt, & motûs inæqualitatem inde ortam (per Propoſ. 6.) aliqui aliis minores evaderent. Jam autem celerius moventur priores remotioribus (per Propoſ. 21.) ſi ergo centro proximi eſſent majores vel æquales ſuperioribus, eo ipſo plus vel tantum haberent virium à centro recedendi, & ſic evaderent ſuperiores.

SCHOLIUM.

CCCLXXXVI. Exc. B. p. 291. *Si motus velocior arguat globulos & minores eſſe, & propinquiores centro, neceſſario ſequetur, globulos orbis terræ, (poſito, eam in vortice ſuo ferri circa Solem) minores eſſe globulis orbis Veneris, & terram Soli multo propinquiorem, cum Veneris orbis tardius, terræ velocius moveatur, ut ad Propoſ. 21. latè probatum eſt.*

Reſp. Ego in hujus Propoſitionis demonſtratione probo 1. eſſe globulos aliis minores. 2. eos qui minores ſunt, ſideri eſſe proximos. Primum neceſſario ex eo conſequitur, (non obſtante, quod primum dicantur fuiſſe æquales,) quod debuerunt inæqualia ſpatia percurrere propter vorticis inæqualitatem, qui non eſt accurate rotundus, & hinc alii aliis celerius moveri per Propoſ. 6. Hoc enim facto, illi, qui habuerunt majorem celeritatem, quam acquiſiverunt tranſeundo per ſpatia anguſta, debuerunt fortius inter ſe collidi, & ſic plus de ſuâ materiâ perdiderunt. Secundum vero clariſſime probato priori conſequitur. Cum enim centro proximi celerius moveantur quàm remotiores. Ergo poſito, quod propiores fuiſſent centro, tamen ob majorem vim à centro recedendi, quam habuiſſent præ minoribus, debuiſſent minores antevertere, eaſque in locum à ſe relictum detrudere verſus centrum. Adverſarius vero hic, quid impugnet neſcit. Ex eo enim, quod aliqui globuli ſint proximi ſideri, oſtendi, etiam celerius moveri remotioribus Propoſ. præcedente. Hîc vero, dum vortex eſſet in fieri, demonſtravi, globulos ejus alios aliis minores factos, quod majorem quidem celeritatem acquiſiverint tranſeundo per ſpatia anguſtiora, adeoque fortius debuerint collidi, & ſic plus materiæ abradi. Quæ vero ad Propoſ. 21. oppoſuit, eorum inanitas clariſſime eſt demonſtrata. Accurate attendens ad articulos Carteſii, unde deſumpta hæc ſunt, videbit eorum ſoliditatem.

Digitized by Google

PROPOSITIO XXIII.

CCCLXXXVII. *Terra fuit aliquando ſidus* Pp. IV. 1. 2. Cum enim ex hypotheſi quartâ, in ipſa centrum etiam fuerit, circa quod quædam materia movebatur, cætera omnia ex demonſtratis eodem modo contingere debuerunt, ut materia ſubtilis in iſtud centrum confluxerit, & ſic ſidus conſtituerit.

SCHOLIUM.

CCCLXXXVIII. Hæc Propoſitio & ſequentes intelligendæ ſunt ſecundum ea, quæ ad hypotheſes ſuperius annotavi. Ergo *terra fuit aliquando ſidus*, intellige, *in modo noſtro conſiderandi ex hypotheſi*, quod debeat conſiderari, prout ſucceſſive ſecundum leges naturæ debuiſſet & potuiſſet fieri, ſive, Terra *prius conſideranda eſt tanquam ſidus*, quoniam integram & totam ſimul non poſſimus ſpectare, ſed quomodo paulatim talis fieri potuerit, etſi hiſtoria Creationis teſtaretur, quod Deus momento talem fecerit. Dico ergo, ſi ejus natura debeat cognoſci, oportere hoc modo conſiderari, quomodo ſecundum leges naturæ, ſi Deus voluiſſet ſucceſſive efficere, debuerit formari, aſſumendo omnes formas ordine, donec tandem ad hanc, quam habet, pervenerit; ſicut enim nunc ſtella fixa mutatur in Planetam vel Cometam, ita in terræ natura accurate percipienda, quæ hactenus cum Planetis convenit, tale ejus initium conſiderandum.

CCCLXXXIX. Contra hanc propoſitionem vehementer inſurgit B. p. 292. (utrùm ex imperitiâ, an malitia non facile dixerim) ac clamat, *hanc propoſitionem Moſi in os contradicere, doctrinam continere ἀντίγραφον & futiliſſimam, quæ in Theologiæ Profeſſore ſit intolerabilis.*

Reſp. Si Theologis dicentibus: Deus prius fecit decretum de fine, quàm de mediis, vel, Deus decrevit prius, hominem creare, dein decrevit lapſum permittere, oggeras, eos in os contradicere ſimplicitati divinæ, nonne reſponderetur, hoc intelligendum eſſe de modo noſtro conſiderandi? quidni ergo eandem reſponſionem ex art. 338. potuiſſes circa hanc quæſtionem depromere? Methodum enim hanc conſiderandi opera Dei ſupponere creationis hiſtoriam veram, neque ei quid velle derogatum, apparet ex Pp. III. 45. ſed hæc non impedit, quo minus poſſimus conſiderare Terram, prout fieri potuiſſet à Deo, ſi Deo ſucceſſive

ceſſive agere placuiſſet, ad cognoſcendam ejus naturam & reddendas cauſas variorum Phænomenon; quoniam ex hac conſideratione cognoſcitur, eam nihilominus habere talem naturam, ac ſi ſucceſſive fuiſſet creata.

CCCXC. Ex his ita declaratis apparet: Propoſitionem iſtam *Terra fuit aliquando ſidus*, non eſſe abſurdam, quamvis ſi ſola inſpiciatur (non conſideratis iis, quæ art. 6. hujus capitis etiam in priori editione dixeram, facientibus quàm maxime ad iſtius & ſeqq. Propoſitionum intellectum) abſurditatem manifeſtam involvere videatur. In quem finem, utque ſententias Carteſii & eorum, quos in Methodo philoſophandi ipſum ſequi non pudet, odioſas publico redderet, hanc Propoſitionem, ut & alias ex meis Diſſertationibus citavit Suetonius Tranquillus in ſuo libello Belgico: *Naerder openinge van eenige ſtucken in de Carteſiaenſche Philoſophie &c.* qui modus agendi ſi obtineat, ſique verba quædam ſeparata ab aliis, ex quibus eorum ſenſus evadit conſpicuus, liceat ſeorſim proponere ad ſententiam alicujus publico proponendam, nec ipſa Scriptura ab accuſatione de maxime abſurdis libera eſſe poteſt.

PROPOSITIO XXIV.

CCCXCI. *Terra obducta eſt tandem maculis, & vortex ejus abſumptus fuit à vortice potentiore vicini Solis* Pp. IV. 2. Cum enim fuerit ſidus, (per Prop. 23.) nunc autem tam craſſa exiſtat, debuit neceſſario tam denſis maculis obvolvi. Facile ſane potuit contingere, ut materiæ illius ſubtilis partes irregulares & minus ſubtiles ſibi mutuo adhærerent, & non tam facile circumagi poſſent. Itaque ſic tanto commodius aliæ atque aliæ minutiæ adhærere potuerunt, donec tandem tam craſſa facta fuerit obductio, ut materia ſubtilis, quæ intra iſtam maculam circumvolvebatur, (per Prop. 16. & 8.) nullam vim ad circumrapiendum globulos ſui vorticis potuerit exſerere, quo facto iſte vortex facile ab adjacente potentiori fuit abſorptus.

SCHOLIUM.

CCCXCII. Quæ hic iterum objiciuntur à B.p.293. ſimilia ſunt præcedentibus, cum non evincant, non poſſe terram conſiderari, prout ſucceſſivè à Deo potuit creari. Cur enim nobis non ſit conceſſum conſiderare res naturales ſecundum eos ſtatus, in quibus quidem diverſis vicibus

non

Digitized by Google

non exſtiterunt, quando primum creatæ ſunt & productæ, ſed tamen ſi ſucceſſivè fuiſſent factæ, debuerunt exſtitiſſe.

PROPOSITIO XXV.

CCCXCIII. *Terra fuit detruſa verſus Solem.* Pp. IV. art. 2. Cum enim vortex ejus fuerit abſorptus à vortice Solis (per Prop. 24.) etiam ipſum ſidus maculâ obductum à vortice abſorbente neceſſariò debuit rapi: Materia autem circa Solem circumvoluta conabatur magis magisque ſemper recedere à centro (per Prop. 9.) Itaque omne illud, quod ſibi obſtabat, ut hic Terram, depellere debuit verſus centrum, ut in ejus locum aſcenderet, quamdiu nempe in iſto ſidere maculis obducto, ſive Terrâ, nullus alius motus conſideratur.

SCHOLIUM.

CCCXCIV. Ad hanc Propoſitionem cum nihil reponat B. 294. niſi quod modum quo res creatæ fuerint opponat modo conſiderandi ſucceſſivo, quæ non repugnare oſtendi, pergimus ad Prop. 26.

PROPOSITIO XXVI.

CCCXCV. *Terra fuit detruſa in locum, in quo nunc eſt,* Pp. III. 140. In eum enim locum debuit deſcendère, ubi ſunt globuli cœleſtes, quibus in ſoliditate, ſive in aptitudine ad perſeverandum in ſuo motu per lineas rectas eſt æqualis. Si enim propius verſus Solem accederet, verſaretur ibi inter globulos cœleſtes paulo minores, (per Prop. 27.) quos ſuperaret vi ad recedendum à centro, circa quod gyrat, & ſic ſuperior evaderet: verſaretur etiam inter globulos paulo celerius motos (per Prop. 21.) à quibus vim majorem ad recedendum à centro acciperet, atque ita inde rurſus egredi deberet. Si verò magis recederet à Sole, ei occurrerent globuli cœleſtes aliquanto minus celeriter moti (per Prop. 21.) qui proinde ejus agitationem ſive vim recedendi à centro minuerent, & paulo majores (per Prop. 22.) qui proinde vim haberent ipſam depellendi.

SCHO-

SCHOLIUM.

CCCXCVI. Hanc propoſitionem antecedentibus niti, ex iiſque demonſtratis fluere agnoſcit B. p. 295. in quo acquieſcimus.

PROPOSITIO XXVII.

CCCXCVII. *Terra in eo loco, in quo eſt, defertur à materia ambiente annua delatione.* Fuit enim abſorptus à vortice Solis vortex Terræ (per Prop. 25.) & detruſa Terra in eum locum, in quo nunc eſt, (per Prop. 26.) ubi materia cœleſtis eam ambit, quæ fluida eſt, (ex antecedentibus) & in circulum movetur (ex hypoth. 4.) Ergò (per Prop. 12.) corpus durum, quod inibi eſt poſitum, ſecum defert. Quo autem tempore Terra ita delata redeat ad locum eundem, ex phænomenis diſcendum. Fit illud, quando Sol ſub eodem ſigno iterum conſpicitur, ſub quo antea fuit conſpectus, ut ſi ex. gr. fuerit conſpectus ſub Ariete, quando iterum ſub eodem ſigno conſpicitur, cenſenda eſt circuitum ſuum abſolviſſe, quod annuo ſpatio fieri, experientia docet.

SCHOLIUM.

CCCXCVIII. Excipit B. p. 296. *Hæc Propoſitio, quæ prima directè concludit pro motu terræ, eſt fundata tota in quarta hypoth. ex illa ſiquidem ortum habent vortices minores & majores, abſorbentes & abſorpti; item materia fluida, quæ in circulum circa Solem movetur, ita ut minimè neceſſarius fuerit tantus apparatus tot Propoſitionum & Hypotheſium, cum hypotheſis quarta ſola ſufficere potuiſſet.*

Reſp. Si lector ipſe hanc demonſtrationem inſpiciat, videbit eam niti Prop. 25, 26. & 12. quæ iterum proxime antecedentibus nituntur, & ſic deinceps, donec veniatur ad ipſas regulas naturæ, unde omnia, quæ hîc reperiuntur, fluunt. Hypotheſis vero quarta tantum eo facit, ut poſſimus opera Dei ſucceſſivè & per varias partes, & ut in fieri ſunt, ordine conſiderare, quod neceſſarium eſſe oſtendi. Quis vero in demonſtrationibus Euclidis verſatus aliquem ita ferat argumentantem? Hæc vel illa Prop. Euclidis v. g. 10. lib. 12, *Omnis conus tertia pars eſt Cylindri eandem cum ipſo baſin habentis & altitudinem æqualem,* nititur variis communibus axiomatibus, quia in ea reſolvitur, E. omnes intermediæ Propoſitiones lon-

Digitized by Google

ga ſerie deductæ ex iſtis axiomatibus, ut tandem proximè poſſet hæc ipſa Propoſitio demonſtrari, non ſunt neceſſariæ, & inutilis tantus apparatus; vel aliud quodcunque exemplum ſumatur, ubi propoſitio aliqua nititur longâ Propoſ. concatenatarum ſerie, quæ tandem in communes notiones, & quaſdam hypotheſes ſimiles noſtris reſolvuntur.

CCCXCIX. Pergit B. p. 297. *Demonſtrationem non poſſe eſſe ſolidam, quia ſupponatur, dari vortices, Solem eſſe centrum, dari verticem terræ, deferentem corpus terræ, quæ omnia neget.*

Reſp. Quid ſupponatur, quid probetur, ex antecedentibus conſtat; ſuppoſitiones tantum faciunt ad ſucceſſivam conſiderationem rerum naturalium, quâ poſitâ evincitur ex naturæ legibus & principiis naturâ notis, talem eſſe rerum naturam, quæ per vortices & ſimilia, quæ ſuperius poſuimus, non per alia poſſit explicari. Quod ſi in fieri talis eſt terra ut neceſſario legibus naturæ ſic ferentibus debuerit rotari circa Solem: Ergo etiam in facto eſſe debet talis agnoſci. Quid vero neget adverſarius parum curamus, dummodo contra ejus negationem firma fuerit noſtra argumentatio.

PROPOSITIO XXVIII.

CCCC. *Terra ſimul circumvolvitur à materia cœleſti ambiente circumvolutione diurna.* Nam cum viciſſitudo diei & noctis, poſitis his omnibus, quæ antea ſunt demonſtrata, non poſſit fieri motu Solis circa terram diurno, nec alia cauſa afferri queat, neceſſario id fieri debet per Terræ converſionem. 2. Cum Terra fuerit ſidus (per Propoſ. 23.) ergo potuit retinere illum motum, quem antea habuit, materiaque ſubtilis in ejus centro, cum procul dubio adhuc moveatur (per Prop. 8.) Terram impellere poteſt. 3. Quia Luna movetur circa Terram (uti ſatis conſtat ex phænomenis) debuit hoc ex antea demonſtratis inde contingere, quod cum non minorem habeat vim agitationis quam Terra, in eâdem ſphærâ debuerit verſari, (per Prop. 26.) &, cum mole ſit minor, æqualem habens vim agitationis, celerius debeat fieri. Ergo fuit delata verſus terram in eâdem ſphærâ. Eſt autem Luna quantitate ſatis magna, ita ut ſecundum Clavium ad terram proportionem habeat, qualem 1. ad 39 $\frac{1}{2}$: Vacuum etiam dari nequit, (er Prop. 2.) nec minui poteſt extenſio, non minutâ ſubſtantiâ corporeâ (per Prop. 3.) Quare ita verſus Terram delata mole ſua compreſſit globulos verſus Terram, qui cum tam citò non potuerint cedere, ut circulus fieret, (per Prop. 5.) propter nimiam

Digitized by Google

miam Lunæ agitationem, reſtiterunt, ut Luna ad Terram non potuerit magis accedere, quàm acceſſit. Quare Luna (per Prop. 10.) etiam determinationem motûs accepit, ita ut circa Terram gyret, dum interim unà cum illa circa Solem defertur à materiâ cœleſti ambiente. Quia ergò vis & quantitas magna eſt Lunæ, ex antecedentibus, facile potuit materiam cœleſtem inter ſe & Terram interjectam in modum vorticis contorquere, quæ ſimul Terram circa axem ſuum convolvit (per Prop. 12.) Nec mirum eſſe debet, quod Terra fere tricies circa axem ſuum convolvatur, dum Luna tantùm ſemel circumferentiam circuli ſui circa Terram percurrit. Cum enim hæc circumferentia ſit circiter ſexageſies major terræ ambitu, ſic Luna duplo celerius adhuc fertur, quàm Terra, & cum ambæ agantur ab eadem materia cœleſti, quam crediblie eſt, non minus celeriter moveri prope Terram quàm prope Lunam, non alia cauſa videtur eſſe majoris in Luna celeritatis, quàm quod Terrâ ſit minor.

SCHOLIUM.

CCCCI. Hæc Propoſitio triplicem, ut apparet, habet demonſtrationem.

Ad primum B. p. 298. inquit, *nondum eſſe probatum in antecedentibus, Solem motu ſuo circa terram viciſsitudinem noctis non efficere.*

Reſp. Quid probatum, quid non probatum, non judicio adverſarii, ſed lectoris à partibus alieni, & qui tantum operæ impendere voluerit, ut non tantum meas demonſtrationes obiter aſpicere, ſed imprimis Carteſii principia, ad quæ digitum intendi, opera diligenti & attentione animi dignatus fuerit perluſtrare, permitto.

CCCCII. Ad ſecundam Probationem excipit. 1. *Comperta fuit Propoſitio 23. vaniſsimum commentum hiſtoriæ ſacræ contrarium, in vorticoſo cerebro confictum.*

Reſp. Imò compertum fuit, te ei non niſi ignorantiam, ut leniſſime dicam, oppoſuiſſe.

CCCCIII. 2. Addit, *dari talem materiam ſubtilem in centro terræ nondum liquere.*

Reſp. Ex eo id liquet, quod talis natura ejus, prout in fieri conſideratur, debeat ſpectari, ut habuerit formam ſideris, quod macula eſt obductum; at non potuit illa macula omnem materiam ſubtilem, quam obtexit, planè expellere.

CCCCIV. 3. Cupit probatum, *eam materiam adhuc moveri.*

Digitized by Google

Reſp. Si ibi ſit materia ſubtilis, uti probatum dedimus, quæ in circulum neceſſariò movetur ex Prop. 16. Ergò, cum nulla res poſſit dari, quæ ejus motum impediat ex Prop. 8. facillimè ab oppoſitionibus adverſarii defenſa, debet manere in eodem ſtatu; cum nihil quicquam poſſit excogitari, quod eam ab hoc ſtatu deturbet.

CCCCV. Ad tertiam Probationem objicit B. p. 300. *me hic quidem videri prima facie probare Propoſitionem, ſed interim nihil minus agere; me enim ingredi diſſertatiunculam de motu Lunæ circa terram, quæ tutò poſſit præteriri, cum nitatur principiis & hypotheſibus gratis aſſumptis & falſis, &c.*

Reſp. An revera probem, nec ne, lectori cordato expendendum relinquo, ſaltem adverſarii fuiſſet defectum oſtendere. Ut enim de motu Lunæ circa Terram dicam, ſatis ad rem factum apparet, cum exinde Terræ circa axem ſuum convolutionem deduxerim. Quæ verò de hypotheſibus & principiis gratis aſſumptis ſæpius inculcat, ad ea negando reſpondeo, ac ad antecedentia lectorem remitto.

CCCCVI. Ita theſis noſtra evidentiſſimâ, iis qui diligentèr attendunt ad omnia, demonſtratione eſt probata; Nunc etiam Antitheſis Tychenis eſt evertenda, quo ſimul habebimus argumentum aliud ad noſtræ ſententiæ, quam hîc propugnamus, confirmationem. Tychonis autem diſpoſitionem abſurdam eſſe inde eſt conſpicuum. Cum enim Sol circa axem ſuum circumvolvatur, uti experientia comprobavit per Solis maculas, quæ ſpatio 26 dierum circiter circumvolvi cernuntur, & à Sole circumrapiantur 5 Planetæ per hypoth. Tychonis, non poteſt ulla ratio concipi, quare etiam Terra intermedia inter proximos & remotiores Planetas, uti ex Syſtematis inſpectione patet, non ſimul à Sole rapiatur, niſi fingas maximam aliquam vim, quæ, tractis à Sole remotioribus Planetis, corporibus longè majoribus, terram retineat immotam. Ad extraordinariam autem Dei potentiam hic confugere, cum quærantur cauſæ naturales, eſt prorſus ἀπροσδιόνυσον.

CCCCVII. Excipit B. D. p. 34. *Si aliqua darentur argumenta verè demonſtrativa, pro motu terræ diurno & annuo, ea à phænomenis & apparentiis deduci deberent.*

Reſp. 1. Argumentum noſtrum per propoſitiones 28 deductum, ut & quod præcedenti articulo adjectum, eſſe revera demonſtrationem, patebit lectori benevolo, qui citra præjudicium rem voluerit perpendere, adhibitâ ſimul in conſilium parte II. & III. Principiorum Philoſophi, ubi omnia latius ſunt deducta; nec exiſtimo quicquam contra illa excipi poſſe, ad quod non facilis mihi parata ſit reſponſio. 2. Argumentum, quod

quod per cauſas naturales nexu evidentiſſimo inter ſe cohærentes effe-ctum demonſtrat, eſſe demonſtrativum nemo negare poteſt, qui quid ſit demonſtratio ꝟ διότι cognitum habet; tale autem hoc noſtrum eſſe inſpectio docebit. Quam præferendam eſſe demonſtrationi ꝟ ὅτι, quæ ab effectu ad cauſam procedit, accuratiores Logici oſtendunt. Quamvis itaque forte apparentiæ æque per Tychonianam hypotheſin ſalvari queant, ac per Copernicanam, adeoque demonſtratio ꝟ ὅτι haberi non queat, illius tamen defectum facile demonſtratio à priori ſupplebit.

CCCCVIII. Excipit B. p. 301. Primo, *Theologum magis decuiſſe argumento Theologico refellere ſententiam Tychonis quàm Philoſophico*: ac ſi Theologum deceret μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος & Philoſophica Theologicè tractare, aut non liceat Theologo Philoſophicam conſiderationem rerum naturalium inſtituere. Nugæ!

CCCCIX. Secundo proponit B. p. 202. Syſtematis Tychonis ſchema, ac inquit, *tantùm abeſſe ut hac diſpoſitio abſurditatis alicujus inſimulari poßit, ut potius ipſe Carteſius fateatur eam à Copernicana non multum differre, citatis verbis Carteſii, Pp. III, §. 17.*

Reſp. Ita Carteſius fatetur non multum differre Tychonianam hypotheſin à Copernicana, ut Pp. III art. 39. abſurditatis accuſet, quod nempe, dum Tycho conatur motum Terræ detrahere, eum revera ipſi tribuat, quòd neceſſariò ex ejus hypotheſi ſequatur, Terram vi aliqua ſeparari à partibus iſtius materię ſibi contiguis, atq; in eâ circulum deſcribere. Verba Carteſii hæc ſunt: *Ex eadem Tychonis hypotheſi Sol motu annuo circa terram gyrans, non modo Mercurium & Venerem, ſed etiam Martem, Jovem & Saturnum, qui ab eo remotiores ſunt quam terra, ſecum ducit: quod intelligi non poteſt, præſertim in cœlo fluido, qualle illud ſupponunt, quin tota cœli materia interjacens ſimul feratur, & interim terra vi aliqua ſeparetur, à partibus iſtius materiæ ſibi contiguis, atque in eâ circulum deſcribat. Quapropter hac rurſus ſeparatio, quæ eſt totius terræ, ac peculiarem in ea actionem requirit, ejus motus erit dicendus.* Unde rectè deduco, illam vim, quæ retineat terram, ut non ſimul cum toto ſyſtemate Planetarum ex hypotheſi Tychonis circumrapiatur, ſine ratione & abſurde ſtatui, cum non poſſit ab extraordinaria Dei potentia pendere, utpote ordinaria, neque cauſa aliqua naturalis, à qua iſta vis oriatur, poſſit excogitari.

CCCCX. Tertio contra ipſum illud noſtrum argumentum, hypotheſi Tychonis oppoſitum, excipit p. 303. *At jam probavimus 1. circumvolutionem illam Solis circa ſuum axem non ita certam eſſe. 2. Si daretur, eam fieri circa polos à polis ecliptica diverſos, ac proinde vortices Planetarum ſecum rape-*

Digitized by Google

rapere non poſſe. 3. In Orbe Veneris raptum illum Planetarum propinquiorum velociorem & remotiorem tardiorum falſiſsimum reperiri.

Reſp. Nos ad Prop. 21. omnes iſtas probationes inconſequentiæ & falſitatis convicimus, quo lectorem remittimus.

CCCCXI. Pergit. *Quamvis cœlum circa terram moveatur, non eſt tamen mirum terram in medio quieſcere, cum Deus illi & locum & quietem ibidem ordinaverit, unde non dimovebitur, ita ut non recurratur ad extraordinariam Dei potentiam, ſed ad ordinem, qui ut à ſummo & ſapientiſsimo Creatore conſtitutus eſt in prima creatione, ita etiamnum conſervatur & conſervabitur uſque ad finem mundi.*

Reſp. At nos quàm parum hæc ad rem faciant oſtendemus. Quæritur quî fiat, quod circumraptis à Sole ex hypoth. Tychonis reliquis Planetis Terra intermedia (quod apparet ex ſyſtemate) inter Solem circumrapientem Mercurium, Venerem ab una parte, Martem, Jovem, & Saturnum ab extremâ parte, non ſimul circumrapiatur; hoc eſt, quænam ſit cauſa, quæ retineat Terram per aliquam vim, & à quâ vis illa dependeat, num ſit naturalis, pendens ab ordine & conſtitutione divina, in prima creatione latâ, adeoque ordinaria Dei providentia, num verò ſit immediata & extraordinaria Dei manus. Ordinaria Dei potentia eſſe nequit. Ordo enim naturæ eſt, ut, ſi corpora propinqua & remota, rapiantur ab aliquo, etiam intermedium, inter propinquum & remotum, ſimul circumferri neceſſe ſit, niſi aliquid impediat. Ducantur lineæ ex Sole per Terram & Planetas, per has lineas debet concipi vis Solis quaſi diffundi ſecundum Tychonem, ut rapiat Planetas ſuperiores, & inferiores; quod ſi ergò rapiat Planetas ſuperiores, nonne clarum, quod etiam terram debeat circumrapere intermediam. Vel poſito, quod intermedium non circumrapiatur, ut ponit Tychoniana hypotheſis, neceſſe eſt oſtendi, quid illud ſit, quod impediat; Nos id dicimus vel futurum immediatam & extraordinariam Dei manum, vel cauſam naturalem. At cauſa naturalis ab adverſario non adfertur, nec ulla afferri poteſt, neque ad extraordinariam Dei potentiam ſibi recurrendum cenſet. Ergo nulla talis datur, & per conſequens hypoth. Tychoniana eſt abſurda, nihilque ad eam ab abſurdo liberandam ab adverſario eſt reſponſum.

Digitized by Google

CAPUT XIX.

Objectiones contra delationem terræ à ſenſu & ratione deſumptæ refutantur.

CCCCXII. Noſtram ſententiam firmiſſimis niti rationibus ſuperiori capite probavimus, ſed ut nullum ſuperſit dubium, operæ pretium eſt, oſtendere, quam infirmæ ſint rationes, quæ pro Terræ quiete & Solis circa eam delatione proferuntur.

1. Objectio à ſenſu deſumta maximè movet homines vulgares, quorum præcipua notitia in ſenſu & ex ſenſu conſiſtit, taliſque poteſt formari. Solem moveri & circumire circa Terram quotidie ſenſu oculorum percipimus: At Terram moveri nullus nobis ſenſus teſtatur: Ergò illud potius, quàm hoc nobis eſt credendum.

CCCCXIII. Reſp. Non eſt, quod ſenſui admodum fidamus, cum propter illam magnam ſenſibilis remotionem nos facile fallere poſſit, præſertim ubi ratio contrarium planè docet, uti ſuperius vidimus. Senſus verò neque Solem neque Terram moveri nobis manifeſtum reddere poteſt. Apparentia enim ſenſus ſemper hic erit eadem, ſive ipſe viſus, ſive res ipſa moveatur, adeoque, quando nobis apparet Sol ex Cancro in Leonem, ex Leone in Virginem progredi, id duobus modis contingere poteſt; vel ut Sol ipſe reſpectu horum ſignorum mutet locum ſuum, & ſub illis circumferatur, vel etiam ut Terra cum vortice ſuo uſque ad Lunam (ea ſignificatione quam ſuprà annotavimus) locum ſuum ita mutet, delata à materiâ ambiente, ut ſpectator in Terrâ conſtitutus Solem nunc ſub his, nunc ſub aliis ſignis conſpicere poſſit. Similis ratio eſt, ſi motum diurnum, ſive Solis ſive Terræ ſpectes. 2. Sed ut illa fallacia viſûs tanto melius deprehendatur, conſideremus eos, qui navi, vel etiam curru vehuntur, quibus videntur littora, montes & arbores recedere, (hinc Virgilius: *provehimur portu, terræque urbeſque recedunt,*) cum tamen illi ipſi, qui in navi ſunt, ſimul cum navi à terrâ montibuſque recedant, eaque reſpectu ipſorum revera ſint ut quieſcentia ſpectanda, & cogitemus, eodem modo contingere poſſe, ut nobis unà cum terrâ circumvectis, videantur Sol & aſtra recedere. Ponamus autem porrò hominem aliquem in navi eſſe natum atque educatum, neque unquam extra eam fuiſſe, aliunde etiam edoctum non eſſe, terram & littora reſpectu ſui ut quieſcentia eſſe ſpectan-

ſpectanda, ſitque illa navis in vaſto mari conſtituta, inque eo perpetuò agitetur, ſed tamen ita ut littora conſpici poſſint, is firmiſſime perſuaſum ſibi habebit, & vel Jovem lapidem jurabit, non navem, in qua eſt, à littoribus, ſed littora à navi recedere. Cum ergò nos ab incunabulis noſtris in terra vixerimus, neque unquam extra eam fuerimus collocati, non mirum eſt, ſi Solem & aſtra aſpicientes, ea reſpectu noſtri moveri putemus, noſque in terrâ quieſcente conſiſtere exiſtimemus. Idque tanto magis, quod is, qui in navi ita conſideratur natus & educatus, ſaltem ſi extra navim in terrâ deponatur, hunc errorem etiam adminiculo ſenſûs poſſit corrigere: nos verò hoc adminiculo ſumus deſtituti, nunquam in hac vitâ extra Terram collocandi. Inde ergò oriri exiſtimemus, quod tam firma idea de motu Solis & aſtrorum per iſta ſenſuum præjudicia nobis ſit impreſſa, ut etiam, poſtquam rationem contrarium edocentem audiverimus, vix tamen illam priorem ideam ejicere poſſimus. Quemadmodum etiam contingit circa magnitudinem Solis, cujus in nobis per ſenſuum præjudicia idea eſt impreſſa, non major, quàm bipedalis. Quamvis enim poſtea rationibus Aſtronomicis evidentiſſimis edocti ſimus, Solem multo majorem eſſe ipſa Terrâ, quoties tamen viſu noſtro Solem iterum uſurpamus, prior idea ſemper recurrit. Non ergò ſenſum in tam ardua quæſtione, ſed rationem conſulamus, qua ſi rectè utamur (poſſumus autem ſi velimus) percipiemus, delationem duplicem non Soli, ſed Terræ convenire.

CCCCXIV. 2. Obj. At ſaltem ſentiremus motum ipſius Terræ, dum cum ipſa circumvehimur, etiam clauſis oculis, quemadmodum navi vectus motum navis ſentire poteſt. Nihil autem tale quiſpiam hominum expertus eſt? Ergo Terra non movetur.

CCCCXV. Reſp. Ex antecedentibus cognoſcere licuit totum verticem uſque ad Lunam una cum terra circumferri, cujus magna eſt quantitas, ut ejus diameter cenſeatur eſſe 2000000 milliarium Germanicorum; non mirum ergò eſſe debet, ſi Terra in iſto vortice delata non impingat, cum reverâ in eo quieſcat, uti ſuperius eſt oſtenſum. 2. Navis motus non ſentitur, ſi planè æquabiliter deferatur, nec à ventis vel fluctibus concutiatur; cum ergò & Terræ æquabilis ſit delatio, quandoquidem nihil eſt, in quod impingere poſſit, fieri nequit, ut nos cum ipſâ delati motum ejus ſentiamus.

CCCCXVI Obj. 3. Si Terra delatione diurna ferretur verſus Ortum, montes qui ſunt ad Occaſum, dum una cum terrâ deferuntur verſus Ortum viderentur adſcendere; at experientia nihil de eo docet. Ergò.

CCCCXVII.

CCCCXVII. Reſp. 1. Viſus hoc æſtimare non poteſt: montes enim non recedunt ab aëre ſibi contiguo, ſed unà cum illo, imò cum toto cœlo uſque ad Lunam circumferuntur. 2. Viſus illud, in quo exiſtit immotus, moveri non putat; ita ſi adſpiciat navim, etiamſi ab illa deferatur, moveri non putabit: quia ergò montes ſunt in illa planitie, cui nos inſiſtimus, dum à Terrâ deferimur, illorum delatio videri non poteſt.

CCCCXVIII. Obj. 4. Si Terra ferretur verſus Ortum ab Occaſu, apparerent aves, nubes, aliaque in aëre ſuſpenſa rapidiſſime ſemper ferri in Occaſum tanquam relicta à nimio terræ raptu. At hoc experientia non teſtatur.

CCCCXIX. Reſp. Neg. Connexio majoris; hæc enim omnia una cum terra feruntur, ab Occaſu verſus Ortum, neque à corporibus proximis & immediatè ſibi contiguis recedunt, uti ſatis apparet ex eo, quod oſtenderimus, non Terram ſeparatim, ſed à vortice ſuo delatam, qui longe ſeſe ab utraque parte extendit, deferri. Quemadmodum autem piſces in ſcapha piſcatoris aquæ plena & navi alligata, etſi huc & illuc diſcurſitent, ſemper tamen cum navi transferuntur, ita etiam cogitandum de volucribus & nubibus in aëre motis, quod ſemper in & cum iſto vortice transferuntur

CCCCXX. Obj. 5. Si Terra hoc velociſſimo raptu ab Occaſu in Ortum deferretur, ventus ex oppoſito ſentiri deberet perpetuus, quod experientia non docet.

CCCCXXI. Reſp. Procedit hæc objectio, ut & aliæ quam multæ, ex falſa ſententiæ noſtræ interpretatione; hoc enim ſequi deberet, ſi Terra aëri circumjacenti ſubriperetur, at cum ille una cum omnibus corporibus à terra uſque ad concavum Lunæ circumrapiatur, nihil quicquam tale poterit conſequi.

CCCCXXII. Obj. 6. Sequitur altera remora, ex ratione deſumpta contra delationem terræ annuam ſpeciatim objecta, quæ vel ſola multis viris doctis obeſt, ne hanc ſententiam veram amplecti queant. Eſt autem illa, quod tum orbis magnus, in quo terra circa Solem defertur, cujus diameter ſecundum Copernicum continet milliaria Germanica 2000000 ſit habiturus ad firmamentum rationem inſenſibilis puncti, adeoque mundi magnitudo in nimium ſit excretura, & quaſi infinita futura.

CCCCXXIII. Reſp. 1. Hoc argumentum moveat eos, qui magnalia Dei nimis parva conſueverunt concipere, eaque metiri volunt ad decempedam ſuæ imaginationis, quæ valdè eſt reſtricta, nec ulterius ſe

Digitized by Google

extendit, quàm ad concipienda illa corpora, quæ viſus circumeundo luſtrare poteſt. At ſanè nos parum afficit hæc objectio, imò potius noſtram ſententiam confirmat, cum nos mundi fines nullos poſſimus cognoſcere, mundumque ut indefinitum concipiamus, uti ex ſuperioribus potuit liquere. 2. Hominibus ex ſenſu ſolo opera Dei judicantibus etiam abſurdum videbitur, ſi dicas, Terram, cujus diameter continere dicitur milliaria 1718 $\frac{2}{11}$ vel etiam plura ſecundum alios, rationem habere inſenſibilis puncti ad firmamentum collatam, ſed Aſtronomi certa demonſtratione aliter edocti, hoc pro abſurdo non habent: quod ſi ergo firmamenti ambitum, vel potius circumferentiam, in qua una aliqua ſtella fixa collocatur, longè ampliorem concipias, quàm vulgo concipi ſolet, (quidni enim poſſes, cum nullis certis demonſtrationibus hactenus potuerit certa menſura ei aſſignari) etiam licebit illud punctum inſenſibile longe majus concipere. Imo amplius dico, non abſurdum fore, ſi ſtatuatur, totum illud planetarum ſyſtema, uſque ad Saturnum, adeoque ſphæram Saturni, quæ longè major concipi debet orbe illo magno, ad Firmamentum habere inſenſibilis puncti rationem. Cum enim nemo illam proportionem, quæ inter hæc intercedit, indagaverit, neque ullus indagare poſſit, ſi ad magnitudinem immenſitatemque Dei attendamus & ſecundum eam ipſius opera concipiamus, præſtat, illa potius maxima, quam parva, concipere. Quemadmodum autem argumentum Copernicanum, à nimis veloci raptu firmamenti deſumptum, oſtendi infirmum eſſe, neque rem benè attendenti perſuadere poſſe, ita idem judico de hac objectione, eamque ad magnalia Dei attendens, tanquam leviculam rejicio.

CCCCXXIV. Inſt. At ſi orbita, in qua terra defertur, habet rationem inſenſibilem reſpectu firmamenti: Ergò Sol, qui in ejus centro collocatur, erit quavis ſtellâ fixâ minor.

CCCCXXV. Reſp. 1. Nulla eſt Majoris connexio; fieri enim poteſt, ut ſtellæ fixæ habeant minorem circa ſe vorticem, quàm Sol, atque ita ſint minores; colligi enim potuit ex cap. præcedenti, proportionem aliquam inter vorticem & centrum ipſius intercedere, ſed nihil certi de eo concludi poteſt. 2. Neque id, quod tanquam abſurdum in Minore aſſumitur, tale poteſt oſtendi; quis enim dixerit, an non ſtellæ quædam, quæ ob nimiam forte à nobis diſtantiam nobis videntur valdè parvæ, ſint majores Sole? Sed hic nihil certi determinari poteſt.

CCCCXXVI. Succedunt nunc aliæ objectiones minoris momenti. Sit ergo objectio 7. Si Terra delatione annua circa Solem fertur, Sol

non

non erit dicendus Apogæus, & Perigæus, ſi vero circumducitur diurnâ circumvolutione Sol non dicetur oriri & occidere, quæ omnia ſunt abſurda.

CCCCXXVII. Reſp. 1. Aſtronomi receptas & vulgares voces non rejiciunt, etiamſi accuratiores dari poſſint, quia reddere debent cauſas apparentiarum, quæ vocibus à vulgo receptis efferuntur. Abſque hoc foret, non abſurdum fortè futurum, ſi Terra Aphelios & Perihelios diceretur. 2. Sol nihilominùs Oriri & Occidere dici poteſt, quia, ſive Terra circa axem ſuum convolvatur, ita ut nunc hoc, nunc alterum hæmiſphærium Soli obvertat, ſive Sol Terram circumeat, tamen ſemper ei parti Terræ Sol dicetur ortus, ſuper cujus Horizontem fuerit elevatus, hoc enim Ortus denotat, alteri vero hemiſphærio occidiſſe dicetur, ſub cujus Horizonte latuerit.

CCCCXXVIII. Obj. 8. Si Terra circa Solem deferretur, non futuri eſſent tales Planetarum adſpectus, quales nunc ſunt, Eclipſes Solis & Lunæ, phaſes ejuſdem non ita eſſent apparituræ, uti nunc apparent, quod utique abſurdum eſſet futurum.

CCCCXXIX. Reſp. Negari connexionem Majoris. Nam harum omnium apparentiarum cauſas æquè, imo forte melius explicare queunt Copernicani, quàm Tychoniani, vel Ptolemaici. Planetis enim, Mercurio, Veneri, Marti, Jovi, Saturno, & Lunæ, motus non demitur à Copernico. Ergo quando percurrunt Zodiacum, ſub quo etiam Sol è Terra conſpicitur, varias nihilominùs habere poterunt configurationes, & cum Sole, & inter ſe invicem, Eclipſis vero Lunæ ſemper continget, quando Terra erit in eâdem linea recta inter Solem & Lunam interpoſita: Solis, quando Luna inter Terram & Solem interjicitur, quæ omnia non minus fieri poſſe in ſyſtemate Copernicano & Tychoniano, luce meridiana clarius eſt. Similiter phaſes Lunæ ob circuitum, quem ea circa Terram conficit, ſeſe eodem modo ſemper habebunt.

CCCCXXX. Obj. 9. Si Terra deferretur circa Solem, ea inter Planetas erit referenda, quod oppido quàm abſurdum multis videtur.

CCCCXXXI. Reſp. Abſurdum fortaſſe erit illis, qui nominibus potius, quàm rebus inhærent, & ex illis potius ſcientiam ſuam conſarciunt, quàm ex ipſis rebus. Cum enim putent, Planetas, Venerem, Lunam, &c. nos propter propinquitatem plus vel æque aut ſaltem non multo minùs lumine ſuo afficere, quàm multas ſtellas fixas, vix aliam differentiam inter ipſos & ſtellas fixas, imo & Solem ipſum quoad lucem

Digitized by Google

agnoſcunt. At qui ultra voces aſcendere amant, & potius penetralia rerum ſcrutari volunt, quàm vocabulorum apicibus inhærere, illi norunt, magnam inter Planetas ab una parte, & Solem atque fixas ab altera eſſe differentiam, quod illi ſint corpora opaca, lucem nullam inſitam habentia, ſed tantum eam, quam à Sole acceperunt reflectentia, &, cùm cœleſtium eadem ſit materia, quæ terreſtrium, & ſimili modo reliqui Planetæ ſint formati, quo Terra, uti ex demonſtratione noſtrâ cap. præcedenti propoſitâ colligi poteſt, nihil abſurdi erit, ſi Terram in eodem ordine collocemus.

CCCCXXXII. Obj. 10. At L. p. 300. & 301. multis hanc ſententiam ſibi premere videtur argumentis, quæ breviter perſtringemus: *Cùm ſtellæ omnes ſint vel errantes vel inerrantes, Planetam eſſe non perſuadebit, niſi ſtellam eſſe conſtiterit. Stellarum autem numero Terram comprehendi, tam peregrinum rationi eſt, quàm quod maxime. Stellæ ſibi & Orbi lucent, idque noctu maxime. Terra niſi luce cœleſtium corporum detegatur, tenebris demerſa latet; nec unquam navigando Terram è longinquo videre potui, nec ſideribus cœli abſconſis, unquam ea nobis lucebat, quin & ne impingeremus in eam incauti, ſi propinquam eſſe ſuſpicaremur, timebamus. Stellæ cum cœlo devehuntur, & in eo eſſe ab omnibus creduntur. Terra quàm maximè Coelo oppoſita eſt, & locutione hominum & Sacræ Scripturæ teſtimonio. Vel principem apicem earum lege: In principio creavit Deus Coelum & Terram. Et hoc reſpectu ſæpè divini oraculo verbi ἄβυσσος Terra, Coelum ὕψος appellatur, & ut inter res remotiſſimas comparatio inde ſumitur Pſal. 103. Stellæ & omnia coeleſtia fluida corpora ſunt & ſubtilia: Terra craſſa, arida, & tactui reſiſtens, inde & ab ariditate* היבשה *quaſi proprio nomine inſignitur Gen. 1. 2. Terra hominum & belluarum habitationi data eſt: Planetæ nullis incolis frequentantur: & exploſa jamdiu veterum quorundam opinio eſt, ad Luciani veram hiſtoriam ableganda, Lunam arboribus, aquis ſtagnantibus, & profluentibus, montibus & hominum cultu eſſe habitabilem. 3. Coelum eſſe negat, ad quod adſpiramus, qui Terram inter Planetas numerat, aut jam ſumus in Coelo, ſi Terra eſt inter Planetas: aut ne Planetæ quidem & Stellæ & Sol ipſe in Coelo fertur, atqui ita Coelum in nuda verbi appellatione, figmentum vanæ rationis, non in rei veritate ſubſiſtit. 4. Scripturæ Sacræ hæc opinio, quàm maximè adverſatur.* Scommata, quæ hac occaſione in Carteſium jactat, lubens prætereo, nec enim par pari referre eſt animus.

CCCCXXXIII. Reſp. Qui bene conſideraverit demonſtrationem meam cap. antecedenti propoſitam, eamque cum Carteſii lib. II. & III. Principiorum contulerit, has objectiones ne reſponſione quidem dignas judi-

judicabit; ne tamen triumphum ante victoriam adverſarius, uti conſuevit, canat, pauca hæc regerere lubet. Ad primum argumentum velim notari, hoc argumentum oppido quam imbecillum eſſe, prolixe ex Logica ἀκροαματικῇ oſtendi poſſe. Diviſio enim ſtellarum in errantes & inerrantes vulgata cum ſit generis in ſpecies, debet neceſſario ex ipſis ſpeciebus ſive particularibus ſuum fundamentum habere. Cum Genus colligatur ex ſpeciebus, ſpecies ex individuis, uti omnes fere, qui doctrinam univerſalium tradunt, docent: Ergo prius conſtare debet, Planetas eſſe ſtellas, quàm ex hac diviſione aliquid queat inferri, ad quod natura Planetarum debet eſſe cognita atque perſpecta. Quo facto facile ſciam, an Terra ſit inter Planetas referenda, prout cum iis vel convenire, vel non convenire comperero. Manifeſta eſt ergo in hoc argumento petitio principii. Dein luditur in voce Stellæ: ſi per ſtellam intelligatur id, quod lumen aliquod præbet de ſe aliis corporibus, ſive proprium ſive reflexum, Planetas eſſe ſtellas non negabo: ſed ſi vox ſtellæ non niſi iis corporibus convenit, quæ lucem habent propriam inſitam, quam de ſe emittunt, manifeſtum erit, hos inter ſtellas non eſſe referendos. Quibus obſervatis, ſequentia ſuâ ſponte concidunt. Quemadmodum enim Planetæ reliqui, Luna imprimis, Venus, &c. lumen ad Terram reflectunt à Sole receptum: ita viciſſim Terram lumen ad Lunam & Aërem reflectere, nimis quam eſt notum; tenue enim illud lumen, quod aliquando in Lunâ novâ conſpicitur, non aliunde quàm à Terra provenire judicandum, & communiter Phyſici infimam Aëris regionem determinant ibi, ubi radii ſolares à Terra reflexi ita deficiunt & languent, ut calorem Aëris ſenſibiliter augere amplius non poſſint. Ut in tirone Phyſicæ vel Aſtronomiæ non ſit ferenda illa argumentatio: Terra noctu non lucet; Ergo nullum lumen reflectit. Cum enim nullum habeat lumen inſitum, non poteſt lumen reflectere, niſi præſente Sole, à quo recipit, quemadmodum & Luna tempore novilunii, lumen à Sole ad nos non reflectit, quia à parte nobis obverſa, tùm non eſt illuminata. Cui genuina eſt illa p. 303. qua ex eo, *quod à Terrâ ne vicina quidem maria, deliteſcentibus coelo ſideribus, ad diſpellendas noctis tenebras, ſcintillam ullam lucis accipiunt*, inferre vult: Lunam in novilunio non recipere lumen à Terra reflexum, ignorans quod Novilunium fiat, in Lunæ cum Sole conjunctione, eaque non noctu, ſed interdiu concipi debeat à Terra lumen reflexum recipere. Sed profecto, qui talia capere non poteſt, à Carteſii impugnatione, cujus profundam doctrinam omnes cordati mirantur, abſtinere debuiſſet. Terram porrò à materia cœleſti devehi, ex mea demonſtratio-

Digitized by Google

ne liquere poteſt, ſed propterea non eſt ipſum Cœlum, eique nihilominùs opponi poteſt, quemadmodum & Sol & Planetæ poſſunt. Cœli vero vocem variè in Scriptura ſumi, nimis quam notum eſt, ut non abſurdum ſit, ſi quodam ſenſu Terra in Cœlo eſſe dicatur, quatenus Aëre fluido, qui nomine cœli etiam venit, circumcingitur. Quomodo Cœlum dicatur ὕψος, Terræ vero imum tribuatur, liquere poteſt ex ſuperioribus. Tertia etiam differentia, quam inter ſtellas & Terram conſtituit, nobis nihil quicquam obeſt. Agnoſcimus, ſtellas fixas eſſe corpora fluida & ſubtilia, ſed Planetas opacos eſſe ex luminis reflexione patet. Nec igitur Terram in numerum ſtellarum fixarum referimus, ſed ut pro Planetâ habeatur, abſurdum eſſe non putamus.

CCCCXXXIV. Ad ſecundum argumentum reſpondeo 1. ſufficere, ſi Terra in luminis reflexione adeoque opacitate, ut & motu circa Solem, uti demonſtratum, cum Planetis conveniat, ut ad unum Planetarum redigi poſſit. 2. An vero Luna arboribus &c. ſit referta, non conſtat, ſed tantùm, quod partes quaſdam habeat altiores quaſdam depreſſiores, impoſſibile tamen eſſe, aut omnino abſurdum non judicamus, malo verò ab eo determinando abſtinere, quia hactenus nullæ ſufficientes rationes viſæ quæ vel hoc vel contrarium evincerent. Ad tertium dico: Si Cœlum pro Aëre ſumatur, nos omnino jam eſſe in cœlo, ſed non propterea in cœlo Beatorum, ad quod adſpiramus, & in quo Terram eſſe negamus. Ad quartum, hanc ſententiam noſtram Scripturæ Sacræ non adverſari, paulo poſt ſumus oſtenſuri.

CCCCXXXV. Obj. 11. Contra Terræ delationem talis profertur. Si Terræ competeret motus circularis, ſive is ſit motus converſionis diurnæ circa proprium axem, ſive etiam annuæ circa Solem, hujuſmodi motus deberet ei eſſe naturalis, & ab interno aliquo ejus principio provenire. Neque enim explicari poſſe videtur, à quonam principio externo iſte motus efficiatur, niſi ad cauſam primam Deum videlicet, vel intelligentiam aliquam hunc effectum referamus. Non poteſt Terræ eſſe naturalis hic motus, quia corpori ſimplici unus tantùm motus convenire poteſt, qui, cum rectus ſit Terræ conveniens, non poteſt alius quiſpiam ei attribui. Urgetur iſtud argumentum hoc modo à Gerhardo de Neufville, Philoſopho dum viveret acuto, qui ſi ſolidiora principia habuiſſet, magni quid fuiſſet præſtiturus, in diſputatione prima (quam an plures fuerint ſubſecutæ me latet) qua Terræ delationem evertere conatur.

CCCCXXXVI. Reſp. Varia in hoc argumento ſunt notanda.

1. Motus

1. Motus circularis, qui Terræ tribuitur, vel potius Delatio poſſet dici Naturalis, ſi conſideretur ei convenire ſecundum ordinem & leges naturæ, uti à nobis demonſtratum, & ſic omnis Motus naturalis dici poteſt: Poteſt etiam dici Non-naturalis, tùm hoc ſenſu, quatenus pendet à principio externo, nempe materiâ cœleſti ambiente, & ſic iterum omnis motus non-naturalis dici poteſt, cum nihil quicquam à ſe ipſo moveatur: tùm illo ſenſu, quo Motus is non requiritur ad Terræ eſſentiam, cùm, etiamſi quieſceret, ſuam naturam non dicenda eſſet mutâſſe, quâ ratione Motus quibuſdam corporibus eſt naturalis, verbi gratiâ, igni qui ſine motu eſſe non poteſt. Alium autem motum naturalem, qui conveniat corpori, ex ſua natura, eique ſit inſitus, non admittimus: Formas etiam aliquas ſubſtantiales realiter diſtinctas à materia in aliis corporibus præterquam humanis dari negamus, quod ut prolixius demonſtremus, non eſt hujus loci. 2. Corpori cuilibet ſimplici, ſi ſeparatim ab aliis corporibus conſideretur, competere, ut à centro ſui motûs ſecundum lineam rectam recedere conetur Prop. 9. cap. præcedentis demonſtravimus, ſed propter alia corpora circumſtantia fieri poteſt, ut in circulum feratur, idque eatenus etiam ipſi eſt naturale, quatenus ſecundum leges naturæ ei contingit. 3. Terram eſſe corpus ſimplex faciliùs aſſeritur, quàm probatur, oriturque hæc opinio, ex illa fictitia compoſitione omnium corporum, ex quatuor elementis vulgò ita dictis; Igne, Aëre, Aquâ, Terrâ. Terra verò ex pluribus partibus heterogeneis conſiſtit, quam vel plumbum, vel lapis. 4. Terræ rectum motum per ſe competere alio ſenſu, quam quatenus circulariter delata à centro ſui circuli ſemper recedere conatur, non admittimus. Inſt. At dicas: Motus, qui partibus Terræ competit, etiam toti Terræ convenire eſt cenſendus: At motus rectus deorſum ad centrum Terræ partibus competit: Ergo etiam Terræ naturaliter convenit motus rectus. Inde enim Terræ partes hunc motum rectum obtinent, quia cum Toto naturam communem habent. Reſp. Motus ille, quo tanquam graves Terræ partes tendunt deorſum, non competit ipſis ex principio aliquo inſito, ſed quod globuli Cœleſtes in Terram impingentes undiquaque dum ab ea reſiliunt, corpora quæ in Aëre inveniunt, ut ſibi ſpatium à Terra recedendi faciant, verſus illam deprimunt, uti id à Carteſio Princip. IV. art. 20. & ſeqq. uberius demonſtratur. Hic ergo idem motus non poteſt ipſi Terræ competere, ſed alius quiſpiam, quo, ſi extra ſuum locum poſita eſſet ſive verſus Solem propius, ſive ab eo remotius, ſemper ad hunc locum, in quo nunc eſt, eſſet depellenda, ex Prop. 26. cap. præcedentis.

CCCCXXXVII.

Digitized by Google

CCCCXXXVII. Obj. 12. Si Terra moveretur motu adeo rapido, ut ſpatio 24 horarum circa axem ſuum convolveretur, verendum, ne illa per hunc motum diſſiparetur, ædificia corruerent, turres conquaſſarentur, creſcentia hoc motu impedirentur, & deſtruerentur. B. D. p. 46. argumentum latius deducit. *Nihil eſt, quod facilius ſub intellectum noſtrum cadit, quam, quod illud debeat eſſe quietum, in quo homo, aliaque animalia vivent, movebuntur, & actiones ſuas peragent, prout multò commodius in Terrâ firmâ ambulamus & noſtra peragimus, quam in navi celerrime mota: contrà vero; quomodo Terra tam rapidè motu duplici acta commodum poſſit exhibere hominibus aliiſque habitaculum, hactenus, quæ mea eſt ſtupiditas, quidquid dicant Galilæus, Lansbergius, aliique Copernicani, percipere non potui: & hac occaſione rationem meam paucis aperiam: Motum tribuunt Terræ duplicem, Diurnum & Annuum, Diurno ſemel circumvolvitur terra ſpatio 24 horarum; ambitûs autem Terræ, eſt milliarium 5400, quorum quindecim uni gradui correſpondent, quæ ferè æqualia ſunt viginti milliaribus horariis, quorum unum cum virgis 1600 fere convenit, ita ut ambitus Terræ comprehendat milliaria horaria, 7200, quæ ſi in horas 24 dividantur, palam erit habitatores ſub Æquatore ſpatio horario ab Ortu in Occaſum moveri milliaria 300. & ſcrupulo primo milliaria 5, ſcrupulo autem ſecundo, id eſt, puncto temporis, virgas 133. Sed & hic motus exiguus reſpectu ejus, quem ſpatio annuo in Zodiaco abſolvere debebit, ſemidiameter enim orbis magni Terræ comprehendit ex ſententia Lansbergii, Uranom. p. 122, 1498, cum dimidio ſemidiametros Terræ, id eſt, milliaria 1717155, & per conſequens totus diameter 3434310, unde porrò liquet, ex proportione diametri ad circumferentiam, ambitum magni Orbis eſſe milliarium horariorum 10789193, qui ſi dividantur in dies 365, hor. 5-49. habebitur motus diurnus in Zodiaco milliar. horar. 29539, eritque motus unius horæ, milliarium 1230, & ſcrupuli primi milliar. 20. ſecundi autem virgarum 533, qui motus rapidiſſimus cum quiete hominum & animalium in terra degentium, ambulantium, quieſcentium &c. meo judicio eſt irreconciliabilis.*

CCCCXXXVIII. Reſp. Nihil eſt in noſtrâ ſententiâ hic periculi. Si enim ſtatueremus, omnia ſpatia circa Terram, quæ ab ipſius materia non occupantur, nihil continere, niſi corpus, quod motus aliorum corporum nulla ratione impediret, nec juvaret, tum quidem futurum eſſet, ut propter circumvolutionem Terræ circa ſuum axem, illæ omnes ejus partes, quæ ſibi mutuo non eſſent firmiter alligatæ hinc inde verſus Cœlum diſſilirent: Eodem modo, quo videre licet, dum turbo gyrat, ſi arena ſupra ipſum conjiciatur, eam ſtatim ab illo recedere, atque in

omnes

omnes partes diſpergi, uti Carteſius docet Princip. IV. art. 21. At cum noſtra ſit ſententia, Terram in vortice tanto, qui ſe extendat uſque ad Lunam, deferri, tum annuâ delatione circa Solem, tum diurnâ circa proprium axem, globuloſque cæleſtes omnia corpora gravia verſus Terram deprimere, uti art. 20. Carteſius Princip. IV. oſtendit, quomodo motus hic quieti animalium, ædificiorum, creſcentium in Terra &c. obeſſe poſſit, non video. Terra enim planè quieta cum omnibus corporibus uſque ad concavum Lunæ circumfertur, uti ſæpius ſententiam noſtram hanc eſſe teſtati ſumus.

CCCCXXXIX. Obj. 13. Si Terra deferretur duplici delatione, tunc nullum corpus aut ſurſum emiſſum, aut ſuperne demiſſum ad perpendiculum caderet, ſi dum volaret in aëre, locus Terræ ſubduceretur: quemadmodum emiſſa ſagitta dum navis transfertur, ad perpendiculum non recidit.

CCCCXL. Reſp. Supponitur ac ſi noſtra ſententia eſſet, Terram ab aëre ſeparatam propriè moveri. Cum vero dicamus, Terram in ſuo vortice deferri, cogitandum eſt, etiam omnia quæ in iſto vortice continentur, ſimul deferri. Quare delato Terræ loco, è quo ſagitta emittitur, etiam ipſa ſagitta emiſſa in aëre motu communi iſtius vorticis circumfertur, unde fit, ut perpendiculariter decidat. Quod ſi vero ſagitta quædam tranſmitti poſſet ultra Lunam, illa quia non communi iſtius vorticis delatione deferretur, ſi recideret in Terram, ad perpendiculum utique delapſura non eſſet. 2. Experimentum adductum aliter ſe habet. Obſervatum enim ſagittam è puppi emiſſam in eam recidere, quod exinde contingere poteſt, quod navis ſuum motum toti circumſtanti aëri imprimat, qui ſagittam ſimul defert, ut ita delapſa in eundem recidat locum. 3. Quamvis experimentum in Objectione propoſitum ita ſe haberet, attamen nobis non efficeret, cum navis revera moveatur, ſed Terra in vortice ſuo delata revera quieſcat. 4. Motus lapidis projecti ad Terram, vel etiam ſagittæ emiſſæ motus verſus Terram non eſt exacte rectus & per lineam rectam, ſed potiùs ſuper lineam parabolicam, quia interim, dum ad Terram lapis vel ſagitta deprimitur, defertur à vortice Terræ. Apparet tamen omnibus rectus, quia non animadvertunt eam delationem, per quam unà cum Terra circumferuntur, quemadmodum etiam accidit navi vectis.

CCCCXLI. Obj. 14. Si Terra circumvolveretur ab Occaſu in Ortum, tunc globus bombardicus verſus Occaſum emiſſus longius tenderet: ſubduceretur enim interim ipſa machina; is vero, qui verſus Or-

tum exploderetur, brevius ferretur, quia machina eum conſequeretur: quæ omnia cum Experientia pugnant.

CCCCXLII. Reſp. Nulla eſt in Majore connexio Antecedentis cum Conſequente. Nam globo verſus Occaſum emiſſo, quantum ei ſubducitur machina, tantum etiam ille globus verſus machinam à motu communi vorticis repellitur: & contra globo in Ortum exploſo, quantum machina ſubſequitur, tantum etiam additur delationis globo à vortice Terræ. 2. Quod ſi Minor negaretur, ea experientia probari non poſſet (quamvis ſi Terra propriè moveretur, hoc eſt, ab aëre vicino ſepararetur, rem ita ſe habituram, ut Minor ponit, per rationem colligi poſſet) eſſet enim hæc differentia celeritatis inſenſibilis, cum 2 temporis minutis eum milliare abſolvere compertum ſit.

CCCCXLIII. Hæ ſunt Objectiones, quas nobis contra hanc ſententiam prolatas videre contigit, nunc Corollarii loco addam refutationem eorum, quæ L. p. 307. porrò contra hanc ſententiam depromit. *Obſervandum*, inquit, 1. *Terram in Cœlo ſuo eſſe, ex ſententia Carteſii, ut Planetæ ſuo quique coelo volvuntur. 2. Navis exemplum magis evertere motum Terræ, quam ſtabilire. Si quidem navis malacia deprehenſa, nec ventis ullis aut remis propulſa, etſi in latus interdum concutiatur, nihil tamen aut parum admodum progreditur. 3. Si Terra ſuo coelo circumfertur, Planetæ ſuo, & Sol, qui Carteſio inter ſtellas fixas. fruſtrà à Joſuâ Sol ſtare juſſus, & Luna quieſcere, ſi Terra nihilominus coeli ſui motu rapta eſt, nec diei ſtatum & quietem morata. Sed Scriptura ad opinionem vulgi, non ad rei veritatem Carteſio judice loquitur; ideoque hoc & ſimilia facta non urgemus. 4. Si Terra ſuo in Coelo quieſcit, alieno tantum motu delata, Sole in medio mundi quieſcente, circa quem omnes Planetarum orbes in gyrum torqueantur: altera pars Terræ nunquam à Sole averſa, perpetuo die fruitur, altera eidem ſemper averſa, nocte ſempiternâ premetur, quod ratio & experientia ſecus eſſe docet. 5. Mercurium tribus menſibus curſum ſuum abſolvere, contra Aſtronomorum circa phænomena obſervationem eſt: quod tamen fieri non miremur ſi interiori prope Solem gyro vertatur.*

CCCCXLIV. Reſp. In primo, quod obſervari vult, nihil eſſe abſurdi, jam antè art. 431. eſt evictum. Ad ſecundum conſiderandum, Carteſium exemplo navis nullis remis nec ventis impulſæ, nec anchoris alligatæ, quæ in medio maris poſſit quieſcere, etſi fortè aquæ ingens moles occulto curſu delabens ipſam ſecum ferat, uti, ad oſtendendum, delationem cum quiete corporis delati non pugnare. Supponit autem, illam navem deferri vel à mari æſtu marino defluente, vel à mari tenden-

te

te verſus Ortum (quod ex eo deprehenditur, quod magnæ navigationes ſint multò tardiores & difficiliores verſus partes Orientales quàm Occidentales,) vel collocatam etiam eſſe in quibuſdam maris anguſtiis, in quibus aqua ſemper fluit verſus Occaſum. Ad tertium reſpondebimus ſuo loco. Notamus tantum, nullibi dicere Carteſium *Solem circumferri ſuo coelo*, quin contra, Solem eſſe cauſam circumvolutionis ſui cœli circa ſe, dum circa axem ſuum circumvolvitur, diſcere potuiſſet ex art. 84. Pp. III. In quarto & quinto oſtendit, quàm parum ſit aptus ad congreſſum cum Carteſio, cùm tam leviter res Aſtronomicas & Phyſicas, etiam vulgò notas, habeat perſpectas. Nonne enim omnes, qui Copernicanam ſententiam habent perſpectam, nôrunt, ipſum ſtatuere, dum Terra circumvolvitur circa ſuum axem, fieri, ut nunc hæc pars, nunc altera die aut nocte fruatur? quæ eadem ſententia eſt Carteſii & noſtra, quam hic defendimus. Similiter, nonne in confeſſo eſt apud Aſtronomos nunc ferè omnes, Mercurium tribus menſibus circa Solem curſum ſuum abſolvere? Ipſe Tycho, & omnes qui ipſum ſequuntur, hoc ſtatuunt, idque cum phænomenis benè convenire agnoſcunt. Unicum cito Gaſſendum (nec enim plures in re adeò notâ lubet aperire) qui Inſtit. Aſtronom. cap. 12. in quo Tychonianum ſyſtema mundi deſcribit, ita loquitur: *Adhuc* (ſtatuit ſc. Tycho) *quinque ſtellas errantes motus ſpeciales circa Solem tanquam circa centrum obire, Mercurium ſcilicet trimeſtrem, Venerem octimeſtrem, Martem biennem &c.* Sed fortaſſe non aſſurrexit adverſarius ultra levem quandam cognitionem Syſtematis Ptolemaici, quod quidem nunc ab omnibus ferè Aſtronomis rejicitur, propter multifarias abſurditates; in quo Mercurius & Venus eodem ferè tempore cum Sole curſum ſuum ſtatuuntur circa Terram abſolvere; quî tamen tàm audacter proclamare poſſit, id eſſe contra Aſtronomorum circa phænomena obſervationes, ſatis nequeo mirari! Carteſius autem quando dicit art. 31. Pp. III. Mercurium circuitum ſuum tribus menſibus abſolvere, expreſsè circa Solem mentionem facit.

CCCCXLV. Atque hæ ſunt Objectiones contra hanc Terræ delationem militantes, quas mihi videre licuit, ex quibus refutatis, apparebit, opinor, quàm infirmis contraria ſententia tibicinibus nitatur, noſtraque magis confirmabitur. Quod ſi verò hæ reſponſiones ad objectiones alicui videantur fluere ex aliis Principiis, quàm vulgò receptis, nec tamen à me omnia demonſtrata inveniat, ſciat, hoc operis inſtitutum pati non potuiſſe, & mihi ſatis fuiſſe, quòd Objectiones adverſariorum enervaverim, eas invalidas eſſe planè demonſtrando. Ac ſi non gravetur

Digitized by Google

Carteſii in hanc rem edita, Meditationes & Principia, cum attentione accuratâ pervolvere, non dubito, quin ea omnia quæ in Objectionibus reſolvendis à me ſunt aſſumta, ſit ibi demonſtrata reperturus.

CAPUT XX.

Carteſius Auctoritatem Scripturæ omnibus ſuis ratiociniis anteponit, & ego cum ipſo. Ejus Auctoritati ut nec infallibilitati, repugnat ſententia de ſtylo Scripturæ vulgari circa res naturales. Status Controverſiæ iſtius quæſtionis conſtituitur.

CCCCXLVI. Specimen vidimus Carteſianæ Methodi Philoſophandi, quâ non quærens in libro Scripturæ doctrinam, quæ non ineſt, Philoſophicam, ſed in ſemetipſo & vaſto mundi volumine, attendendo ad notiones menti inſitas, & per ſenſus ſæpe excitatas, diſtinctaſque à confuſis ſecernens, à primis cauſis & Principiis, maximè evidentibus, per manifeſtas conſequentias varias ſpeciales veritates deduxit. At libro Scripturæ omnino divinam attribuit Auctoritatem & infallibilem veritatem, cui ſeſe debeat omnis intellectus ſubjicere, quandocunque de iſto teſtimonio eſt perſuaſus, ſive, quando novit, hoc vel illud Spiritum S. in ſuo verbo teſtari.

CCCCXLVIJ. Huc faciunt loca ſeqq. Pp. I. art. 25. *Ita ſi fortè nobis Deus de ſe ipſo, vel aliis aliquid revelet, quod naturales ingenii noſtri vires excedat, qualia jam ſunt myſteria Incarnationis & Trinitatis, non recuſabimus illa credere, quamvis non clare intelligamus; nec ullo modo mirabimur, multa eſſe tùm in immenſâ ejus naturâ, tum etiam in rebus creatis quæ captum noſtrum excedant,* Et Art. 76. *Præter cætera autem, memoriæ noſtræ pro ſummâ regulâ eſt infigendum, ea quæ nobis à Deo revelata ſunt, ut omnium certiſſima eſſe credenda. Et quamvis fortè lumen rationis, quàm maximè clarum & evidens, aliud quid nobis ſuggerere videretur, ſoli tamen auctoritati divinæ potiùs, quàm proprio noſtro judicio, fidem eſſe adhibendam: ſed in iis, de quibus fides divina nihil nos docet, minimè decere hominem Philoſophum, aliquid pro vero aſſumere, quod verum eſſe nunquam perſpexit; & magis fidere ſenſibus, hoc eſt, inconſideratis infantiæ ſuæ judiciis, quam maturæ rationi.*

CCCCXLVIII. Huic ſententiæ totus conſentio, atque apud me tanta eſt Scripturarum S. Auctoritas & Infallibilitas, ut omnem meam ratio-

rationem & ſenſus potius velim ejurare, quam vel dubitare de eo, quod cognoverim à Scripturâ doceri, ſive à Deo loquente in eâ affirmari vel negari, paratuſque ſim renunciare omni ſententiæ, quam S. Scripturæ verè repugnare fuerit oſtenſum. Atqui hæc Auctoritas & Infallibilitas Scripturæ S. communiter obtinet apud omnes Chriſtianos, niſi quòd Sociniani exiſtiment: *Scriptores ſacros in levioribus quibuſdam errare potuiſſe*, quibus ab omnibus aliis contradicitur, hoc præcipuè argumento nitentibus, quod Sp. S. illa, quæ iſtis Scriptoribus inſpiravit, ac per eos voluit teſtari, ſine maculâ erroris voluit teſtata relinquere. Sed quænam ſint illa, quæ Scriptura teſtatur, quæ docet atque credenda proponit, de eo diſquiritur adhuc hodiè inter varias ſectas & religiones, illudque ejus teſtimonium (quod ſunt verba Scripturæ ritè intellecta) per media interpretandi ritè adhibita eſt cognoſcendum.

CCCCXLIX. Quantumvis autem Carteſius Reſponſ. ad ſecundas Obj. p. 75. occaſione data per object. contra Dei Infallibilitatem inquiat: *Omnibus eſt nota diſtinctio inter modos loquendi de Deo ad ſenſus vulgi accommodatos, & veritatem quidem aliquam, ſed ut ad homines relatam continentes, quibus Sacræ literæ uti ſolent; atque alios nudam magis veritatem, nec ad homines relatam exprimentes, quibus omnes inter Philoſophandum uti debent*; atque nos eoſdem modos loquendi à Scriptura de rebus naturalibus dicamus uſurpari, id tamen cum Scripturæ Auctoritate vel Infallibilitate pugnare nullatenus exiſtimamus, prout in ſequentibus oſtendemus. Ordine itaque progredientes, primo demonſtrabimus, *hunc Scripturæ ſtylum eſſe*, quem poſteà, *Auctoritati & Infallibilitati Scripturæ nihil quicquam detrahere* evincemus.

CCCCL. Ut autem prius rectè peragatur, ante omnia, quid hic in quæſtionem veniat, bene conſiderandum, ad quod intelligendum, velim Lectorem repetere caput primum hujus tractatûs, & imprimis art. 21, 22, & 23. In iſto capite oſtendimus, quid ſit notitia communis & vulgaris, &, quomodo ſermo, à vulgo inventus, ſit ei appropriatus. Prout enim notitia illa communis veritatem aſſequitur, ita & ſermo ei accommodatus eam exprimit: ſi ea nudam veritatem fuerit aſſecuta, etiam ſermo nudam exprimit; ſin veritatem quidem aliquam generalem, ſed confusè perceptam, adque homines & eorum ſenſus relatam atque præjudiciis involutam notitia communis deprehenderit, etiam ſermo vulgaris talem veritatem exprimit.

CCCCLI. Statuimus ergò, *Scripturam de rebus naturalibus loquentem ſermone vulgari uti, ſive nudam veritatem exprimat, ſive ad homines eorumque*

que ſenſus relatam atque præjudiciis & erroribus involutam. Ac prius quidem extra dubium eſt, ſed de poſteriori inter nos & adverſarios controverti videtur. Nec alius, quàm ſequens poteſt eſſe ſtatus Controverſiæ, ſi ſint, qui omninò adhuc nobiſcum contendere velint : *An Scriptura de rebus naturalibus loquens adhibeat formulas communi uſu tritas, veritatem quidem aliquam, ſed ad homines eorumque ſenſus relatam & præjudiciis atque erroribus involutam referentes, κρίσιν ſuam circa præjudicia non interponendo; An verò, ubi vulgares locutiones innituntur multis firmiſſimè radicatis & necdum depoſitis præjudiciis, eas mutet in accuratas & Philoſophicas?* Ego prius affirmo, poſterius nego.

CCCCLII. Quid hic per *nudam veritatem* intelligatur, ex oppoſitione eſt manifeſtum, nimirum talis, quæ ad homines eorumque ſenſus non ſit relata, quæque præjudiciis & erroribus non ſit involuta. *Veritas verò, ad homines eorumque ſenſus relata, eſt*, quando res denominantur à varietatibus iſtis & qualitatibus, quas in noſtris ſenſibus efficiunt: v. g. quando rebus tribuimus lucem, colorem, ſonum, odorem, calorem, gravitatem &c. propterea quod ſenſus noſtros his diverſis modis afficiunt. Quod ſi quis ſic loquens etiam putaverit, reverâ lucem, colorem, ſonum, &c. his ipſis rebus, quæ inde denominantur, ineſſe, etiam *Præjudiciis involuta eſt veritas, ſermoque iis præjudiciis innititur*, quo tamen generalis aliqua veritas ita ſignificatur, ut modus ſignificandi eam à præjudiciis habeat ortum. Ita dum res colorata, calida, gravis &c. dicitur, veritas quidem ſignificatur, quod ſit aliqua in re illa varietas, propter quam ſenſus coloris, caloris, gravitatis &c. in me excitatur. Ita ſermo præjudiciis eſt involutus, quando Sol oriri & occidere dicitur &c.

CCCCLIII. Semper tamen Scriptura his phraſibus utens aliquam veritatem exprimit, ſed generalem, quæ ſub illis involucris latet, quæque ab iis eſt ſeparanda. Quid enim & quantum per tales formulas doceatur & ſignificetur ex circumſtantiis ſermonis & perſonâ iis utente eſt judicandum. Si utens iſto ſermone ſit homo, qui ultra vulgarem cognitionem non aſcenderit, Philoſophicâ cognitione non imbutus, vel in univerſum, vel de re de quâ loquitur, atque ex circumſtantiis ſermonis pateat, quod præjudiciorum & errorum, quibus ejus ſermo innitetur, ſignificatio ad ejus inſtitutum faciat, quin ea per ſuum ſermonem ſignificet & doceat non eſt dubitandum. Si ſit homo ſapiens, Philoſophicâ cognitione rerum imbutus, vel in univerſum, vel circa rem de quâ loquitur, multò magis, ſi ſit Spiritus Sanctus omnis ſapientiæ auctor, qui nullis erroribus vel præjudiciis obnoxius eſſe poteſt, ſique ex circum-

ſtantiis

Digitized by Google

ſtantiis ſermonis fiat manifeſtum, eorum ſignificationem non requiri ad ipſius ſcopum, nullum dubium eſſe poteſt, quin non præjudicia, ſed veritatem tantum generalem, ſub illis involucris latentem, verba illa doceant & ſignificent.

CCCCLIV. Atque in hâc ipſâ ſententiâ, quam articulo 451 conſtitui, mecum conſentiunt adverſarii, contra quos in ſequentibus ſum diſputaturus, ut ita à limine ſtatim appareat, eos, dum ſeſe mihi opponunt, cum umbrâ ſuâ vel ſecum ipſis luctari. Sic B. p. 261, inquit: *Non omnis qui ſecundum apparentiam loquitur, negat rei veritatem, ſed ſæpè tantùm determinat rei veritatem, prout ſeſe nobis exhibet.* Hoc autem eſt quod ego volo; patet enim ex dictis hîc & in Diſſertationibus, quod nec ego ſtatuam, Spiritum Sanctum ſecundum apparentiam loquentem, veritatem rei negare. P. 105. ad locum Jud. com. 13. concedit *per ἀστέρας πλανήτας* Planetas propriè *dictos intelligi, eoſque ab Aſtronomis, ita,* inquit, *appellatos, quia ab ipſis obſervantur varii illorum motus apparentes, quibus hominibus errantibus ſimiles videntur.* Ergò denominationem acceperunt ab apparentia, quæ cum rei veritate non convenit; reverâ enim non errant, adeoque utitur Spiritus Sanctus formulis uſu tritis, etſi opinionibus erroneis nitantur, ut nunc in alia loca adverſarii non inquiram. Similiter M. p. 115 dicit, *ſufficere dummodò ſtatuamus cordis vocabulum ea vere ſignificare, quæ Spiritus Sanctus eo nobis ſignificare intendit, ſive ea vera ſignificatio errorem aliquem auctorum iſtius phraſeologiæ ſupponat ſive non*; quo non commodius meam potuiſſet exprimere ſententiam. Sic p. 215. *Concedimus libenter, poſſe Scripturam proponi linguâ aliquâ vulgari, in quâ multæ ſunt locutiones vulgares & à communi loquendi uſu deſumptæ, erroneis opinionibus innitentes* NB. *id eſt, talibus ubi rei veræ erronea opinio vulgi hoc vel illud imponit nomen; quæ interim rem intentam uſu verè ſignificet,* NB. Sic p. 216. *Concedimus* 1. *non omnes hujuſmodi locutiones errori alicui vulgari innitentes, dummodò ex uſu rem ſignificandam verè ſignificent, eſſe evitandas.* 2. *Nec etiam tùm orationem in contrarium eſſe flectendam.* 3. *Multo minùs errorem in rebus naturalibus eſſe notandum & refutandum,* (omne ergò conceditur quod ego intendo.) *Hoc tantum dicimus, multa in ſe falſa in Scripturam debuiſſe admitti, potius iſtorum falſorum mentionem plane ſupprimendam fuiſſe, cùm ad nihil ſit utilis* (quæ prout oppoſite intelligenda ad antecedentia, ut deſignetur, *Scripturam non docere, teſtari, ſignificare falſum,* libentiſſimè admitto.) Judicet nunc æquus Lector, num ego, num adverſarius cum umbrâ ſuâ luctetur. Nec video aliam ſententiam eſſe H. p. 198, quando inquit: *Balbutivit Spiritus Sanctus in modo* NB *proponendi rem, non autem in re ipſâ.*

Quod

Quod autem mihi videtur tribuere, Spiritum Sanctum balbutire in re ipſa cum vulgo, ut falſum ſignificet & teſtetur cum ipſo, id à Sacrâ Scripturâ & mente meâ alienum eſſe proteſtor. Sed manifeſtiùs conſenſus noſter pateſit ex ipſius verbis, p. 248. *Spiritus Sanctus mutuatus hic eſt verbum ſeu nomen opinionis à populo, non verò opinionem*, quæ eſt ipſiſſima ſententia mea, quam hîc defendo. Item p. 239. *Spiritus Sanctus nautarum more loquendi phraſes, ſicuti prolatæ ſunt, deſcribi juſſit.* Item: *Eſſe locutionem à communi viſûs errore deſumptam Act.* XXVII. 27. De illo adverſariorum conſenſu qui plura cognoſcere voluerit, legat caput hujus noſtri Tractatus XXIII. Et ſane nemo eorum, cum quibus hâctenus ſui congreſſus, negare fuit auſus, *in linguâ vulgari, quâ Sp. Sanctus utitur, dum voluntatem ſuam de ſalute nobis revelat, reperiri phraſes erroneis vulgi opinionibus innitentes, iiſque Spiritum Sanctum ſolere uti, non per eas ullos errores exprimendo, ſed ſemper aliquam veritatem docendo.* Et hoc ſolum eſt, quod & nos negare non audemus. Quemadmodum verò illi negant, *Spiritum Sanctum in Scripturâ loquentem adoptare vulgi præjudicia & errores, eoſque in Scriptura docere*, ita & ego hoc ipſum conſtanter nego.

CCCCLV. Hanc meam ſententiam ſatis etiam mihi videbar expreſſiſſe in editione Diſſertationũ. Quamvis enim uſus fuerim formulâ à Copernicanis uſurpatâ, dicendo: *Spiritum Sanctum ſæpe loqui ex opinione vulgi & ſecundum apparentiam, non ſecundum rei accuratam veritatem.* Item, *Scripturam ſæpiſſime de rebus naturalibus loqui ut apparent, non ut ſunt ſecundum ἀκρίβειαν Philoſophicam.* Item: *Scripturam de rebus naturalibus loquentem non accuratam ſemper veritatem, ſed potiùs ſenſum & opinionem vulgi ſæpiùs ſequi*, tamen ſatis ex explicatione paſſim data potuit patere, me non ſtatuere, Spiritum Sanctum desertâ veritate opinionem erroneam vulgi aſſumere, ei aſſentiri, eam docere, teſtari vel ſignificare in S. literis, quod communiter adverſarii mihi videntur tribuere. Loqui enim duplici ſenſu aliquis poteſt dici ſecundùm vulgi erroneam opinionem, vel verba tantùm uſurpando iiſque veritatem generalem exprimendo, quo ſenſu id Spiritui Sancto tribui, vel opinionem ejus aſſumendo, ei aſſentiendo, & ſic ſermonem ſecundùm eam formando, quo ſenſu id de Spiritu Sancto conſtanter nego. Vidit hunc duplicem ſenſum iſtius phraſeos jam olim Melchior Canus Loc. Theol. lib. 11. cap. 5. p. 586. *Falſæ vulgi opiniones*, inquit, *in duplici ſunt differentiâ. Quædam, quæ non niſi verbis falſis ſignificari atque exprimi poſſunt. Ut Chriſtum eſſe Johannem Baptiſtam, vel Hieremiam, vel unum ex prioribus Prophetis Atque hujuſmodi opiniones ſemper auctores ſacri ita referunt, ut non ex ſe, ſed ex vulgi nomine retuliſſe videantur.*

Aliæ

Digitized by Google

Aliæ ſunt vulgi opiniones falſæ quidem, ſed verbis iis expreſſæ ac ſignificatæ, quæ in ſenſu aliquo vulgari veræ ſint. Ut Joſeph eſſe patrem Chriſti ad vulgi ſenſum falſum omnino erat, ſed vere tamen pater, & ſine falſitate dicebatur. Tam quoniam nutritius erat, tam quoniam Vir matris erat. Et licet vulgi ſermone, vere tamen privignus filius vocatur, mater noverca, vitricus pater. In quibus rebus, fateor, veræ hiſtoriæ lex eſt vulgi opinionem exprimere. Nam ſi de priore rerum genere ſermo ſit, in hiſtoriâ profanâ abſurdus eſt, in ſacrâ etiam impius. Sapientes quippe cum vulgo loquuntur fere, ſed non ſentiunt cum vulgo. Nec mendacii tamen rei ſunt, quoniam, quæ loquuntur, ea ſecundùm aliquem verbi ſignificatum vera eſſe intelligunt.

CCCCLVI. Art. 8. cap. I. diſſ. 3. ſic explicavi meam mentem, ut appareret, me nihil aliud ſtatuere, quàm quod etiam art. 45, hujus capitis poſui. Sic enim dico: *Uti quidem Spiritum Sanctum illis formulis, quibus vulgus ſuam opinionem exprimit,* qui præter veritatem generalem præjudicium etiam, quod eam involvit, ſolet ſignificare: *at non ideò etiam Spiritum Sanctum hanc opinionem ſuam facere, ſed id, quod more recepto & formulis è trivio deſumptis profert, recte intelligere,* hoc eſt, ſignificare tantum veritatem generalem, non verò conſignificare iſtud præjudicium, quo in iſtâ formulâ veritas eſt involuta. Idque declaravi exemplo Aſtronomorum, *qui, quamvis formulis receptis ab apparentiis & præjudiciis ſenſuum derivatis, ſive quæ præjudiciis innituntur, utantur, non tamen iſta præjudicia ſua faciunt,* hoc eſt, non ſignificant ea, ſed tantum veritatem generalem iis involutam. *Interim non velle* dixi *Spiritum Sanctum in Scripturâ nudam N B. veritatem* (nudam dixi, non ſimpliciter veritatem; non enim nego, quin aliquam ſemper iſtis formulis veritatem doceat, ſed eam dico ratione formularum eſſe involutam præjudiciis & erroribus) *circa res naturales, quas optimè cognitas habet, manifeſtare* (intellige, niſi etiam cognitio vulgaris ad nudam hujus vel illius rei veritatem pertingat) *ſed eam in medio relinquere, permittendo interea literatis hominibus, ut locutiones tales conferant cum Philoſophiâ, & inde, num accuratæ ſint, num vulgares diſcant,* hoc eſt, ut, poſtquàm per generalis veritatis ſignificationem ſcopo Sp. S. ſatis factum eſſe viderint, videant, num in iis formulis fortè præjudicium aliquod ſit implicatum, quod non à Spiritu Sancto, ſed à vulgo, cum tali formulâ utitur, ſignificetur, atque ſic ſint vulgares; num accuratæ, ut nudam veritatem exprimant.

CCCCLVII. Similiter Diſſ. prima p. 89. ipſis illis verbis, quibus hîc uſus fui art. 45, ſtatum controverſiæ expreſſeram, dicendo: *Diſquirendum itaque reſtat, num ad puritatem Scripturæ requiratur, ut non proponatur*

Digitized by Google

tur linguâ aliquâ vulgari, in quâ ſunt multæ locutiones vulgares erroneis opinionibus innitentes; à ſenſuum præjudiciis plerumque hauſtis: aut, ſi proponatur linguâ vulgari, an ſaltem omnes tales locutiones evitari debeant, imò, ubi occaſio fert, in contrarium ſermo vertendus, errorque vulgaris notandus & refutandus? Nos dicimus, hoc modo nihil quicquam puritati Scripturæ decedere. Ex his enim & ſimilibus ſententia mea explicanda, & ad hæc referenda ea, quæ, ab aliis ſeparata, durius quid ſonare videntur. Quoniam tamen quidam ex ſolo titulo librum priorem judicantes phraſi Copernicanâ fuerunt offenſi, nos in eorum gratiam ab eâ hîc abſtinebimus, & propterea ſtatum controverſiæ art. 451. aliis verbis propoſuimus.

CCCCLVIII. Sed ut adhuc manifeſtius evadat, me per phraſin Copernicanam nihil aliud, quam quod art. 451 dixi, voluiſſe expreſſum, occaſione examinis objectionum ſeqq. noſtram illam phraſin ulterius declarabimus. Objicit B. p. 25. *Multa dici ſecundum apparentiam non conſideratâ opinione vulgi, atque hoc eſſe πρῶτον meum pſeudos, quod ſecundum apparentiam & ſecundum opinionem erroneam mihi æquivaleat.*

Reſp. Phraſin hanc *ſecundum apparentiam loqui* in ſua latitudine conſideratam mihi eandem eſſe cum eâ, loqui *ſecundum opinionem erroneam* nego, ſed tunc demum mihi æquivalent, quando prior vel aperte vel implicitè opponitur τῷ loqui ſecundum rei veritatem accuratam.

CCCCLIX. Pergit B. p. 26. Unde etiam liquet alter Wittichii error, quod *hanc phraſin,* ſecundum apparentiam, *ponat ut uniſonam illi,* non ſecundum rei veritatem: *nam non omnis qui* ſecundum apparentiam *loquitur, negat rei veritatem: ſed ſæpe tantum determinat rei veritatem prout ſeſe nobis exhibet.*

Reſp. Non oppono iſtam phraſin *ſecundum apparentiam* veritati ſimpliciter, ac ſi ſub iſtâ apparentiâ non aliqua lateat veritas ſed veritati accuratæ, exactæ, nudæ. Secundum apparentiam ergò loqui oppoſite ad veritatem accuratam nihil aliud eſt, quàm *uti ſermone, non veritatem nudam, ſed præjudiciis viſûs involutam exprimente,* ſecundum ea quæ ſuperius fuerunt dicta.

CCCCLX. Tuitus præterea fueram in priore editione hanc meam ſententiam exemplo Aſtronomorum, quod etiam hic facio cap. 1. art. 2 dicendo, quod *Aſtronomi etiam poſt detectos errores phraſes conſuetas uſurpent &c.* contra quod B. p. 36. ſic excipit: *Sic cum Aſtronomus aſſignat locum apparentem Planetæ, non negat, eum eſſe verum ejus locum, ſed docet in quo loco ſit reſp noſtri & à nobis videatur, unde & illum* verum locum *ſecundùm Aſtronomorum ſtylum vocabit: ſic cum Lunam dicimus* plenam vel dimidiam,

diam, *ita loquimur, quia talis nobis apparet,* ergò ſecundùm apparentiam, *& tamen etiam* ſecundùm rei veritatem, *vid. reſpectu noſtri, quia Luna, revera nobis eſt* plena, *vel* dimidia, *id eſt, ab illo latere, quo nobis videtur vel plenariè vel dimidia parte illuminata.* Et p. 31. inquit, *non eſſe quod Aſtronomorum exemplo me tuear, ſe enim negare eos uti phraſibus ab erroneâ vulgi opinione deſumptis, vel nominare apparentias quæ rei veritati repugnent. Locum apparentem Planetæ etiam vocare locum verum, tempus apparens, tempus verum.*

Reſp. Non eſt utique veritas illa nuda, quando locus Planetæ *verus* dicitur is, qui eſt tantum *apparens,* ſed relata ad ſenſus noſtros & fallaciâ viſus obvoluta. Secundum enim nudam & accuratam rei veritatem, cum planetæ in ſuis circulis ſingulis diebus æqualia ſpatia permeent, non poſſunt ea ſpatia menſurari ſingulis diebus per lineas *motûs apparentis*, ſed per lineas *motûs medii.* Lineæ ergo *motûs apparentis*, deſignantes *locum* planetæ *apparentem,* non deſignant *locum* ejus exactè & accuratè *verum,* hoc enim ſi fieret, dicendum, planetas ſingulis diebus inæqualia ſpatia, modò majora, modo minora percurrere, ſed *verus* dicitur ille *locus apparens,* quod reſpectu noſtri oculi reverâ talem planeta habeat ſitum. Nos autem non negamus, quin tales locutiones veritatem aliquam exprimant, ſed dicimus, eam non eſſe *nudam & accuratam,* verum fallaciâ viſûs involutam. Sic Luna *dimidia* dicitur apparenter, oppoſitè ad accuratam rei veritatem, quia ſecundùm accuratam rei veritatem ſemper hemiſphærii ejus pars illuminatur, ut ſemper ſit plena, nunquam dimidia vel corniculata. At quin ſub illo involucro lateat quædam generalis veritas quam ſolam Aſtronomi, hâc locutione utentes, ſignificant, non negamus. Quid verò dicet adverſarius de *Eclipſi Solis,* quæ non ei, ſed oculo noſtro competit, *de ingreſſu ſtellarum fixarum in Solis radios* atque *ex iis emerſione* & ſimilibus, per quas locutiones ſanè nullus motus realis ſtellis fixis tribuitur. Nullius fere ponderis ſunt quæ M. p. 197, 198. contra hoc Aſtronomorum exemplum excipit, ſed facile ex dictis refutabuntur, ſi lectori placeat conferre. Quicquid tamen ſit de vero & commodo ſenſu iſtius phraſeos, *Scripturam loqui ſecundùm erronea vulgi præjudicia*; vel, *ſecundum vulgi erroneam opinionem,* cùm ea nunc paſſim ab adverſariis hoc ſenſu accipiatur, ac ſi ſignificaret, *Spiritum Sanctum in Scripturis & errare cum vulgo, & errorem docere* (quamvis nemo antiquorum & recentiorum Theologorum, cum quibus in Diſſertationibus Anno 53 editis fueram locutus, hoc ſenſu eâ phraſi fuerit uſus, nec ego unquam eam, ne per ſomnium quidem, hoc ſenſu acceperim) conſtantèr ab eâ ab Anno

59 abſtinui, firmiterque conſtitui eâ impoſterum non amplius uti. Nunquam enim cenſui de verbis litigandum, ubicunque de re ipſa eſt conſenſus; adeoque refugiam illam, non quia, quod dicitur, non bene dicitur, ſed quia quod benè dicitur, non benè intelligitur. Non eſt ergo quæſtio: *An Spiritus Sanctus in Scripturis erret cum vulgo & errorem doceat,* adeoque ſi quis per hanc phraſin, *Scripturam loqui ſecundum vulgi erroneam opinionem, intelligat, Spiritum Sanctum in Scripturis loquentem & errare cum vulgo & errorem docere,* idque affirmet, ei tanquam blaſphemo anathema dico, atque hanc ſententiam toto corde abominor.

CAPUT XXI.

Scripturam uti debere formulis uſu tritis, etſi præjudiciis eæ innitantur atque veritatem iis involutam referant, probatur Argumento ex Eſai. VIII. 1. deſumto.

CCCCLXI. Probemus tamen argumentis hanc ſententiam, quod Scriptura utatur formulis uſu tritis, etſi præjudiciis innitantur, atque veritatem iis involutam referant. Primum ad obtinendum noſtrum inſtitutum argumentum deſumimus ex Eſaiæ 8. cap v. 1. ubi mandatur Eſaiæ, *ut ſcriberet ſtylo humano,* hoc eſt, tali Scripturâ, quam quilibet poſſet legere, vel ſecundum modum qui erat in uſu, vel juxta ſtylum communem & conſuetudinem, interpretibus Belgis. Ergo non debebat aliter loqui, quam verbis, quæ à quovis intelligi poſſent. Ergo porrò dum incideret in mentionem rerum naturalium, debuit adhibere formulas communi uſu tritas, non accuratas: Atqui tales formulæ uſu tritæ ſæpe innituntur præjudiciis, & veritatem non nudam, ſed relatam ad homines & præjudiciis involutam referunt. Ergo etiam talibus debuit Propheta uti. Similis ratio eſt aliorum Scriptorum θεοπνεύστων; ubi enim communis eſt cauſa; id quod dictum eſt uni, omnibus dici intelligendum eſt. Hæc ſententia eſt Calvini, qui in commentario in Geneſeos cap. I. 16, ita notat: *Quia Moſes non minùs indoctis & rudibus, quam doctis ordinatus erat magiſter, non aliter potuit partes ſuas implere, quam ſi ſe demitteret ad craſſam iſtam rationem. Si de rebus vulgò ignotis loquutus fuerat, cauſari poterant idiota altiora hæc eſſe captu ſuo. Denique cum Sp. S. hic promiſcuam omnibus ſcholam aperiat, non mirum eſt, ſi ea maxime deligat, quæ poſſunt ab omnibus intelligi.* Hæc autem dicit, quando declarat, quomodo Moſes Lunam referat inter

ter Luminaria magna, quæ ſecundùm Aſtronomos à ſtellis fixis magnitudine longè ſuperatur, oſtenditque reſpectum haberi ad apparentiam ſenſuum noſtrorum. Atque, ut iſtud argumentum noſtrum rectius intelligatur, cogitandum eſt nobis, linguam & ſtylum humanum proculdubio eſſe eum, qui exprimit conceptus & ideas humanas de rebus quibuſcunque obviis, prout ab hominibus illæ formari ſolent. Inter illas ideas, ſive conceptus ſunt variæ de rebus ſenſibilibus, de Sole, Lunâ, ſtellis, terrâ, mari, plantis, arboribus &c. de lumine, de colore, de calore, de frigore &c. de magnitudine, figura, quiete, motu &c: Has ideas formamus ab ineunte ætate per ſenſus, illæque ad *Notitiam Communem* pertinent, quâ de re CAP. I. prolixius fuit actum. Hæ ideæ intervenientibus ſenſuum organis in mente noſtrâ formatæ merâ apparentiâ nituntur, atque tales ſunt, ut rem exprimant, non, prout in ſe eſt, &, prout à nudo intellectu ſive purâ mente poteſt cognoſci, ſed, prout ſenſus noſtri ab illis rebus afficiuntur. Ita de Solis magnitudine omnes habemus ideam bipedalem: tales ſunt ideæ de comâ & caudâ cometarum, de remo fracto in aquâ, de nummo ad ſuperficiem aquæ conſpecto, & quæ ſunt ſimiles aliæ. Quæ omnes ideæ ejuſmodi impreſſionem per ſenſus fecerunt in mente, ut, quamvis ex certis ratiociniis ſimus perſuaſi, Solem ipſam Terram multis vicibus excedere, remum integrum eſſe, nullâ fracturâ corruptum, & ſic de reliquis, nihilominus dum Solem adſpicimus & remum &c. non poſſumus non eandem ideam ſenſualem repetere. Quando igitur de rebus iſtiuſmodi incidit ſermo, non poteſt ille alitèr formari, quàm ut cum iſtiuſmodi ideis planè conveniat, adeoque non poteſt is eſſe niſi vulgaris, non accuratam nudam & Philoſophicam veritatem exprimens, ſed eam, quæ apparentiis & præjudiciis ſenſuum ſit involuta. Scriptura igitur eo ipſo, quo voluit ſtylo humano uti, Spiritus Sanctus quia novâ linguâ noluit ſcribere, ſed receptâ aliquâ & notâ inter homines voluit uti, eodem ſermone de rebus quibuſcunque obviis, quæ ſub ſenſus noſtros cadunt, debuit loqui, quo homines uti conſueverunt; idque tantò magis, quia etiam hic ſermo veritatem aliquam exprimit, quæ Notitia Communi ab omnibus hominibus cognoſcitur, quem Sp. S. iſtis in locis voluit deſignare.

CCCCLXII. Exc. 1. (B. p. 42.) *Scribere poteſt Auctor aliquis,* Scripturâ legibili ſecundùm modum, qui eſt in uſu, juxta ſtylum communem & conſuetudinem, verbis quæ à quovis intelligi poſſunt, *& ſimul exactam rei veritatem docere, & male præſupponitur, hanc talibus modis loquendi non poſſe tradi, cum non melius quam tali ſtylo doceatur.*

Reſp. Concedimus, quod ſi aliquando formula vulgaris de rebus naturalibus exprimat veritatem accuratam, (quod fieri præcedenti cap. diximus in iis, in quibus Notitia Communis accuratam rei veritatem eſt aſſecuta) etiam Sp. S. eâ utatur, ſed non poteſt auctor aliquis ſcribere juxta communem ſtylum & conſuetudinem, quin utatur phraſibus, quæ cum ideis ſenſuum conveniunt, & hîc quæritur: an ſi formula vulgaris proferat veritatem ad ſenſus hominum relatam & præjudiciis involutam, adeoque, ſi iſta formula præjudicio ſit involuta, an non Sp. S. eandem debuerit retinere, ſi verbis, quæ à quovis intellligi poſſint, debuerit uti? quod ego affirmo, tanquam ad perſpicuitatem Scripturæ imprimis neceſſarium, illudque art. præced. probavi.

CCCCLXIII. Exc. 2. B. p. 42. *Futile nimium eſſe quod addam,* Prophetas non potuiſſe intelligi ſi de rerum naturâ ſemper, uti eſt, ſubtiliter & accuratè fuiſſent locuti. *Quaſi verò ſi Spiritus Sanctus dixiſſet, Terram moveri & Solem quieſcere, id à vulgò non potuiſſet intelligi.*

Reſp. Solidiſſimum eſt quod dixi. Quis enim non videt, quòd ſi Prophetæ formulis à communi uſu remotis fuiſſent uſi, intelligi non potuerint niſi ab iis, à quibus formulæ iſtæ uſurpatæ? Quis dicet formulas abſtruſas & ab uſu remotas poſſe à quovis intelligi? Quòd ſi vero Sp. Sanctus ad ſignificandam prolongationem diei tempore Joſuæ factam dixiſſet: *Terram à ſuâ gyratione ceſſâſſe*, nonne eo ipſo res per ſe clara, phraſi iſtâ abſtruſâ & ab uſu remotâ multum fuiſſet involuta?

CCCCLXIV. Exc. 3. B. p. 43. *Stylo humano ſcribere eſt literis diſtinctis, claris & magnis ſcribere, quæ ab omnibus prætereuntibus legi poſſint, ita ut reſpiciatur non ſenſus perſpicuitas, ſed literarum claritas & legibilitas. Sic Junius, Calvinus, Genevenſes.*

Reſp. Utrumque hîc reſpicitur, imò unum ex altero ſequitur. Et Calvinus utrumque conjungit, quod diſſimulat adverſarius. *Primum*, inquit Calvinus, *quò melius populum expergefaciat, Deus jubet hanc prophetiam publicari ac proſcribi, ut ab omnibus intelligatur.* Poſteà demùm verba ab antagoniſtâ citata de claritate & magnitudine literarum ſubjungit. Inſpiciatur ipſe Calvinus. Ad quid verò claritas literarum niſi ad ſenſûs perſpicuitatem? Et quare debebat iſta Scriptura ab unoquoque legi, ſi non potuiſſet intelligi? Sententia ergo Junii & Genevenſium nobis non contrariatur. Videmus autem, quàm tali exceptione Reformatorum ſententia de Scripturæ perſpicuitate contra Pontificios enervetur.

CCCCLXV. Exc. 4. M. p. 27. *Illa verba quatuor* לְמַהֵר שָׁלָל חָשׁ בַּז

de-

Digitized by Google

debebant tantum clare & diſtincte ſcribi, ut à quovis legi poſſent, etiam à properante in tranſcurſu.

Reſp. Negamus verſum primum tantùm de illis verbis intelligendum, & contrarium patuit ex Calvino & dictis.

CCCCLXVI. Exc. 5. M. p. 27. *Stylo hominis loqui ad ſummum nihil aliud eſt, quam veritatem exprimere phraſibus vulgò tritis.*

Reſp. Atqui hoc ipſum eſt quod volumus & urgemus. Cùm formulæ tritæ ſæpè reſpondeant apparentiis, atque præjudiciis innitantur, ſi formulas tritas debuit adhibere Propheta, ſæpe, non quidem falſitas debuit doceri, vel tradi, ſed veritas ad homines eorumque ſenſus relata, & præjudiciis involuta.

CCCCLXVII. Exc. 6. B. p. 45. Ad ſententiam Calvini pro me citatam art. 46. *Agit Calvinus contra illos argutos homines, qui Moſen imperitiæ arguebant, quod Lunam faceret ſecundum luminare. Itaque dicit Calvinus; Moſen populariter ſcribere, quæ ſine doctrina & literis omnes idiotæ communi ſenſu percipiunt.*

Reſp. Hæc exceptio nihil quicquam nobis obeſt: Verba enim Calvini ad noſtræ ſententiæ confirmationem faciunt, præſertim ſi jungantur cum iis, quæ poſtea ſequuntur: *Moſes duo facit magna luminaria. Atqui Aſtrologi firmis rationibus probant, Saturni ſidus, quod omnium minimum propter longinquitatem apparet, lunari eſſe majus.* Et paulò poſt: *Verùm id eſt reconditum: oculis enim aliud apparet.* NB. Item: *Neque nos in cœlum evocat, ſed proponit tantùm quæ ante oculos patent.* Itaque *ad craſſam rationem ſe demittere*, nihil aliud eſt Calvino, quàm ad apparentiam ſenſuum reſpicere oppoſitè al Aſtronomorum rationes, qui veram Lunæ magnitudinem indagant. Dein *reconditum* illud circa Lunæ magnitudinem eſt, quòd Saturno ſit minor, idque verum demonſtrant Aſtronomi ex mente Calvini: at ei opponitur aliud, *quod oculis apparet*, quod proinde non eſt verum, ſed phænomenon & ſenſuum præjudicium. Eadem ergo eſt ſententia mea & Calvini, nimirum, Scripturam de rebus naturalibus loqui ſecundùm apparentiam, ſive, uti formulis veritatem ad ſenſus hominum relatam & præjudiciis involutam referentibus. Et mirum, quod Adverſarius clariſſima verba Calvini audeat adeò detorquere.

Digitized by Google

CAPUT XXII.

Secundum Argumentum pro ſententiâ dictâ à modo agendi Scripturæ Dialectico deſumtum.

CCCCLXVIII. Secundum Argumentum. Dialectici eſt non recedere à communi loquendi conſuetudine: in eo enim differt ab Analytico, qui naturas ipſas rerum rimatur: id egregiè explicat Neldelius, qui ex Ariſtotele Logicam accuratius eruit; quàm ulli Peripatetici, dum inter 55 differentias Analyticarum & Dialecticarum rationum hanc facit nonam decimam in Prato ſuo Logico p. 36. *In Dialecticis rationibus explicandis*, inquit, *non recedit à communi & vulgo recepta loquendi conſuetudine* NB. *etiamſi verba non ſemper ipſis rebus conveniant. Ideoque* προσαγορευτέον ταῖς ὀνομασίαις τὰ πράγματα καθάπερ οἱ πολλοί, *inquit*, *Philoſ. lib. 2. Topicorum c. 2. id eſt, appellare, nos oportet res nominibus, ſicut Vulgus appellat, & ut vulgo dicitur, loquendum cum multis, ſentiendum cum doctis & ſapientibus, & inter* ἁμαρτίας *ſive vitia Dialecticorum problematum recenſetur ſub finem cap. 1. ejuſdem libri* τὸ παραβαίνειν τὴν κειμένην λέξιν, *id eſt, ſi quis diſcedat à communi loquendi conſuetudine. At Analyticus qui naturas ipſas rerum rimatur, non ſolet loqui cum vulgo, niſi fortaſſe verba rebus congruant. &c.* Atque hinc Ariſtot. opponit inter ſe non tantùm *Analytice & Logice*, ſed etiam κατ' ἀλήθειαν & κατὰ δόξαν πραγματεύεσθαι, quod hæc ſint eadem teſte Neldelio p. 318. Atqui Scriptores ſacri circa res naturales debuerunt agere dialecticos, cum hæ non proprium eorum objectum ſpectent, atque exemplo Chriſti appareat, eum ſimilitudinibus à rebus terreſtribus fuiſſe uſum, poſſitque id aliis modis oſtendi. Non ergo debuerunt recedere à communi loquendi conſuetudine: At ea inter alia in eo conſiſtit, ut phraſes phænomenis ſive apparentiis convenientes adhibeantur, & ſuſque deque habeas, ſive illæ phraſes præjudiciis debeant originem, ſive res uti ſunt accuratè, & nude exprimant.

CCCCLXIX. Exc. 1. B. p. 67. *Hoc argumentum deſumtum eſt ab auctoritate humanâ.*

Reſp. Neg. Eſt deſumtum ex naturâ modi agendi Dialectici, qui à Logicâ docetur, cum enim finis Dialectici non ſit ſcientia, nec naturas rerum explicet, ejuſque rationes quibus utitur, ſint communes, probabiles, non propriæ & neceſſariæ, cumque agat cum iis quorum intelle-

ctus

ctus non eſt capax accuratiorum locutionum, debet omnino adhibere minus accuratas & vulgares.

CCCCLXX. Exc. 2. M. p. 69. *Conceditur, licere in dialecticis diſquiſitionibus aliquando ad veritatem exprimendam adhibere locutiones minus accuratas, minus diſtinctas, παχυλῶς & minus adæquatè veritatem exprimentes, quod nobis nihil quicquam adverſatur.*

Reſp. Sed evici, etiam dialectico licere uſurpare verba, quæ non ſemper ipſis rebus conveniant; item, loquendum cum vulgo & ſentiendum cum doctis, quo nihil clarius dici poteſt pro uſu formularum uſu tritarum, veritatem non nudam, ſed præjudiciis involutam &c. referentium.

CCCCLXXI. Exc. 3. M. p. 70. *Si non ſit recedendum à communi conſuetudine, ergò non licet motum Terræ exprimere verbis communi & vulgo receptâ loquendi conſuetudine motum Solis exprimentibus.*

Reſp. Ubinam verò hoc à nobis eſt dictum, per phraſes Scripturæ exprimi vel ſignificari motum Terræ? nos è contrario ſuo loco oſtendemus, locis illis, quæ contra Terræ gyrationem producuntur, aliquod Phænomenon ſive apparentiam cœleſtem, quæ hoc modo ſe oculis ingerit, denotari, ita ut non diſquirant in modum vel in cauſam, cui illud phænomenon debeat ortum.

CCCCLXXII. Exc. 4. M. p. 70. *Non ſequitur, quod licet Philoſophis in dialecticis, id licet Spiritui Sancto in Scripturâ.*

Reſp. Cum Scriptores ſacri dialecticos agant circa res naturales, utpote non ſpectantes ad ſuum ſcopum ſive inſtitutum, debuerunt modum agendi dialecticum ſive topicum uſurpare.

CCCCLXXIII. Exc. 5. (B. p. 33.) *Si totus Philoſophi contextus inſpiciatur, comperietur eum contra te loqui. Hoc ergò vult Philoſophus, ſimplices rerum denominationes aſſumi debere ſecundùm ſtylum vulgarem, at in terminis complexis non loquendum cum vulgo*: videat lector, ſi tanti ſit B. p. 33. & 34.

Reſp. Ut, quis ſit ſenſus verborum Ariſtotelis, appareat, plenius verba cap. 1 & 2. lib. 2. Top. Ariſt. ad quæ in hoc argumento reſpexi citabimus. Cap. 1. inquit, Διορίσασθαι δὲ δεῖ καὶ τὰς ἁμαρτίας τὰς ἐν τοῖς προβλήμασιν, ὅτι εἰσὶ διτταὶ ἢ τῷ ψεύδεσθαι, ἢ τῷ παραβαίνειν τὴν κειμένην λέξιν, οἵ τε γὰρ ψευδόμενοι, καὶ τὸ μὴ ὑπάρχον ὑπάρχειν τινὶ λέγοντες, ἁμαρτάνουσι. καὶ οἱ τοῖς ἀλλοτρίοις ὀνόμασι, τὰ πράγματα προσαγορεύοντες, οἷον τὴν πλάτανον, ἄνθρωπον, παραβαίνουσι τὴν κειμένην ὀνομασίαν. *In quæſtiones autem duo peccata incidunt, quæ exponenda ſunt: peccatur autem*

aut mentiendo, aut diſcedendo à verbis, quæ impoſita ſunt rebus. Nam & ab iis peccatur, qui quod non cadit in aliquem, cadere confirmant: & ab iis qui res minus uſitatis & tritis nominibus appellant, ut qui hominem platanum appellant, nominum impoſitorum fines tranſeunt. Et cap. 2. Ἔτι διορίζεσθαι, ποῖα δεῖ καλεῖν ὡς οἱ πολλοί, καὶ ποῖα οὔ· χρήσιμον γὰρ καὶ πρὸς τὸ κατασκευάζειν καὶ πρὸς τὸ ἀνασκευάζειν. οἷον ὅτι, ταῖς μὲν ὀνομασίαις τὰ πράγματα προσαγορευτέον, καθάπερ οἱ πολλοί. ποῖα δὲ τῶν πραγμάτων ἐστὶ τοιαῦτα, ἢ οὐ τοιαῦτα, οὐκέτι προσεκτέον τοῖς πολλοῖς. οἷον ὑγιεινὸν μὲν ῥητέον, τὸ ποιητικὸν ὑγιείας, ἢ οὔ, οὐκέτι ὡς οἱ πολλοὶ λεκτέον, ἀλλ' ὡς ὁ ἰατρός. *Jam vero exponendum eſt, quæ appellanda ſunt, ut plerique ſolent, quæque non ſint appellanda: qui locus & ad confirmandum & ad refutandum valet: ut res nominibus iis quæ trita ſunt vulgo & uſitata appellandas eſſe: at vero in conſtituendo quæ res tales, vel non tales ſint, non audiendam eſſe multitudinem: veluti ſalubria ea quæ valetudinis efficientia ſint, vocanda ſunt illa quidem vulgi opinione: ſed utrum id de quo id agit, efficiens ſit nec ne valetudinis, de eo non jam vulgi, ſed medicorum judicium exſpectare debemus.* Ex illis enim manifeſtum fit 1. quod non tantum loquatur de ſimplicibus rerum denominationibus, ſed etiam de terminis complexis: ſi enim ſalubria vocanda ſunt ea, quæ ex opinione vulgi efficiunt valetudinem, ergò de hâc vel illâ herba, quam vulgus opinatur cauſam efficientem valetudinis dicendum, eſſe ſalubrem, quia vulgus ita loquitur. 2. Eo ipſo quod in ſimplicibus hoc licitum, etiam in complexis licere æſtimandum, ſive enim attributum adſcribatur rei citra propoſitionem & interventum copulæ *Eſt*, ſive per talem interventum, res eodem planè redit. Sed de eo uberius ſuo loco.

CCCCLXXIV. Exc. 6. (B. p. 35.) *Ariſtoteles quidem dicit vocem ſalubris uſurpandam eſſe vulgari ſignificatione, ſed cum de re aliquâ quæritur, non amplius loquendum ut vulgus, ſed ut medicus. Jam quæro cum quonam loquendum in quæſtione de Motu Terræ aut Solis, an cum Deo, an vero cum Carteſio, &c.*

Reſp. Id maximè pro me facit, inde enim ſequitur, Scripturam tamdiu, quàm quæſtio non fuit in populo Dëi de motu Solis vel Terræ, debuiſſe loqui cum vulgo: At in locis pro Solis motu allatis non agebatur de determinatione iſtius quæſtionis, ſed de alia re, quam etiam vulgari formula Spiritus Sanctus voluit ſignificare, ut patebit in examine locorum controverſorum. 2. Sic etiam nobis, ubi deciſio iſtius controverſiæ ad rem præſentem non facit, loquendum cum vulgo & Scriptura, ſed ubi de illa re quæritur, non amplius loquendum ut vulgus, ſed ut Philoſophus loquitur.

CAPUT XXIII.

Argumentum tertium ab Inductione eorum Scripturæ locorum, quæ continent formulas vulgares referentes phænomena atque veritatem ad ſenſus relatam & præjudiciis involutam.

CCCCLXXV. Sequitur Inductio quorundam locorum è multis, in quibus ſunt locutiones vulgares ſenſuum præjudiciis innitentes, quæ veritatem ad hominum ſenſus relatam & præjudiciis involutam referunt, qualia ſunt primò, ea quæ de extremitate cœlorum loquuntur, ex. gr. Deut. xxx. 4. *Etiamſi quis ex tuis depulſus eſſet ad extremitatem coeli, inde colligam te*: cui ſimilis eſt locus Eſa. XIII. 5. *Veniunt è terra longinqua ab extremitate coelorum*, Jer. XLIX. 36. *Adducam enim contra Helamitas quatuor ventos à quatuor extremitatibus coelorum*, & multi alii, in quibus extremitates cœlo attribuuntur, per locutionem manifeſte deſumptam à præjudiciis ſenſuum. Ita enim videtur ei, qui ſolis ſenſibus innititur, ac ſi Cœlum eſſet Hemiſphærium, quod in extremis Terræ finibus deficiat, ita ut Terræ innitatur, & progredientibus eò uſque videatur occurſurum, impediens progreſſum ulteriorem. Hoc præjudicio ſenſuum occupatus Homerus Æthyopas collocat ad extremitates Ortûs & Occaſûs, exiſtimans Solem ob hanc Cœli & Terræ continguitatem, adeò propinquum eis fieri, ut eorum cutem adurat. Ita enim Odyſſ. A. Αἰθίοπας τοὶ διχθὰ δεδαίαται ἔσχατοι ἀνδρῶν, οἱ μὲν δυσομένου ὑπερίονος, οἱ δ' ἀνίοντος, id eſt, *Æthiopas, qui biſariam diviſi ſunt, ultimi hominum. Alii quidem Occidentalis Solis, alii vero Orientalis.* Huic ſententiæ quoad locum Deut. xxx. adſtipulatur Junius, in ejus analytica explicatione: *id eſt, in ultimis terris, qui cœlo ad aſpectum noſtrum videntur terminari (ſic enim Hebræi LOQVVNTVR POPVLARITER.)* Certum enim eſt, Cœlo rotundo nullam competere extremitatem proprie loquendo. Sed quoniam loca longinqua & remota ſolent per extremitates Cœli vulgo deſignari, Spiritus Sanctus eâdem formulâ voluit uti, quamvis veritas deſignata, nempe *loca remota*, ſit præjudicio ſenſuum antea dicto involuta.

CCCCLXXVI. Exc. 1. (B. p. 84.) *Junium mihi contrariari, qui per cœlum intelligat orbem terrarum, qui circumcluſus eſt cœlo* μετωνυμικῶς, *ut videre ſit in notis ad Deut. IV. 32.*

Reſp. Hæc non contrariantur. Nam ad extremitates has formandas debuerunt concurrere & cœlum & terra, non realiter, ſed apparenter, ubi videntur ſe invicem contingere. Sufficit ergo, ſi hinc colligam, eſſe formulam loquendi apparentiis convenientem & præjudicio innitentem.

CCCCLXXVII. Exc. 2. M. p. 93. *Eſt in illis locis manifeſta hyperbole, qualis etiam Pſalm. cxxxix. ſi ſcanderem coelos. Significatur igitur per extremitates coeli ſpatium longiſſime diſſitum locutione ſynecdochica, ubi res in ſpecie magna ponitur pro magna in genere.*

Reſp. Non deſignantur extremitates cœli ſurſum verſus, ſed extremitates, quas videtur ejus contiguitas cum Terrâ efficere, quia, ut antea vidimus, ſunt eædem cum extremitatibus Terræ. Hæ extremitates quia videntur longè diſſitæ à nobis, in meditullio Horizontis conſtitutis, ſumuntur pro quâvis diſtantiâ longè remotâ.

CCCCLXXVIII. Exc. 3. M. p. 94. *Per Synecdochen partis per coelum poteſt intelligi pars coeli, quouſque ſcilicet illud hujus aut illius viſui eſt expoſitum, ita ut extremitates ſuas coelum ſic ſumtum revera habeat à viſu humano.*

Reſp. Id mihi non contrariatur, imò eſt ipſiſſima mea ſententia, quam defendo, quamvis male dicatur Cœlum habere extremitates *revera* à viſu humano, ille enim nihil cœlo confert. Cœli igitur extremitates, quas à viſu accipit, non ſunt tales revera, ſed tantummodo apparentes, adeoque phraſis, quæ mentionem facit extremitatum cœli innititur præjudicio ſenſus, atque propterea veritatem refert ad hominum ſenſus relatam atque præjudiciis involutam.

CCCCLXXIX. Exc. 4. H. p. 130. ***Homerum non fuiſſe eo præjudicio excæcatum, neque id probari poſſe ex illis verbis citatis.***

Reſp. Ea quæ de Homero dixi illuſtrationis gratiâ adduco. Si quis ejus auctoritatem tanti faciat, ut putet alienum eſſe hoc de tanto Poëta opinari, per me fruatur ſuo judicio, neque propterea quicquam noſtræ probationi decedet. Quòd ſi quis verba attentiùs inſpiciat, apparebit ſaltem, hîc reſpexiſſe infantiæ præjudicium, ut parum referat, num & ipſe illud adhuc foverit. 2. Minùs alienum hoc de Homero credere, quàm de Lactantio, qui lib. 3. Inſtit cap. 24. Antipodas negavit, ſtatuitque, terram deorſum infinitis extendi radicibus. Vide Parkerum de Deſcenſu Chriſti, qui multos Patrum citat, quibus hæc fuerit ſententia lib. 2. p. 123. & ſeqq. Nec ea ſententia iſto ſeculo magis indigna Homero, quàm Theodecte, qui referente Strabone lib. xv. p. m. 695. ſic canit:

Ἧς ἀγχιτέρμων ἥλιος διφρηλατῶν Σκοτεινὸν ἄνθος ἐξέχρωσε λιγνύος Εἰς σώματα.

σώματ' ἀνδρῶν καὶ συνέστρεψεν κόμας Μορφαῖς ἀναυξήτοισι συντήξας πυρός. *Quorum propinqua Sol adurens orbita Fuliginoſo corpora colore imbuit Æſtuque toſtas ſicco criſpavit comas. Materiemque adoleſcendi conſumtam abſtulit.* Eadem mens Propertio lib. 3. eleg. 13. de Indis. *Quos Aurora ſuis rubra colorat equis.* Affinis iſti opinioni & conſentanea illa, quâ Solem Oceano mergi, indeque emergere perhibent, de quâ ſuo loco ad Pſal. XIX. agemus.

CCCCLXXX. Secunda Claſſis eſt eorum locorum, quæ de fundamentis & columnis Cœlorum loquuntur: Job. XXVI. II. *Uſquedum Columnæ cœli concutiantur & ſtupeſcant ab increpatione ejus.* Et 2 Sam XXII. 8. *Et concutitur ac movetur Terra, fundamenta Cœlorum commoventur, concutiuntur autem, cùm ira accenditur ei,* cum quo ſi conferas locum parallelum (Pſ. XVIII. 8. *Et concutitur ac movetur Terra, fundamentaque montium commoventur, concutiuntur autem cùm ira accenditur ei:*) apparet, quæ priori loco vocantur Fundamenta Cœlorum, poſteriori vocari fundamenta montium, quibus ſimul ipſi montes connotantur, ut ita montes dicantur fundamenta Cœlorum. Utraque autem locutio ſatis eſt vulgaris, innitens illi ſenſuum præjudicio, quod cœlum montibus incumbat, unde & Poëtæ Atlantem portare cœlum dixerunt, nominatim Homerus Odyſſ. A. Montes autem in priori loco dicuntur *columnæ,* quatenus attenditur ad interſtitium, quod inter illos datur, *fundamenta* verò ſimpliciter, quatenus cœlum iis incumbere videtur. Cum hâc noſtrâ interpretatione conſentientes producit Mercerus in Jobi locum citatum. *Metaphoricè hæc dicuntur, non quod alioqui cœlum columnas habeat, quibus nitatur, ſed quod in vehementiori orbis concuſſione videatur nobis perinde, ac ſi nutent ejus columnæ. Alii terram & montes & ſolidiores Terræ partes putant columnas Cœli dici, quod velut illis innitatur, & Terra velut orbis totius fundamentum ac firmamentum ſit.* Ipſe autem in genere nobis aſſentitur, dicendo, quod ſit locutio ſecundùm id quod videtur. Eodem modo exponit hæc loca inter ſe collata Ravanellus, qui ad vocem Fundamentum ſic annotat p. 656. *Fundamentum cœlorum i. e. montes altiſſimi, quibus videtur cœlum quaſi incumbere, & inniti, ſicut Poëtæ de Atlante fabulati ſunt* 2 Sam. XXII. 8. Pſ. XVIII. 8. Hactenus ille. Veritas autem his locis ſignificata eſt: *Cœlum cum Terra & montibus per iram Dei corruere,* innitens iſti præjudicio, quod cœlum videatur incumbere montibus & Terræ.

CCCCXXXI. Ad collationem iſtam duorum locorum, in quâ tamen vis interpretationis meæ conſiſtit, nihil habet B. Sed excipit p. 86. *Mercerum mecum non conſentire, quia dicat tantùm Coelum montibus*

VELUT inniti, & Terram VELUT totius orbis fundamentum & firmamentum eſſe.

Reſp. Mercerum non quoad hunc locum mecum conſentientem citavi, ſed alios ab ipſo ſine nomine commemoratos, qui eo ipſo, quo dicunt: *Cœlum montibus VELUT inniti &c.* mecum conſentiunt; quomodo enim cœlum *VELUT* innititur Montibus &c. niſi exinde, quia ita apparet, quia hoc eſt phænomenon, niſi quia Cœlum montes & Orbem Terræ videtur contingere. Ut enim quod reſpectu alterius ſuperiori in loco eſt conſtitutum, illudque inferius contingit, dicitur ei inniti, ita & hic, quia reſpectu Terræ & Montium Cœlum ſuperiori eſt loco conſtitutum, idque Terram & montes videtur deſuper contingere, dicitur Terræ & montibus inniti.

CCCCLXXXII. Exc. 2. B. p. 86. *Ratio ſimilitudinis eſt, ut fundamenta ſeſe habent ratione locationis ſub ædificio: ita montes, imo tota terra ſub coelo.*

Reſp. Nego hoc modo exhauriri vim ſimilitudinis. Fundamentum enim non poteſt dici id, quod reſpectu alterius inferius eſt, niſi id contingat, ei conjungatur, aut ſaltem videatur contingere. Nec fundamentum ædificii dicetur quod reſpectu ejus eſt inferius, niſi contactus accedat eique alterum innitatur. Sic inepte dices terram fundamentum Solis & ſtellarum, dum in medio cœli ſunt conſtituta, nec videntur Terram contingere.

CCCCLXXXIII. Exc. 3. B. p. 86. *Quidnam eſt quod videtur? anne quod coelum montibus incumbit? id non dicit Mercerus, ſed quod in vehementi orbis concuſſione quaſi NUTENT ejus columnæ, ita ut τὸ videri referat ad nutare, non ad columnas.*

Reſp. At quomodo poſſunt videri nutare Columnæ cœli? niſi vel revera montes & terra ſint Columnæ cœli, quod non dicet adverſarius, vel videantur tales, & ſic in concuſſione orbis quaſi nutare; itaque τὸ videri & ad columnas & ad τὸ nutare eſt referendum.

CCCCLXXXIV. Exc. 4. p. 86. *Sed dixerit Mercerus, montes videri columnas cœli, & ita vocentur propter apparentiam reſpectu viſus, non tamen inde inferri poterit illam denominationem fieri propter errorem vulgi &c.*

Reſp. Ex eo, quòd montes videntur columnæ cœli, infertur, hoc ipſum eſſe phænomenon, quod cùm oriatur exinde, quod propter diſtantiam corpora inter montes & cœlum intercedentia non poſſunt animadverti, inde ſequitur, in reiveritate cœlum non incumbere montibus, adeoque

eoque, quando montes dicuntur fundamenta vel columnæ cœlorum, locutionem eſſe vulgarem apparentiæ & præjudiciis ſenſuum innitentem, quod eſt quod hic urgeo & intendo.

CCCCLXXXV. Exc. 5. B. p. 87. *Si montes vocentur columnæ cœli propter errorem à præjudiciis ſenſuum, propter quam rationem aut quæ præjudicia ſenſuum tribuitur ipſis ſtupor &c? Si ergo hic mera Metaphora, dicatur & idem de montibus.*

Reſp. Quod Metaphora locum non poſſit habere niſi hoc præjudicium præſupponatur, patet ex reſponſione ad exceptionem ſecundam. 2. Non ſequitur, ſi in phraſi conjuncta non ſit reſpectus ad id quod videtur, ergo nec in altera, aut quâ arte Logicâ hoc elicies? quaſi vero idem modus loquendi, idem tropus in phraſibus conjunctis locum debeat habere.

CCCCLXXXVI. Exc. 6. M. p. 95. *Supponi in meo argumento, per fundamenta Cœlorum & fundamenta montium ſignificari unam eandemque rem.*

Reſp. Ex collatione locorum apparet, quod cum fundamentis montium ſimul ipſi montes connotentur, quod & Ravanellus vidit.

CCCCLXXXVII. Exc. 7. M. p. 95. *Me ſupponere, per fundamenta montium denotari ipſos montes.*

Reſp. Non ſuppono denotari, ſed dico connotari, & ex collatione demonſtrari, & terram quæ eſt fundamentum montium contremiſcere, & ipſos montes, qui fundamenta cœlorum appellantur, concuti & commoveri.

CCCCLXXXVIII. Exc. 8. M. p. 95. *Si ex loco Jobi poteſt colligi, Montes dici columnas coeli, quia iis videtur coelum inniti, Ergo etiam Montes videbuntur vel apparebunt animalia, qui obſtupeſcant & rationalia, qui à Deo increpentur.*

Reſp. In loco Jobi, ut ex collatione reliquorum patet, duo ſunt, Metaphora in voce *fundamenta*, quæ in textu habetur, & ratio iſtius Metaphoræ, quam probavi inde deſumi, quod viſui appareat, cœlos ſuper montibus inniti. Similiter in voce *ſtupor* Metaphoram agnoſco, ſed rationem metaphoræ dico non eſſe eandem, ſed dici *ſtupere*, quod in externo ſtatu poſt motum ſimiles ſint animalibus ſtupentibus, non verò quòd videantur vel appareant animalia.

CCCCXXXIX. Exc. 9. M. p. 95. *Probandum erat per columnas coeli non intelligi angelos robuſtiſſimos.*

Reſp. At ſententia illa quorundam Peripateticorum, qui putarunt affixos

fixos Angelos orbibus & ſphæris cœleſtibus volvendis jam diu exploſa eſt, tum, quod iſtius Angelorum officii nullam faciat Scriptura mentionem, tum quod Deus naturæ nexum tam firmum conſtituerit, & leges ordinis, quas eſt obſervatura quamdiu erit, modò Deus manu ſua ſuſtentet & conſervet, ut Angelorum operâ hic non ſit opus.

CCCCXC. Exc. 10. M. p. 96. *Quid ſi ipſi coeli intelligantur per fundamenta coelorum, ut per fundamenta montium ipſi montes.*

Reſp. Dico connotari Montes, non deſignari per fundamenta montium. Quando enim fundamenta Montium tremunt, ipſi montes contremiſcere ſunt dicendi. De reliquis vide Reſponſum §. CCCCLXXXVI.

CCCCXCI. Exc. 10. M. p. 96. *Quid ſi coelorum vires, robur & potentia intelligatur, item firmitas & conſtantia per iſta fundamenta.*

Reſp. Non opus eſt, ut probato, quid debeat intelligi per fundamenta cœlorum & columnas, omnes alienas interpretationes refutem, ſed ab antagoniſtâ aliqua contraria fuiſſet eligenda, quam contra me defenderet, neque ita crebrò deſiliendum ab uno ad aliud.

CCCCXCII. Quæ porro ab H. p. 232. —— 235. ſunt objecta, procedunt exinde, quod mentem meam non rectè fuerit aſſecutus, ad quæ hæc tantùm annoto. 1. Columnas hîc dici cœli, ergo attendi ad rationem ſuſtentandi debere. 2. Neque opus eſſe, ut Judæi adulti crediderint inniti cœlum montibus, ſufficere quod ſit phænomenon hoc, ſuper quo præjudicium infantiæ eſt formatum, quod occaſionem dedit iſti locutioni, quæ manſit etiam poſt ejus depoſitionem in adulta ætate. 3. Non ſequitur, omnia quæ metaphoricè tribuuntur montibus, fundari debere in ſenſuum apparentiis, ſed ubi phænomenon aliquod eſt, & locutio ei innixa, ibi illius rationem ex eo eſſe deſumendam, ut ita locus Pſal. CIV. 8. nihil ad rem faciat. 4. Quin Poëtæ & alias habuerint rationes, quare Atlantem dixerint humeris ſuis cœlum portare à me non negatur. Quod vero ad illud phenomenon reſpexerint mihi quàm veriſſimum videtur, & fuiſſe opinionem à quibuſdam receptam patet ex eo, quod Ariſtot. lib. 2. de Cœlo eam debuerit refutare, & ex ipſo H. qui p. 234. dicit *Incolas Cœli columnam Atlantem montem dixiſſe.* Videatur Ariſtoteles lib. 2. de Cœlo cap. 1. Διόπερ οὔτε κατὰ τὸν τῶν παλαιῶν μῦθον ὑπολημπτέον ἔχειν, οἵ φασιν Ἄτλαντός τινος αὐτῷ προσδεῖσθαι τὴν σωτηρίαν. ἐοίκασι γὰρ καὶ τοῦτον οἱ συστήσαντες τὸν λόγον τὴν αὐτὴν ἔχειν ὑπόληψιν τοῖς ὕστερον, ὥσπερ γὰρ περὶ βάρος ἐχόντων καὶ γεηρῶν ἁπάντων τῶν ἄνω σωμάτων, ὑπέστησαν αὐτῷ μυθικῶς ἀνάγκην ἔμψυχον. *Idcirco neque putandum eſt, ipſum in ſeſe habere, ut veterum fabula dicit, qui quidem ſalutem ipſius Atlante quodam inquiunt indigere.*

gere. Et ii namque qui hanc ſententiam attulerunt, idem, quod poſteri videntur exiſtimaſſe. Nam quaſi pondus haberent ſupera corpora omnia terreaque eſſent, neceßitatem animæ participem ipſi fabuloſe ſuppoſuere.

CCCCXCIII. Tertiam Claſſem locorum conſtituimus in iis, quæ *Extremitatum* Terræ faciunt mentionem, qualia ſunt inter alia Pſal. II.8. *Pete a me, & donabo gentes in poſſeßionem tuam, & fines terræ jus poſſeßionis tuæ.* Pſal. XXII. 8. *Recordabuntur & convertentur ad Jehovam omnes fines terræ.* Pſal. XLVIII. 11. *Laudem tuam eſſe uſque ad extremitates terræ.* Jer. X. 13. *Qui effert vapores ab extremitate Terræ.* Sic Dan. IV. 11. de arbore, quam vidit Nebucadnezar in ſomnio: *Crevit arbor & invaluit, & altitudo ejus accedebat ad coelum, & conſpectus ejus ad finem totius terræ*; quibus duobus poſterioribus locis plane reſpicitur ad horizontem, ubi Terra & cœlum apparent inter ſe invicem ſe contingere, adeoque Terra terminari per cœlum, propter quod ulterius non liceat progredi. Sic enim conſpiciuntur vapores ad horizontem exſurgere & ſe elevare verſus cœlum, atque ita viſa eſt arbor ſuos ramos extendere uſque ad horizontem. In omnibus his locis fit mentio Terræ finium & extremitatum, non habito reſpectu ad Terræ interiora, quomodo poteſt vocari Terræ extremitas illud totum, quod pedibus calcamus, ſive ipſa Terræ ſuperficies (quod quidem per ſe clarum eſt, nec enim alias extremitates Terræ poſſent opponi habitationibus Judæorum, cùm ſecundùm iſtum ſenſum omnes homines æqualiter in extremitatibus Terræ habitare ſint dicendi:) ſed reſpectu ipſius ſuperficiei, cùm tamen nullibi Terra habeat fines in rei veritate, ſed rotunda exiſtat, quod concedunt & norunt hodie omnes Geographi. Talium locutionum pleni ſunt profani auctores, ad quod exemplis probandum non pigebit deſcribere ea, quæ habet Bochartus in Phaleg lib. 3. cap. 7. p. M. 191. *Merito Iberi dicti, qui ex Phœnicum ſententiâ terrarum fines ultimos occupârunt; Hiſpani nempe, quorum urbem Calpen Tyrii putaverunt eſſe* τέρμονας τῆς οἰκουμένης, *ut in Strabone habetur. Tale eſt, quod Gaditanum templum Poſidonius ſcribit eſſe* καὶ γῆς καὶ θαλάττης τὸ πέρας maris & terræ terminum. *Et quod in Homero Proteus Menelaum ita compellat:* Ἀλλά σ' ἐς Ἠλύσιον πεδίον καὶ πείρατα γαίης, Ἀθάνατοι πέμψουσιν, Te ſed ad Elyſios campos atque ultima terræ mittere Diis libitum, *id eſt in Hiſpaniam, ut interpretatur Strabo. Quos ſecutus Claudianus de Stilichone dicit*; in extremos aciem mittebat Iberos. *Pro quo alibi primos vocat, ſed eodem ſenſu lib. 1. in Rufinum*: à primis Ganges horrebat Iberis. *Et in Apollonio Philoſtratus lib. 2. cap. 14.* In ipſo (*clypeo*) Hercules inſculptus erat terminos terræ penes Gades collocans. *Et lib. 5. initio*: De

Digitized by Google

columnis, quas veluti terminos poſuiſſe Herculem ferunt. *Itaque in Pindaro nihil frequentius, quàm ultra Herculis columnas non poſſe navigari. Vide illum imprimis Olympiâ 3. in fine, ubi de his ſermonem ita claudit:* Τὸ πόρσω δ᾽ ἐστι σοφοῖς ἄβατον κἀσόφοις, οὐ μιν διώξω, κεινὸς εἴην. Quod ultra eas eſt ſapientibus & inſipientibus *æquè* inacceſſum. Itaque non proſequar, nam vanus eſſem. *In quem locum dicit Scholiaſtes Herculem voluiſſe ulterius progredi. At inquit:* χάος εὑρὼν καὶ ζόφον ἔστησε στήλας, δι᾽ ὧν ἐμήνυσε τὸ πέλαγος τῆς θαλάσσης, ὡς μηδὲν εἶναι περαιτέρω πλωτόν, cùm chaos & tenebras reperiſſet, columnas conſtituit, per quas ſignificavit hunc eſſe finem maris, ita ut ulterius nihil ſit navigabile. *Quibus conſona hæc anonymi Geographi* ſub Conſtantio: Inde Oceanum eſſe dicitur, & hujus partem quam nemo hominum narrare poteſt. *Deinde barbarus ſcriptor quaſi cunctabundus addit*: Sed quid ibi eſſe poteſt? Eſt enim deſertum, & ſicut ajunt, eſt ibi finis mundi. *Plura vide apud Eraſmum in adagio* Ἡράκλειαι στῆλαι. *Inde nugæ illa olim credita apud Poſidonium & Artemidorum, Solem cum prope Gades occumbit videri* ἑκατονταπλασίονα, *id eſt centuplo majorem, quàm alibi appareat, & in ipſo Solis occaſu ſtridorem edi,* ὡσανεὶ σίζοντος τοῦ πελάγους κατὰ σβέσιν αὐτοῦ διὰ τὸ ἐμπίπτειν εἰς τὸν βυθόν, tanquam ſtridēte pelago, cùm extinguitur Sol, quia in abyſſum demergitur: *Et ſtatim ab occaſu noctem ingruere, demerſo ſcilicet & extincto Sole. Et quo tempore excreſcens Oceani aqua regionem inundat, animas morientes non deſerere. Quales nugas referunt non Græci ſolum, ſed & Romani Scriptores. In his Florus* cujus verba ſunt lib. 2. c. 17. Decimus Brutus aliquando latius, Celticos Luſitanoſque, & omnes Gallæciæ populos, formidatumque militibus flumen OBLIVIONIS, peragratoque victor Oceano, non prius ſigna convertit, quàm cadentem in mare Solem, obrutumque aquis ignem, non ſine quodam ſacrilegii metu & errore deprehendit. *Sed nec Ariſtoteli viſum eſt incredibile, quod nonnulli opinantur* συνάπτειν τὸν περὶ τὰς Ἡρακλείας στήλας τόπον τῷ περὶ τὴν Ἰνδικὴν locum qui eſt circa columnas Herculeas ei conjungi qui eſt circa Indicam. *Atque eâdem de cauſâ terræ ſuæ terminos apud Abdiam* צרפת Sarphath *&* ספרד *Judæi volunt eſſe Galliam & Hiſpaniam,* quia Pſ. LXXII. 8. Pſaltes Chriſti imperium extendit uſque ad fines terræ, quos *Aben Ezra in illum locum ſcribit eſſe* בסוף מערב in extremo occidente: *Denique ab Hiſpanis ipſis Nerium vel Celticum promontorium in Artabris vocatur* Finis Terræ. Hactenus Bochartus. Nititur ergò hæc locutio præjudicio ex fallaciâ viſûs deſumpto, ſecundùm quē ab infantiâ putamus extremitatem Terræ ibi eſſe, ubi Cœlum & Sol occidens & oriens Terram quaſi contingere videtur, & Terram deorſum infinitis radicibus extendi.

Digitized by Google

tendi. Et ſanè hoc præjudicio infantiæ adhuc innexos manſiſſe etiam eos, qui inter literatos nomen ſuum ſunt profeſſi, apparet ex iis, quæ ex Bocharto adduximus. Addit his multos ex Patribus Parkerus de Deſcenſu Chriſti ad inferos Lib. II. §. 74. *Perſuaſum habebant ferè omnes ad unum, Terram ultra horizontem non exſtare habitabilem, totam aquis innatare, quas vocabant Abyſſos mundi, ibi eſſe & Abrahæ ſinum (inſulam ſcilicet aut ſaltem regionem maritimam, ſinum enim Abrahæ portum interpretantur) & ſubterraneum ignis theſaurum. Motum coeli negârunt Origenes, Diodorus Tharſenſis, Euſebius Emiſſenus, omnis ferè Theologorum ſchola, ut apud Senenſem videre eſt. Sic Juſtinus Martyr. Coelum eſſe ſphæricum, vel ſphærico motu moveri impoßibile eſt. Sic* HIERONYMUS. *Si quis coelum putat fornicis more curvatum, Eſaiæ quem non intelligit verbis deceptus, ſtultiloquium eſt.* PROCOPIUS *autem Gazæus: ſi quis coelum dicat eſſe figura ſphærica, eum contradicere Moſi, Prophetis, Paulo, & ipſi Chriſto contendit Cæſarius Nazianzeni frater, coelum appellat hemiſphærium non ſphæram. Sol non aſcendit (inquit) ſed egreditur Pſalm. 19. & redit ad orientem occultè, Borealem plagam permeans: nox autem fit, elevante ſe Cappadocum ſolo. Hinc de infimo hemiſphærio ita exclamat O miraculum; quomodo ſolubili innatat terra? quomodo per liquidum non penetrat grave? quomodo montes in molli non ſubmerguntur? Reſonat huic Chryſoſtomus. Contra aquarum naturam eſt ferre corpus tàm grave, & interim contra naturam terra ſedem in alio fundamento habere. Deus autem contra quam homines in omnibus operatur: Illi aquam in fundamentis fugiunt, hic appetivit: illi tectum, hic fundamentum poſterius ædificavit. Sic Baſilius, Theodoretus, Theophylactus, Elias Cretenſis Nazianzeni Scholiaſtes, ſic denique omnes prope divinarum rerum periti patres, figuram & motum coeli rejecerunt tanquam figmentum Græcorum & à ratiocinando profectum.* Subjungit Parkerus §. 76. Auguſtinum de quo ſic loquitur: *Cùm ante dubitâſſet, tandem inferos ſub terris eſſe concludit: ſub terris cùm dicit, idem dicit cum Tertulliano, ſub corpore terræ.* Poſt quæ hæc ironicè addit Parkerus: *Jam enim factus ſcilicet prudentior damnarat Antipodas, quos juvenis ante probarat. Sic ſolent homines proficere.* Ridet poſtea Hieronymi argumenta riſu quoque digna, quibus commotus Hieronymus, Vir cætera doctiſſimus, Infernum ſub terrâ eſſe, extra omnem dubitationis aleam ponit, hunc in modum §. 82. in Hieronymum inſurgens: *Quibus vero ille rationibus pugnarit, & extra omnem ambiguitatem (ut ille quidem opinabatur) ſuum ſenſum hunc poſuerit, poſteris denique ſuis perſuaſerit, pudet equidem me referre. Ex hoc quod dicitur, uſque ad fundamenta laci, diſcimus quòd Infernus ſub terra ſit. Ridicule. Infernus ſub terrâ eſt, quia cor terræ appella-*

tur. Puerile, Nec minus abſurde iſta. Noverimus loca ergaſtulorum ſecundum fidem Scripturarum inter immenſas abyſſi aquas conſtituta. Probat verò ex Pſalm. LXIII. *& Job.* XXXVI. *Gemunt gigantes ſub aquis, hoc eſt, Diaboli in Inferioribus terræ, ubi inferi eſſe perhibentur. Aquæ enim ejus naturæ ſunt, ut ſine terra eſſe non poſſint.* Sic Lactantius lib. 3. Inſtit. cap. 24. ridet Philoſophos, qui ſtatuebant, Terram eſſe rotundam, & dari Antipodes. Nihil tamen contra eos affert, quo refutentur, niſi talia præjudicia ſenſuum, contra quæ quia Philoſophorum ſententia militabat, ridicula ipſi fuit viſa, non aliter ac nunc vulgò ridentur, qui firmis rationibus inducti Terram circa Solem deferri exiſtimant. Ita idem ille Lib. 3. de falſâ ſapientiâ cap. 24. adeò ineptis argumentis impugnat Antipodes, ut nunc vix ſit hominum qualemcunque cognitionem hiſtoriarum habens, qui non riſu potius quàm refutatione digna arbitretur; qnod ut conſtet audiamus ipſum loquentem Lactantium: *Quid illi, qui eſſe contrarios veſtigiis noſtris antipodas putant; num aliquid loquuntur? aut eſt quiſquam tam ineptus, qui credat eſſe homines, quorum veſtigia ſint ſuperiora, quàm capita? aut ibi quæ apud nos jacent, inverſa pendere? fruges & arbores deorſum verſus creſcere? pluvias & nives, & grandinem ſurſum verſus cadere in terram? Et miratur aliquis hortos penſiles inter ſeptem mira narrari; cùm Philoſophi & agros, & maria, & urbes, & montes penſiles faciant?* Tàm altas autem egerunt præjudicia iſta radices, ut Johannes Aventinus lib. 3. Annalium Bojorum referat, Epiſcopum quendam Germanum, nomine Virgilium, Mathematicis artibus inſtitutum, à Zachariâ Papâ Romam accerſitum & hæreſeos damnatum eſſe, propterea quòd antipodes ſtatuerit; neque potuit illa opinio ex hominum mentibus eradicari, donec Chriſtophorus Columbus illam Orbis partem, in quâ ſunt Antipodes detexiſſet. Unde vis præjudiciorum patet quam clariſſimè, quæ uti ſentiendi ita & loquendi libertati fibulam impoſuerunt. Inde Terra ſortita eſt nomen *Orbis*, quia videtur quaſi planities ſive diſcus, à Cœlo undique in rotundum concluſus. Sub illis tamen loquendi formulis *de Terræ finibus* hæc veritas latet, ut per eas deſignentur *remotiſſimæ gentes & loca*: at præjudicium, quò illa eſt obvoluta, eſt fallacia illa viſûs, quâ, ubi eſt Sol oriens & occidens, Cœlum Terram contingere videtur.

CCCCXCIV. Exc. 1. B. p. 38. *Per extremitates & fines terræ intelligi debent extremitates habitationum, quibus homines degunt, quales reverâ dari in orbe rotundo terrarum certo certius eſt, probatur, quia agitur in dictis locis de regno Chriſti extendendo in omnes nationes, ita ut reſpiciatur non figura terræ, ſed genus humanum. Hoc verò p. 88. per extremitates Terræ intelligit*

illas

Digitized by Google

illas, quæ mari quaquâverſum terminantur, lambuntur, diſtinguuntur, clauduntur.

Reſp. Quænam ſint illæ extremitates habitationum in terra rotunda, debuiſſet à B. explicari, quòd ſi per eas idem intelligat, quod H. dico, habitationum terræ extremitates, ut nec ipſius Terræ, non poſſe dici, niſi reſpicias ad aliquid, quod eas extremitates faciat, vel efficere videatur. At cum ultra mare iterum ſit terra ſtabilis, ut ex Geographia conſtat, non poſſunt dici extremitates vel Terræ vel habitationum, niſi ex illo Terræ & Cœli confinio. 2. agitur de regno Chriſti extendendo in remotiſſimas regiones, quæ cenſendo à terra Judaica ſunt eæ, quæ ab illo centro ſunt maximè remotæ, ut ex globo Geographico apparet, quæ per extremitates Cœli & Terræ deſignantur, ita ut veritas iſtâ formulâ denotata præjudicio dicto ſenſuum ſit involuta. 3. ſi eæ partes intelliguntur, quæ mari undiquaque terminantur, cum Terra ſancta ab Oriente terminetur Syria & Arabia, à Meridie deſerto Pharan & Ægypto, ab Occidente mari magno ſive Mediterraneo, à Septentrione Libanum montem fines habeat, erit dicendum, ab una parte intelligi regiones & nationes Mediterraneo mari adjacentes, quales ſunt Tyriorum, Philiſtinorum, ab altera verò parte uſquedum undique tum à Syria & Arabia ad mare rubrum, tum ab Ægypto ad mare Æthiopicum, tum à Libano monte longo demum tractu ulterius pergendo uſque ad Oceanum pervenias, & ſic excludendæ erunt eæ partes, quæ ultra Oceanum jacent, & mare Mediterraneum, quod abſurdum apparet. Noſtra ergò interpretatio iſtorum locorum longè concinnior cenſenda.

CCCCXCV. Exc. 2. H. p. 236. *Verba Pſalmi ad æternum Dei Filium facta eſſe, non ad vulgum.*

Reſp. Sed ita ut nobis ſint revelata, adeoque ad captum noſtrum propoſita. 2. illa quæ in Pſalmis reliquis habentur, non ad Filium ſunt facta.

CCCCXCVI. Exc. 3. B. p. 88. *A vulgo credi terram deorſum infinitis radicibus extendi & quidem errore à præjudicio ſenſuum orto nunquam innotuit.*

Reſp. Præjudicium eſſe infantiæ quilibet, ſi, quas in infantiâ eâ de re habuerit cogitationes memoriâ recolat, experietur, idque exemplo Patrum & Lactantii aliorumque plurimorum, qui ante Chriſtophorum Columbum vixerunt, exemplis §. CCCCXCIII. apertè fuit confirmatum.

CCCCXCVII. Quartum Inductionis exemplum ſuppeditat locus Job. XXVI. 7. *Qui extendit Aquilonem ſuper inane, ſuſpendens Terram ſuper ni-*

nihilum. Per *Aquilonem* commodè hic intelligitur cœli pars illa quæ habet Polum Arcticum, conſtituta à Circulo Æquinoctiali, qui cœlum dividit in duas partes. Atque huic interpretationi Mercerus conſentit, dicendo: *Poſſumus generaliter accipere Aquilonis nomine totum hemiſphærium noſtrum, quod Aquilonare eſt & ſuperius.* Item Buxtorfius in Lexico ad vocem צפון dicit per illam intelligi *plagam Mundi ſeptentrionalem quaſi Abditam dictam nempè à ſole, qui ad eam non accedat*, adductis quibuſdam exemplis. *Inane* autem explicandum eſt de Aere, quem vulgus nihil eſſe putat, unde ſæpe audias, hominibus idiotis Aërem & Nihilum pro eodem ſumi, adeoque ſpatium illud inter Cœlum & Terram inane judicari. A parte noſtra ſunt Piſcator in notis ad Jobum, & Mercerus commentario in eundem: quorum ille ad hæc verba (ſuper inane) notat: *id eſt, ſuper aërem, cujus ſpatium imperitis naturæ rerum videtur inane.* Hic vero. *Super inane, ſive vacuum dicit juxta vulgi opinionem, juxta quam SÆPE SCRIPTVRA LOQVITVR, qui putat vacuum eſſe totum illud ſpatium, quod eſt à Terrà hinc ad Coelum uſque, cùm ſit aëre plenum & occupatum.* Veritas ergo hic ſignificata eſt, Deum extendere Cœlum ſuper aërem, qui ei nullum fulcrum præbere poteſt, & terram ſuſpendere ſuper eodem, qui ejus pondus ſuſtinere nequit. Præjudicium vero, cui veritas illa eſt involuta, eſt, quod aërem homines ab infantia, quamdiu nullum in eo ventum, nec frigus aut calorem experiuntur, pro nihilo prorſus ducant, illudque ſpatium, quod à Terra ad Cœlum extenditur, inane judicent.

CCCCXCVIII. Exc. 1. B. p. 89. *Vocem* תהו *interpretes Belgæ vertunt het woeſte, Hieronymus Vaſtum, Genevenſes le Vuide, Junius & Tremellius inane, omnes tamen ſimul intelligere videntur totum illud ſpatium quod eſt à Coelo uſque ad terram.*

Reſp. Hæ interpretationes non pugnant cum interpretatione Piſcatoris & Merceri, quas pro me adduxi. Neque enim ille, neque ego nego, quod per inane & nihil debeat intelligi totum illud ſpatium, quod eſt à Cœlo uſque ad Terram, cujus pars Terræ proxima ſolet Aër appellari, unde Genevenſes dicunt, *Il ſouſtient la terre comme par de contrepois en l'air. Suſtentat terram in aëre ut per contralibrationem.* Sed quæſtio eſt, annon aër vel illud ſpatium, quod eſt à Cœlo uſque ad Terram Inane & nihil appelletur ex præjudicio Infantiæ ſuprà explicato? quod ego affirmo.

CCCCXCIX. Exc. 2. B. p. 90. *Alia poteſt dari ratio meo judicio multò ſolidior, videlicet vocem illam uſurpari, ut denotetur, nullum eſſe ſoli-*

Digitized by Google

ſolidum fundamentum Coelorum circumquaque extenſorum &c.

Reſp. Non ſtatim id, quod non eſt ſolidum, dici poteſt inane, vel nihilum in rei veritate, niſi habeatur reſpectus ad præjudicia, adeoque nihil quicquam hæc exceptio meæ ſententiæ contrariatur. Itaque probationes adverſarii ſunt fruſtraneæ. Non quæritur enim inter nos, an hîc Jobus velit potentiam Dei probare, quod libenter concedimus; nec quæritur, an hoc ſit argumentum potentiæ divinæ, quòd cœlum expanderit ſuper inane & Terram ſuper nihilum, ſed quid per illud inane intelligatur & nihilum, &, ſi Aër intelligatur ſive ſpatium à Cœlo uſque ad Terram, quare illud Nihilum & inane vocetur? annon propter præjudicium? quod ego exiſtimo cum Mercero & Piſcatore, neque hactenus contrarium oſtenſum.

D. Exc. 3. H. p. 238. *Extenſio illa propriè Aquiloni vento Boreali tribui potiùs debet.*

Reſp. Contrarium patet ex voce *extendit*, quæ de Cœlo non de vento ſolet uſurpari. 2. ex phraſi adjectâ. Eo enim modo Deus extendere dicitur Aquilonem ſuper inane, quomodo Terram ſuſpendit ſuper nihilum. At Terram ſuſpendit ſuper Aërem. Ergò ſimiliter Cœlum Aquilonare ſive partem Borealem ſuper Aërem extendit.

DI. Ad reliqua quæ hic H. p. 237, & 238. item M. p 98. habent, noto, 1. ſi concedatur, Spiritus Sancti effectum eſſe, quod vulgus de inani ſenſit, confirmatur quod intendo, nimirum ad præjudicia infantiæ reſpexiſſe, quæ vulgus, hoc eſt, ii quibus aëris corporeitas non eſt demonſtrata, retinent. 2. Per Aërem præjudiciis infantiæ capti non intelligunt nihilum poſitivum, privativum ego dixero, hoc eſt, ut explicat H. quod non eſt id quod ineſſe debet, quemadmodum urna dicitur vacua, quæ non continet lac vel aquam vel ſimile aliquid, ſed ex illo modo judicandi. *Ubi nihil ſentio, ibi nihil eſt*, merum nihil ſive negativum intelligitur. 3. Si concedas, errori vulgari ſuperſtructam eſſe locutionem, uti non videtur valde negare M. tum concedis id, quod ego hîc intendo.

DII. Quintum inductionis exemplum deſumimus ex Gen. I. 16. *Fecit Deus duo illa luminaria magna, luminare majus ad præfecturam diei & luminare minus ad præfecturam noctis atque ſtellas.* Sol & Luna vocantur luminaria magna oppoſitè ad reliquas ſtellas: quod apparet ex eo, 1. quoniam Moſes dicit: Deus fecit duo luminaria magna, *atque* NB. ſtellas, ſi enim non diceretur oppoſitè ad ſtellas, non duo luminaria facta eſſe dicendum fuiſſet, ſed plura. 2. Dicit Moſes: duo *illa* luminaria magna, Ergò in hâc phraſi his duobus, præ aliis, inſignis magnitudo adſcribitur, cùm

cùm accuratè loquendo potiùs ſtellæ oppoſitè ad Lunam ſint *illa* luminaria magna. At certum eſt, apud Aſtronomos plurimas ſtellas tam fixas quàm Planetas ſuperare Lunam ſuâ magnitudine. Videſis Clavium in Sphæram de ſacro Boſco p. 205, 206. Ergò hîc iterum eſt exemplum Scripturæ uſurpantis formulam Phænomeno convenientem & veritatem præjudicio involutam referentem. Atque veritas hîc ſignificata à Spiritu Sancto eſt, quod Deus fecerit duo illa corpora, quæ nobis præ aliis majorem uſum præbent, magiſque nos illuminant interdiu & noctu. Præjudicium, quo involuta eſt veritas formulâ receptâ, eſt magnitudo Luminis & Corporis præ ſtellis tanquam cauſa illius majoris uſus & illuminationis. Conſentiunt Belgæ interpretes: *De welcke groot genoemt worden, ten aenſien van haer uyterlijcke gedaente, ſoo die in onſe oogen valt, en haer uytnemende werckingen,* id eſt, *quæ magna appellantur reſpectu ipſorum externæ ſpeciei, ut illa in oculos noſtros incidit, & excellentium operationum.* Verba Calvini digna ſunt conſideratu, multumque proſunt ad totam noſtram Controverſiam. Is in verſ. 14. cap. 1. Geneſ. *Tenendum eſt illud,* inquit, *Moſen* NON ACUTE PHILOSOPHARI *de occultis myſteriis: ſed referre quæ paſſim etiam* RUDIBUS NOTA *ſunt, & poſita in vulgari uſu.* Item ad verſ. 15. *Iterum repetere operæ pretium eſt, quod prius dixi: non hîc philoſophicè diſſeri, quantus Sol in Coelo, & quàm magna vel parva Luna: ſed quanta lux ex ipſis ad nos perveniat.* SENSUS *enim noſtros hîc compellat, ne donorum Dei, quibus fruimur, cognitio præterfluat.* Et ad verſ. 16. *Hoc intereſt, quod Moſes populariter ſcribit, quæ ſine doctrinâ & literis omnes Idiotæ, communi ſenſu percipiunt: illi autem* (Aſtronomi puta:) *magno labore inveſtigant, quicquid humani ingenii acumen aſſequi poteſt.* Paræus conformiter ſatis huic noſtræ ſententiæ in hunc locum loquitur: *Lunâ minores ſunt ſtellæ aliæ, non quidem* REVERA, SED APPARENTER. *Nam & corpus lunare majus apparet, quia eſt aſtris infimum, & oculis noſtris viciniùs, proximum Terræ &c.* Sic Perkinſius tom. 1. pag. 1136. in *Bascanologia*: *Scriptura ſæpenumero de rebus loquitur, non quemadmodum in ſe ſunt, ſed quemadmodum nobis videntur. Hoc ſenſu affirmatur,* Deum feciſſe duo luminaria magna Solem & Lunam: *cùm tamen Luna ſit multis ſtellis minor: quia verò Terræ tam propinqua eſt, nobis major cæteris videtur, idcircò* luminare magnum *appellatur.* Similiter Piſcator in quæſtion. in Pentat. *Quo ſenſu Sol & Luna dicuntur luminaria magna? Reſp. Sic vocantur reſpectu noſtri ſenſûs & judicii oculorum.* Et Alſtedius in notis ad Geneſin. *Luna eſt luminare magnum non* SECUNDUM REM, *ſed ſecundùm* SPECIEM *duntaxat &* VIRTUTEM. Conſentientium nobiſcum in hujus loci interpre-

tatione

Digitized by Google

tatione agmen claudat Polanus, qui in ſuo Synt. Theol. lib. 5. cap. 23. *Sic*, inquit, *Sol & Luna dicuntur luminaria magna, quamvis ſtellæ fixæ ſint longè majores quantitate Lunæ &c. partim quoad δόξαν ſive opinionem communem vulgi, quod de rebus loquitur non ut ſunt, ſed ut videntur eſſe, &* AD CUJUS CAPTUM SP. S. IN HIS TALIBUS SESE ACCOMMODARE DIGNATUR.

DIII. Exc. 1. R. Analectorum Theologicorum diſp. 47. th. 5. ad hunc locum. *Imò ex rei veritate* (ſcil. dicitur Luna luminare majus:) *cùm magnitudo non modò de ſubſtantiâ, ſed etiam de potentiâ & operationibus dicatur Gen. XXIV. 35. Eccleſ. II. 10. Luc. I. 15. 1 Cor. XIII. 13. ita hîc intelligendum. Additur enim, luminare majus ad præfecturam diei & luminare minus ad præfecturam noctis. Verè ergò notatum Baſilio aliiſque, magna hæc luminaria nos poſſe accipere, non tam aliorum comparatione, quàm ſuo munere.*

Reſp. Concedimus, quòd à Spiritu Sancto ſignificetur, ea luminaria majorem uſum nobis præbere, atque nos magis illuminare quàm ſtellas, interim tamen ipſa illa veritas eſt hoc præjudicio involuta, quòd majora ſint reſpectu corporis & reſpectu lucis, uti vidimus ex interpretibus citatis, atque id præjudicium vulgo cenſetur cauſa iſtius majoris operationis & illuminationis.

DIV. L. p. 177. Novæ ſuæ ſapientiæ ſimilia exceptionis loco adfert. *Diſtinguo*, inquit, *magnitudinem, quæ non tantùm quantitatis eſt, ſed aliarum quoque rerum, inprimis virtutis & operationis. Niſi fortè viri magni nomen niſi in gigante non admittas. Luna inter majora lumina, ſed ut Lumen, & reſpectu in terris operationis. En tibi parmam hanc ereptam. Nam ad cætera, quæ proferre queas, facilior etiam ſolutio.* His conjungo B. D. p. 18. reſponſionem, quam putat. *Dico verò ibi reſpici non ad magnitudinem corporum, ſed ad rationem illuminandi, quia majus Lumen præbent in Terrâ, quatenus ſunt* מארח *luminaria: quod vel ex ipſo Moſe clariſſimè liquet. Nam agitur de eâ magnitudine, quâ Sol major apparet Lunâ, at diſcus Solis non major apparet, quam diſcus Lunæ, ſed multo majus præbet nobis lumen, ac eâ ratione eſt majus luminare quàm Luna; quæ etiam ob majus lumen multo majus luminare eſt, quàm vel Venus, vel Jupiter, vel maxima ex ſtellis primæ manitudinis.*

Reſp. Præter reſponſ. datam art. præcedente, vel ex eo apparet, quod ſit locutio accommodata ad ſenſuum apparentiam, quia Luna vocatur luminare, & in eodem ordine cum Sole collocatur, cùm tamen non niſi æquivocè luminare dici poſſit: quippe tanta, imo major eſt dif-

Digitized by Google

ferentia inter Solem & Lunam, quanta eſt inter flammam candelæ & lapidem aliquem ejus lumen reflectentem. Trium enim generum ſunt corpora in mundo: quædam emittunt lumen, ut Sol, Stellæ, Ignis; quædam tranſmittunt, ut Aër, Cœlum, Vitrum; quædam remittunt, ut omnia Corpora opaca, Terra, Luna & reliqui Planetæ. Certum equidem eſt, Lunam nullam habere lucem inſitam, uti apparet ſatis ex eo, quod tempore Novilunii etiam tempeſtate ſereniſſimâ non conſpicua ſit, niſi quod aliquando lumen in eâ tenue conſpiciatur, quod exiſtimandum eſt, eſſe à Terrâ ad Lunam reflexum: ſtellis autem fixis lucem inſitam competere, conſtat. Illa ergo procul dubio in ſe longè major eſt, tum quia eſt propria, tum quia eorum corpora longè ſunt majora Lunæ corpore: ſed ob maximam à nobis remotionem & diſtantiam fit, ut illa lux nobis non ita appareat, neque oculos noſtros tam fortiter feriat. Itaque ſi abſolutè loqui voluiſſet Scriptura, nullo habito reſpectu ad ſenſus noſtros, & eorum apparentiam, Luna vix luminare dici potuiſſet, ſed id nominis accuratè loquendo tantùm ſtellis fixis & Solis fuiſſet tribuendum: &, ſi etiam ea, quæ lumen reflectunt, ſaltem æquivocè inter luminaria ſint recenſenda, potiori jure Terra luminare accuratè loquendo appellanda, cùm Lumen longè & majus & fortius reflectat quàm Luna ob magnitudinem majorem. 2. Quando Moſes dicit, *Fecit Deus duo illa Luminaria magna*, oppoſitè ad ſtellas, illa phraſis refertur ad majorem apparentiam, tum reſpectu magnitudinis, tum reſpectu luminis, & ſignificatur major uſus & illuminatio, quam nobis iſta luminaria præbent. Quando autem poſtea dicit ſequentibus verbis, *luminare majus ad præfecturam diei & luminare minus ad præfecturam noctis*, comparationem inſtituit inter ipſa hæc duo luminaria, quæ oppoſitè ad ſtellas abſolutè magna dixerat, majorem & minorem illuminationem ſignificaſſe concedimus, ita tamen, ut & illæ phraſes phænomenon reſpiciant, quod hîc cum rei veritate concordat.

DV. Exc. 3. B. p. 92. *Me in reſponſionibus non diſtinguere, contra quem agam.*

Reſp. Ubi communiter excipiunt adverſarii, ibi me communia regerere non eſt mirum.

DVI. Exc. 4. B. p. 93. *Calvini interpretationem conſentire cum interpretatione meorum adverſariorum, ſic enim illum ad verſ. 15. Gen. 1. commentari. Minus luminare dicit comparativè, quia exigua eſt lucis portio, quam nobis emittit, prout eſt immenſus Solis fulgor.*

Reſp. Calvinus ad verſ. 16. totus noſter eſt, uti ſuperiùs vidimus; ſed

Digitized by Google

ſed nec verbis hic citatis nobis contradicit. Agit enim de Lunà oppoſitè ad Solem, quare ea in hac oppoſitione vocetur luminare minus, quid verò hoc ad ſententiam adverſariorum? Non enim quæritur, quomodo Luna reſpectu Solis minus luminare dici poſſit, ſed quomodo Luna dicatur magnum luminare oppoſitè ad ſtellas, ita ut hîc aliquanto accuratiùs ad id quod eſt in quæſtione attendi oportuiſſet.

DVII. Exc. 5. B. p. 93. *Negatam fuiſſe conſequentiam mea majoris.* Si Sol & Luna vocantur luminaria magna oppoſite ad ſtellas, ergo hîc iterum eſt exemplum Scripturæ uſurpantis formulam phænomeno convenientem, & veritatem præjudicio involutam referentem: *additâ ratione, quod appellentur magna luminaria non propter apparentiam, ſed propter operationum potentiam & magnitudinem.*

Reſp. Si *per phraſin iſtam Gen.* I, 16, potentia operationum & magnitudo ſit intelligenda, & ſimul ea involuta ſit præjudicio de magnitudine apparente corporis atque luminis Lunæ, orto ex apparentia, ut oſtendi, omnino firmata eſt meæ majoris connexio.

Inſt. B. p. 94. *Hâc meâ negatâ conſequentiâ nec à me probatâ obtineri contrarium, nempe Scripturam loqui ex rei veritate.*

Reſp. Cùm oſtenderim art. 501, 502. Lunam, quia ita apparet, vocari à vulgo luminare magnum, cùm & majorem vim illuminandi habeant ſtellæ quàm Luna, & majus lumen de ſe fundant, licet id propter remotionem non poſſit à nobis percipi, manet; Scripturam loqui convenienter phænomenis ſive apparentiis, & phraſin iſtam præjudicio eſſe involutam, quamvis, prout à Spiritu Sancto uſurpatur, tantùm veritatem exprimat.

DVIII. Exc. 6. B. p. 95. *Illa luminaria magna vocantur propter Luminis nobis exhibiti magnitudinem.*

Reſp. At illa magnitudo tantum eſt apparens eo ipſo, quod nobis ſit lumen magnum exhibitum. Majus enim de ſe fundere lumen ſtellas eſt certiſſimum, quamvis non majus appareat. Itaque ſi Luna vocatur luminare magnum, propter magnitudinem & corporis & illuminationis apparentem: Ergo exinde rectè concluditur, Scripturam convenienter phænomenis loqui, non judicando de iſtorum phænomenωn cauſis, num ea ſenſûs fallaciæ, num ipſis rebus adſcribi debeant.

DIX. Exc. 7. B. p. 96. *Me mihimet contrariari videri in eo, quod dicam, Lunam vocari luminare magnum propter magnitudinem illuminationis & luminis, & tamen dicam, tantum æquivoce luminare vocari.*

Reſp. Dixi, Lunam luminare magnum appellari, quod magna ap-

Digitized by Google

pareat, & reſpectu magnitudinis corporis & reſpectu illuminationis; quoniam vero ſimul oſtendi, nullum habere lumen inſitum, etiamſi ad nos magnum lumen inde perveniat, dixi, nonniſi æquivoce luminare magnum dici poſſe, inter quæ nulla planè contradictio exiſtit. Corpora enim quæ ex ſe lumen emittunt, proprie illuminant, exque ſua natura lumen fundunt; ſed quæ aliunde receptum tantum remittunt, ex ſe vero nullum præbent, luminaria non niſi æquivoce & per accidens dicentur. Niſi enim eſſent alia illa luminaria propriè ſic dicta, nihil hæc quicquam luminis eſſent præbitura.

DX. Exc. 8. B. p. 96. *Speculum radios ſolares in locum tenebricoſum reflectens poteſt dici illi loco luminare,*

Reſp. Concedo, eo modo quo Luna, ſed tantum æquivoce, non univoce & proprie.

DXI. Exc. 9. B. p. 97. *Ex articulis fidei & ſacris literis me iſtam phraſeologiam potuiſſe diſcere, videlicet eandem denominationem ſæpe attribui & cauſa efficienti & ſubjecto recipienti. Sic enim Spiritum vocari ſanctum & Eccleſiam ſanctam, Chriſtum vocari Lucem & Eccleſiam, nec tamen dici poſſe, Eccleſiam vocari ſanctam & Lucem habito reſpectu ad ſenſus noſtros, non ex rei veritate.*

Reſp. Negando quod ſimili ratione Sol & Luna dici poſſint luminaria, qua Chriſtus dicitur ſanctus & Eccleſia ſancta; ſanctitas enim Eccleſiæ, quamvis à Chriſto dependeat, inhæret & Eccleſiæ modificationem aliquam internam confert, quod de lumine Lunæ dici nequit, quod ei planè eſt externum, neque internam variationem confert.

DXII. Exc. 10. B. p. 97. *Ex rei veritate & accurate, non ex mera apparentia loquitur is, qui ſubjectum recipiens denominat ab adjuncto inhærente, quod facit Scriptura, dum Lunam dicit luminare.*

Reſp. At lux quæ in Luna eſſe dicitur, non aliter ei inhærere cenſeri poteſt, quàm radius reflexus corpori, à quo reflectitur. Unde plane extrinſeca Lunæ eſt cenſenda, ac propterea proprie loquendo inhærere dici nequit. Evaneſcit ergo & iſta exceptio, ſi hanc reſponſionem cum præcedente conferas.

DXIII. Exc. 11. B. p. 97. *Me tantùm pro auctoritate dicere, ſtellis fixis lucem inſitam competere conſtat.*

Reſp. Quia hoc habui pro tali, quod extra quæſtionem inter Principes Philoſophos eſt poſitum, probatio ejus hîc mihi videbatur ſupervacanea. Nunc tamen in gratiam adverſarii unum argumentum, quod inſtar omnium ſit, afferam; quale eſt, quod ſtellæ fixæ valde vivi-

dos

Digitized by Google

dos radios vibrent, & tamen longiſſimè à nobis & Sole diſtent; unde evinci poſſe puto, eis lucem inſitam competere.

DXIV. Exc. 12. B. p. 98. *Valde dilutum eſſe, quod dicam Terram potiori jure pro luminari habendam. 1. Quia Moſes refert quænam luminaria Deus dederit Terræ, ineptum ergo futurum fuiſſe de Terra ut alio luminari agere.*

Reſp. At ego non dixi, debuiſſe id facere Moſen, atque contra uſum loqui, ſed tantum conſideratione habita reflexionis radiorum & magnitudinis corporum potiori jure pro luminari habendam, quam Lunam; atque homines ſi accurate loqui voluiſſent, potiùs Terram hoc titulo debuiſſe inſignire, atque eam in abſentia Solis magis homines fuiſſe illuminaturam, ſi extra ejus globum & in loco, ubi nunc eſt Luna, poneretur.

Inſt. B. p. 98. *At reflexionis luminis magnitudo maxime dependet non à corporis reflectentis magnitudine, ſed ejuſdem ad reflectendum apta diſpoſitione.*

Reſp. Si par ſit diſpoſitio utriuſque corporis, Terræ & Lunæ, uti exiſtimo & oſtendi, dico magnitudinem majorum corporum reflectentium efficere, ut illa luminaria etiam majus lumen reflectant.

DXV. Exc. 13. (H. p. 52. qui prolixior hìc paulo, quàm ad rem) *Deum feciſſe Solem & Lunam magna luminaria nobis, ut calceum ſutor pedi minori.*

Reſp. Quæritur, an non illa phraſis, qua Sol & Luna dicuntur luminaria magna, oppoſite ad ſtellas (quæ ex demonſtrationibus Aſtronomicis longe majores ſunt, quàm Luna) ortum habeat ex præjudicio? quod ego affirmo. Neque id per iſtam exceptionem eliditur; quòd enim Moſes per iſtam phraſin ſignificet veritatem ad nos relatam non nego. 2. Calceus Petro applicatus eſt magnus vel parvus, major vel minor: at ſi æque ſtellæ nobis applicarentur ac Luna, hoc eſt, ſi in eadem ſint diſtantia, accurate loquendo, nobis etiam majores dici deberent. Ergò etiam ſecundùm iſtam exceptionem locutio dicta phænomeno eſt accommodata, & præjudicio involuta.

DXVI. Exc. 14. H. p. 55. *Quia eorum quantitas non reſtringitur, non determinatur: ideo quorum reſpectu Luna major vel minor ſit, hinc decidere non poſſumus, ſi vel omnes ſubtiliſſimi ingenii exhauriamus vires.*

Reſp. Non poſſe nos aliud ex iſto loco decidere, quàm id quod Spiritus Sanctus per verba citata voluit ſignificatum, quod art. 503. indicavimus,

Digitized by Google

vimus, libenter concedo, ſed quæritur: an non formula illa, qua voluit Sp. S. hanc veritatem ſignificare, ſit præjudicio involuta, & ad ſenſus hominum relata? Id ex Scriptura decidi non poteſt, ſed ex uſu vulgari & origine hujus formulæ, quæ eſt opinio, quod Luna ſit luminare majus quàm ſtellæ, à quâ hanc formulam dicimus ortam.

DXVII. Exc. 15. (H. p. 56.) *Nondum probatum eſſe Solem & Lunam vocari luminaria magna oppoſite ad ſtellas.*

Reſp. Id attendenti textum per ſe futurum erat manifeſtum. Sed videat lector art. 501. hujus capitis, ubi id clare probatum inveniet.

Inſt. (H. p. 56.) *Reſtrictionem ad reliquas ſtellas in textu citato non eſſe, ſed comparari Lunam cum Sole atque ejus reſpectu vocari luminare minus.*

Reſp. Hoc verò non nego, nec id prolixe opus erat probari; ſed quemadmodum in illis verbis, *luminare majus & luminare minus*, eſt oppoſitio inter Solem & Lunam, ita in illis: Deus fecit *duo luminaria magna atque ſtellas*, eſt oppoſitio inter Solem & Lunam conjunctim ab una parte & ſtellas ab altera.

DXVIII. Exc. 16. (H. p. 58.) *Sanctæ materiæ & textûs expoſitionem eſſe ſimpliciſſimam ſecundum veritatis rotunditatem debere, non ad hypotheſin Geometricam reflectendam, meam vero & Belgarum interpretum non eſſe ſimpliciſſimam, nec ſecundum veritatis normam.*

Reſp. Expoſitionem noſtram eſſe ſimpliciſſimam & rotundam ex art. 501. apparet, cui non repugnat, ſi dicamus, formulam loquendi, quæ quidem ut à Spiritu Sancto abhibetur veritatem ſignificat, præjudicio alicui ortum debere, quod hîc tantum intendimus. Quæ porrò diſputat (H. p. 58. & ſeqq.) contra Calvinum, ea quantum ad me faciunt, jam ſunt refutata: præſupponit *torqueri Scripturam, & pollui ejus veritatem à nobis &c.* quæ probata oportebat. *Philoſophari dicit Moſen*; at unde hoc conſtat? cum naturas rerum & affectiones non doceat, nec demonſtret, ſed phraſibus utatur communibus & vulgaribus ad phænomena accommodatis, & in deſcriptione rerum naturalium, poſtquam omnia ad Deum auctorem retuliſſet, ſupra communem notitiam ſe non extollat. Videatur hujus tractatûs primum caput, ad quod velim attendi ab adverſario; ſic enim plurima dubia, quæ movet, p. 60, 61, 62. ipſi eximentur.

DXIX. Exc. 17. (H. p. 61.) *Si, quæ hîc loci de luminaribus dicuntur, occulta intelligit myſteria, involvit contradictionem Calvinus.*

Reſp. Per occulta myſteria intelligit Calvinus veram Solis, Lunæ, & ſtellarum magnitudinem, quæ occulta ſunt plebejis hominibus, de quibus loquitur Calvinus. Ubi ergò contradictio? Videtur in eo conſtitui

Digitized by Google

ſtitui ab adverſario, quod rerum naturalium qualitates & proportio occulta myſteria eſſe nequeant; verum ſi attendat, quibus occulta eſſe dicat, plebejis nempe non indagantibus, omne contradictionis phantaſma evaneſcet.

DXX. Exc. 18. (H. p. 62.) *Calvinus forte non negat Moſen philoſophari, ſed negat acutè philoſophari.*

Reſp. Contrarium conſtat exinde, quod τὸ philoſophari opponit *referre quæ rudibus etiam nota ſunt*: at hoc nec eſt philoſophari, nec acute philoſophari.

DXXI. Exc. 19. (H. p. 63.) *Refert Calvinus ibidem myſteria non ad luminaria, ſed ad ſigna.*

Reſp. Quod referat ad luminaria manifeſtum eſt ex nota ejus ad v. 16. *Dixi, Moſen hic non ſubtiliter diſſerere de natura arcanis, ut Philoſophum, quod in his verbis videre eſt &c. Moſes duo facit luminaria: Atqui Aſtrologi firmis rationibus probant, Saturni ſidus, quod omnium minimum propter longinquitatem apparet, lunari eſſe majus.*

DXXII. Exc. 20. (H. p. 73.) *Aliud eſt, quærere quam ob cauſam Moſes iſta luminaria magna appellaverit. Aliud, ob quam jam & hodie magna appellentur. Moſes non fecit id, quia talia apparebant; adeoque non ad apparentiam, ſed ad Jehova collocutoris ſui eloquia attendit.* Huic affine eſt, quod p. 76, 77. cujus ſumma huc redit: *Moſen contemplatum eſſe in Sancto Spiritu iſtam univerſitatem, atque ita literis conſignaſſe, abſque cogitatione terræ vel hominum.*

Reſp. Concedimus, Moſen ſcripſiſſe ea quæ Deus inſpirabat, & ea ipſa verba: at quia Deus ea ſcribi voluit hominibus, ut ab iis ſenſus eorum perciperetur, cenſendum eſt, voluiſſe proponere phraſibus receptis, quas circa res naturales phænomenis reſpondere, & ſæpe præjudiciis involutas eſſe certum eſt, atque id ipſum eſt, quod ego probandum ſuſcepi. An verò hoc pugnet cum Spiritu Sancto & verbo ejus, ut ſæpius repetit antagoniſta, nos in Obj. refutatione examinabimus. 2. Dubium non eſt, quin Sp. Sanctus phraſi recepta utens, veritatem per eam ſignificet, quamvis per eandem phraſin homo præjudiciis præoccupatus, errorem conſignificet; adeoque hactenus, aliam ob cauſam Sp. S. adhibere phraſin receptam, nempe ad ſolam veritatem docendam, aliam ob cauſam homines præjudiciis occupatos, nempe ad conſignificandum errorem, nequaquam negamus.

DXXIII. Hæc ſunt, quæ in verboſo H. diſcurſu contra me facere videbantur. Et jam ſatis prolixe de loco per ſe claro eſt actum, Atque

hactenus obſervata applicari poſſunt iis, quæ M. à p. 98. ad 112. objicit, cùm homogenea ſint objectionibus & exceptionibus B. & H. paucis his ſpecialiter adhuc notatis. Ac primo quoniam negat, *Lunæ omne lumen eſſe adventitium*, item *ſtellas habere lucem inſitam*, nos id prolixius oſtendimus. Atque ut de Luna primum agamus, præmittendum, eam ſemper eandem nobis obvertere plagam, quo poſito dicimus, ſi lux aliqua Lunæ eſſet, ea apertiſſime ſe oſtenderet in Eclipſibus Lunaribus, quod tamen experientiæ contrariatur. Corpus enim lucidum tanto clarius apparet, quanto ambiens eſt obſcurius, quod obſervare licet in ſtellis fixis, quæ interdiu non minus lucent, quam nocte, ſed ob circumfuſum Solis lumen cerni nequeunt. 2. Interdum ſubito Luna tota penitus amittitur, ut ne veſtigium quidem ejus appareat, cum tamen proxime locum ejus cerni poſſint fixæ quartæ vel quintæ magnitudinis: quare tunc locum non habet ſuſpicio caliginoſi nimium Aëris. Sic factum eſt anno 1620 $\frac{4}{14}$ Junii. Hoc eſt argumentum Kepleri. Quod vero lumen in Luna conſpicuum ſit ex reflexione Terræ, apparet inde, quia videmus illud lumen ſecundarium biduo vel triduo ante aut poſt conjunctionem omnium maximum eſſe, poſt autem, prout Luna magis, magiſque recedit à Sole, etiam lucem hanc ſecundariam in Luna decreſcere, ut tandem poſt primam quadraturam nulla plane appareat, idque nullam aliam ob cauſam, niſi quod Luna tunc tanto intervallo à Sole digreditur, ut radii à Terrâ reflexi eam aſſequi nequeant. Ex quibus patet, non poſſe debilitatem iſtius lucis inſitæ cauſam eſſe, quare lumen Lunæ non conſpiciatur eo tempore; quantacunque enim illa ſit, cum ſtellæ quartæ & quintæ magnitudinis appareant, quæ infinito longius diſtant, etiam Lunam adeò propinquam videri oporteret; diſpoſitio vero & habitudo ad nos inepta non poteſt prætendi cum M. quoniam experientiâ teſte, Luna eandem ſemper plagam nobis obvertit. Nec dici poteſt, contiguam radiationem aliorum aſtrorum illud turbare; cum non turbet illud lumen, quod à Terrâ reflexum in eâ conſpicitur. Ac tandem corpus, quod interjici diceres (ponitur enim ſerenus Aër, nulla nubes) nullum dari poteſt, niſi forte dicas per miraculum novum corpus creatum, quod frigidum eſt ſatis.

Object. Tempore defectûs aliquando rubicunda apparet. Ergo habet inſitam lucem.

Reſp. Ille rubor nullo modo proprio ipſius lumini adſcribi poteſt, ſed potius ætheri Lunæ circumfuſo, & radiis Solaribus ab eo refractis, umbramque Terræ adſtringentibus, qui facile Lunæ per umbram apogæam tranſeunti aliquem colorem ſubrufum inducere poſſunt. Idque neceſſa-

rio

Digitized by Google

rio huic cauſæ adſcribendum, quoniam ſi hoc ex luce ei inſita dependeret, ſemper Luna Aëre ſereno rubicunda apparere deberet. Stellis lucem inſitam competere, art. 512. probavi.

DXXIV. Sed 2. notamus contra M. objectiones: Abſurdam eſſe ejus interpretationem qua putat: *Moſen duo vocare luminaria, ſed tamen forte unum intelligere*, cujus abſurditas, modo proponatur lectori per ſe eſt manifeſta. 3 Satis manifeſte probavimus, quando Sol & Luna dicuntur luminaria magna, id dici oppoſite ad ſtellas, quibus in iſta vulgari locutione in hoc tertio magnitudinis opponuntur. 4. Quod majus corpus cæteris paribus, id eſt, ſi eadem ſit ejus raritas vel denſitas in ſuperficie externa, majus lumen reflectat, quam minus, ex ſe ſatis apertum eſt. 5. Quid ſit Æquivocum, non opus erat, ut M. tam operoſe me doceret. Cùm lumen illud, quod à Lunâ reflexum ad nos pervenit, non ſit Lunæ, ſed Solis, non magis univoce Lunam luminare dici poſſe, quam ſpeculum, manifeſtum eſt, adeoque & nocte ipſâ à Sole nos illuminari, ſi accurate loqui velimus, eſſet dicendum. 6. Exinde etiam manifeſtum eſt, majorem eſſe convenientiam Solis & candelæ, quam Lunæ & Solis, cum lux candelæ ei ſit propria, Lunæ verò nulla. 7. Cum Solis lumen ſit maxime forte & vividum, nimiſque Sol diſtet à ſtellis fixis, Lunæ verò & planetarum reliquorum, ut etiam ipſius terræ ſit tenue & debile, non niſi abſurdiſſime philoſophando dices, Solis lucem eſſe collectam ex luce ſtellarum fixarum & Planetarum. 8. Quod verò M. videat in reſponſione meâ ad Object. B. quod ipſe B. non potuit videre, nimirum, *me conceſſis præmiſſis negare concluſionem*, in eo ſe ſatis oculatum oſtendit. Argumentum B. tale proponit: Eo modo Luna dicitur luminaribus major, quo Sol dicitur Lunâ major. Atqui Sol non dicitur ideo Lunâ major, quod major appareat extenſio, & moles Solis, ergo nec Luna: Verum ex mea reſponſione liquet, me iſtam Majorem propoſitionem; Quo modo Sol dicitur major Lunâ, eo modo Luna dicitur major ſtellis, negare: ſi enim illa vera, ſubſumere liceret; atque Sol Lunâ eſt major ratione magnitudinis, extenſionis & illuminationis ſimul. Ergò etiam Luna, quod tamen aperte eſt falſum. 9. Contradictio vero nulla eſt inter ea verba, *ubi major & diffuſior lux apparet in corpore lucido, ibi etiam ipſum corpus lucidum majus apparere neceſſarium eſt*, & : *Sol etſi Luna major ſit illuminatione, non tamen diſco & magnitudine apparet major.* Non enim dico, quod in Sole major & diffuſior lux appareat quam in Luna, quod ſi dicerem, non poſſem concedere ejus diſcum Lunæ diſco æqualem, ſed tantum quod intenſior & vividior; Major autem illuminatio reſpectu noſtri ori-

tur tum exinde, ſi alicujus corporis, cujus diſcus æqualis eſt alteri, lux ſit intenſior, & vividior, & ſic major à Sole, quam à Luna oritur; tum etiam, ſi magnitudo alterius corporis appareat multoties major, etſi Lumen non ſit adeo vividum, & ſic Luna majus eſt luminare quam ſtellæ. 10. Similis ratio eſt alterius contradictionis, quam mihi affingit; quamvis enim Lunæ competat illuminatio, non tamen lux inſita, quia per lucem reflexam, quæ propterea ejus lux dici poteſt, illuminare eſt dicenda. Et mirum eſt, quod tanti Aſtronomi, qui negant competere Lunæ lucem inſitam, & tamen ſtatuunt illuminare, debuerint exſpectare hunc hominem, qui ipſis oſtenderet contradictionem, quam in ſuâ ſententiâ mecum commiſerint.

DXXV. Sextum inductionis exemplum ſuppeditat locus Act. XXVII. 27. *Nautæ circa medium noctis ſuſpicati ſunt*, προσάγειν, *appropinquare ſibi aliquam regionem.* Locutio hæc deſumpta eſt à vulgari viſus fallacia, quâ fit, ut, dum navi vehimur, littora accedere vel recedere videantur, —— *terraque urbeſque recedunt.* Similiter dicere ſolemus iter facientes, ***daer komt een bergh***, cum tamen mons non adveniat, ſed nos ad illum accedamus. Sic appropinquantes urbi, ut videre illam poſſint, dicere conſueverunt, ***daer komt deſe of deſe ſtadt.*** Ipſa quidem appropinquatio eſt mutua, quæ fit per imminutionem diſtantiæ, quæ exiſtit inter duo corpora, ob alia corpora interjecta, ſed tamen τὸ appropinquare, cum connotet actionem, propriè & accuratè loquendo non poteſt tribui, niſi ei, in quo eſt iſta actio, non vero alteri. Atque ita propriè loquendo navis appropinquat regioni, non regio navi, cum motus demum iis propriè & ἀκριβῶς tribuatur, quæ ſimul recedunt ab omnibus corporibus immediatè contiguis, non vero iis, quæ tantum ab uno vel altero recedunt, patet iterum accuratè loquendo navi competere motum, adeoque appropinquationem, non regioni, cum illa ab omnibus corporibus immediatè contiguis ſimul recedat, non ita regio. Interea tamen viciſſim Sp. S. per hanc locutionem vulgarem & minus accuratam ſignificat, Nautas ſuſpicatos fuiſſe, ſe propiores fieri alicui regioni, quod verum eſt, quamvis ea veritas & à nautis & à Spiritu Sancto efferretur phraſi, quæ fallaciæ viſûs & infantiæ præjudicio, quo motus & appropinquatio rebus extra nos poſitis ac viſui propioribus factis, adſcribi ſolet, innitatur.

DXXVI. Exc. I. B. p. 102. *Dicere Sp. S. non quod regio appropinquaret, ſed quod talis fuerit nautarum ſuſpicio.*

Reſp. Suſpicio nautarum erat, quod aliqua regio ſibi propinquior fieret, atque ea poſtea experientia comprobata, quam ſuam ſuſpicionem

& ipſi

Digitized by Google

& ipſi & Sp. S. verbis communiter receptis fallacia viſus & præjudicio infantiæ obvolutis, ſignificarunt. Nihil ergò hâc exceptione mihi contradicitur. Uti nec Exc. 2. B. p. 102. *Viſus non fallit, ſed judicium mentis.*

Reſp. Non ita abſurdus eſt Carteſius & nos cum eo, ut viſui oppoſitè ad judicium mentis errorem tribuamus, ſed quando dicimus viſum errare, ſumimus concretè, complectendo omnes tres viſûs gradus. Vid. Claub. Exercitatione XVIII. de Cognitione Dei & noſtri.

DXXVII. Exc. 3. B. p. 102. *Quando objecta remota appropinquare dicuntur, non reſpicitur, in quo ſubjecto fiat motus, ſed quodnam ſit illud ſubjectum, cui appropinquatio tribuitur.*

Reſp. Id mihi planè non incommodat: ſufficit enim ad meum ſcopum, quòd corpus illud, cujus ego, dum iter facio, quaſi partem conſtituo, cujuſmodi eſt navis, ſit id cui competit motus, cùm tamen in locutione præſenti iſte motus non mihi nec iſti corpori tribuatur, ſed potius illi corpori, quod quieſcit, quale eſt urbs vel littora, propter ſenſus apparentiam & præjudicium, quod ſuper eâ eſt fundatum.

DXXVIII. Quæ H. hic habet p. 239. pro me potius faciunt. Concedit, eſſe locutionem à communi viſus errore deſumptam; atqui ego ſimiliter doceo, phraſin adhiberi phænomeno convenientem: item *Spiritus Sanctus*, inquit, *nautarum more loquendi phraſes ſicuti prolatæ ſunt deſcribi juſſit.* Quod eſt illud ipſum, quod ego intendo, Spiritum Sanctum à receptis formulis non recedere, etſi illæ præjudiciis infantiæ innitantur.

DXXIX. Exc. 4. M. p. 212. *Forte eſſe in verbis tropum, quem Hypallagen vocant, ut apud Virgilium: dare claſſibus Auſtros.*

Reſp. Ad illud *forte*, ego ſi per *forte non* reſpondeam, ſatisfecero iſti exceptioni; quod verò locutio ſit à viſus fallacia deſumpta, phænomeno conveniens, ſupra oſtendi.

DXXX. Septimum inductionis exemplum deſumimus ex Epiſtolâ Judæ com. 3. ubi de Pſeudo-prophetis dicit, quod ſint ἀστέρες πλανῆται *ſtellæ erraticæ.* Erit enim hic iterum exemplum formulæ loquendi ab erronea opinione deſumptæ, ſi per planetas intelligamus corpora iſta opaca in æthere conſtituta, Solis lumen ad nos reflectentia, qualia ſunt Luna, Mars, Venus &c. Non enim revera errant, cum leges ſui motûs exactiſſimè ſervent, uti ex Aſtronomia conſtat. Sed Planetæ dicuntur, quia ſecundum ſenſuum apparentiam errare videntur. Et ſanè nihil impedit, quo minus ita ſumamus, quum voluerit Apoſtolus exprimere iſtorum

hominum inconſtantiam & inſtabilem doctrinam, quemadmodum Belgæ interpretes hîc nobis conſentiunt, apud quos hæç nota reperitur, *dat is, Planeten, welcker loop hoewel ſe ſeecker is, ſo ſchÿnenſe ons nochtans te dwaelen, om dat haer en loop niet eenparigh en is, met de andere ſterren. Daer by vergelÿckt hy haere ongeſtadigheyt*, quæ verba ſic Latine reddimus: hoc eſt, *Planetæ, quorum curſus quamvis ſit certus, videntur tamen errare, quia ipſorum curſus non conformis eſt reliquarum ſtellarum curſui. Huic comparat ipſorum inconſtantiam.* Veritas ergo hâc phraſi expreſſa erit, irregularis iſtorum corporum ſitus reſpectu oculorum variatio, obvoluta hoc præjudicio, quod ſine normâ hinc inde diſcurſitent. Attamen quia alii interpretes per Planetas intelligunt ignem fatuum, alii ſtellas cadentes, non multum de hoc loco diſputabimus, ſufficient reliqui loci adducti.

DXXX. B. p. 105. *Hîc intelligit Planetas proprie dictos, atque dicit: iis ab Aſtronomis nomen impoſitum Planetarum, quia ab ipſis obſervantur varii illorum motus apparentes, quibus hominibus errantibus ſimiles videntur.*

Reſp. At hoc eſt illud ipſum, quod hic intendimus; Scripturam uſurpare phraſes & voces, quæ phænomenis conveniunt, quæque propter apparentiam rebus ſunt impoſitæ, à quocunque illa impoſitio ortum habeat, ſive Aſtronomus ſit, ſive alius quicunque.

DXXXI. H. p. 240. *Non ideo Planetæ ſidera errantia vocantur, quia motus ordinem non ſervant & revera errant.*

Reſp. Nec ego hoc dico, ſed quia apparent errare; nec affirmo, quòd vulgus communiter putet, verum errorem illis competere, quia non attendit; ſed quod illis qui attendunt ad eorum motus, quicunque ſint, videantur ſimiles hominibus errantibus. Ad reliqua patet reſponſio ex dictis.

DXXXII. Exc. 3, H. p. 242. *Locutionem eſſe metaphoricam.*

Reſp. Eſt metaphora ſi compares cum hominibus errantibus Planetas, attamen illa ipſa comparatio originem habet ex viſus apparentia.

DXXXIII. Exc. 4. M. p. 113. *Quid ſi cum Cicerone ſtatuamus Planetas ſtellas erraticas appellari per antiphraſin, quod minimum errent.*

Reſp. At hoc debebas probaſſe, nec enim dicere ſufficit: quod autem hæc Etymologiæ ratio locum habere non poſſit, apparet, quia etſi Planetæ obſervent in ſuo motu leges & ordinem naturæ, quod ex diligenti eorum obſervatione apparet, tamen videntur oculis errare, & propter

Digitized by Google

propter iſtam apparentiam hoc nomen ſortitos eſſe omnino ſtatuendum.

DXXXV. Exc. 5. M. p. 115. *Barbarum fuiſſet Spiritus Sanctus ſi voce antiqua abolita novam ſubſtituiſſet.*

Reſp. Hoc eſt, quod ego volo, debuiſſe nimirum Spiritum Sanctum retinere vocabula recepta, ut intelligeretur.

DXXXVI. Adjiciamus prioribus Inductionis Exemplum Octavum ex Eccl. XII. 2. *Dum non obtenebratur Sol & lux, & Luna & ſtella, & redeunt nubes poſt pluviam*; ubi figuratâ locutione oſtenditur, quænam incommoda maneant ſenectutem, quòd nempe oculi ipſorum ita obtenebrentur, ut Solem & lucem, Lunam & ſtellas amplius videre non poſſint, ubi Soli & Lunæ & ſtellis tribuitur id, quod potius in eorum oculis exiſtit. Atque ita locum iſtum explicant Belgæ Interpretes, qui ad marginem hujus verſus ſic annotant: *Niet in der daet, maer den ouden halfblinden dunckt het ſoo te ſijn*: quaſi dicerent: *obtenebrantur Sol, Luna & ſtella non reipſa, ſed ſenibus cæcutientibus hæc ita videntur.*

DXXXVII. Sed excipiet aliquis in genere contra hæc inductionis exempla: multis Scripturæ locis probatum quidem eſſe, Scripturam uſurpare terminos ſimplices, qui reſpectu habito ad phænomena & præjudicia inde exorta, ab auctoribus fuerunt impoſiti; ſed probandum fuiſſe, adhiberi à ſacris literis Propoſitiones ſive terminos complexos phænomenis quidem convenientes, ſed non intellectui legitime judicanti ex veris cauſis & natura rerum. Sic B. p. 128. *Veritas*, inquit, *& falſitas logica proprie non eſt ſimplicium terminorum, ſed axiomatum, nec in ſimplici conceptu, vel nominatione rerum vel fictarum vel verarum, ex. gr. Chimera, Solis &c. aliqua eſt veritas vel falſitas, ſed ea tum demum locum habere incipit, cum de iis aliquid affirmatur vel negatur, ut eſſe, vel non eſſe; moveri, vel non moveri &c.*

Reſp. Falſitatem in conceptibus Solis, quatenus eos homines ad nihil aliud extra ſe referunt, non conſiſtere libenter concedo; ſic quando cõceptum angeli, mentis, trianguli, chimeræ, &c. formo, adque nihil extra me refero, fateor nullam falſitatem in iis locum habere; ſed de eo non eſt quæſtio, verum de conceptibus quatenus ad aliquid extra nos referuntur, ſive per terminos ſimplices id faciamus, ſive per terminos compoſitos, de quibus dico, veritatem vel falſitatem in iis reperiri, prout vel conveniunt cum eo, ad quod referuntur, per terminos ſive ſimplices, ſive complexos, vel non conveniunt. Si conveniunt, veritas iis adſcribenda, ſi non, falſitas, quod illa relatio horum conceptum non fiat niſi intercedente judicio. Sic

ſi cogites de ſubſtantia ſubtili fluida tranſitum luci permittente, habente extremitates, ubi terram contingere apparet, item de ſubſtantia lucida, ex ſe radios emittente, motâ circulariter, & de ſubſtantia magna lumen reflectente, nihil veri vel falſi logice cogitabis; ſed ſi conceptum priorem referas ad Cœlum judicio præcedaneo, veri aliquid vel falſi dices, & ſic de aliis.

DXXXVIII. Exc. 1. B. p. 115. *Signum eſſe cauſa deſperata, quod cum ipſe mihi moveam hanc objectionem, vel non conatus fuerim, vel non potuerim unicum exemplum proferre talis connexionis terminorum, quæ facta ſit ad opinionem erroneam vulgo*, ſive (ut hæc exceptio accommodetur ad phraſin, qua ſtatus controverſiæ exprimitur) *quæ innitatur præjudicio infantiæ eoque ſit involuta.*

Reſ. Lectori hoc relinquebam, cui facile id poterat patere ex locorum inſpectione. Sic cognoſcere poterat Job. XXVI. 7. dici *Aquilonem* ſive hemiſphærium ſuperius, in quo eſt Polus arcticus, *eſſe extenſum ſuper inane*, quod eſt præjudicium infantiæ. Sic Gen. I. 26. eſt connexio terminorum, Lunæ cum *luminaribus magnis*, adeo ut ibi dicatur: *Luna oppoſite ad ſtellas eſt luminare magnum*; atque ita de aliis. Et connexio terminorum etiam ibi eſt, ubi non adeſt copula *Eſt*, ut cuivis patet; licet enim facile illam ſupplere, atque ſic Propoſitiones Logicas formare; & quidem in interpretatione Scripturarum, nihil frequentius, quàm ut propoſitiones formentur variæ, ex unâ expreſſe poſita. Sumamus unum exemplum, Eph. IV. 16. *Ex quo totum corpus congruenter coagmentatum & compactum per omnes ſuppeditatas commiſſuras, ex vi intus agente, pro menſura uniuſcujuſque membri incrementum capit corpori conveniens ad ſui ipſius exſtructionem per charitatem.* Hic enim una tantum eſt Propoſitio logica. Corpus Chriſti, congruenter coagmentatum &c. capit incrementum, reliqua ſunt determinationes ſubjecti & prædicati, ex quibus Logicè conjunctis variæ propoſitiones Logicæ formantur, quales ſunt. 1. Chriſti corpus eſt totum ſive integrum corpus. 2. Corpus Chriſti eſt ex Chriſto coagmentatum. 3. Coagmentatio facta eſt per commiſſuras ſuppeditatas. 4. Vis intus agens coagmentavit Chriſti corpus &c. ſed tædet in re tam clara explicandâ tempus terere.

DXXXIX. Exc. 2. B. p. 115. *Poſito terminos ſimplices fundatos eſſe in aliqua opinione erronea vulgi, non tamen inde ſequitur, eum qui in ſententia tali aliquo termino utitur, ſi ſubjectum & prædicatum tantum connectat, non loqui ex rei veritate &c.*

Reſp. Ex eo quod termini ſimplices fundati ſunt in aliqua opinione erro-

erronea vulgi, ſequitur eum, qui in ſententia tali aliquo termino utitur, *non loqui ex rei veritate accurata*, hoc eſt, uti verbis, quæ non veritatem nudam & accuratam, ſed quæ phænomenis convenientem ad ſenſus relatam & præjudiciis involutam ſignificant; non verò inde ſequetur, eum falſum teſtari, aut docere, quod ſemper à ſcriptoribus ſacris removi.

DXL. Exc. 3. B. p. 116. *Termini ſimplices ex uſu vulgi adhibiti ſæpe ſumuntur tantum ab apparentiis & ſimilitudinibus, non ſemper ortum habent ex falſis complexis &c.*

Reſp. Demonſtravimus, tales locutiones ortum habere ex præjudiciis infantiæ atque eo ipſo ex falſis complexis, quamvis à plurimis non omnia poſtea retineantur. Vide ea, quæ in genere de iis dixi, cap. I. Similia his habet M. p. 116. ad quæ proinde hæ reſponſiones ſatis poterunt applicari.

DXLI. Exc. 4. M. p. 116. *Falſa complexa multo efficaciora, quam incomplexa falſa, in una tantum re conſiſtentia.*

Reſp. Incomplexa non poſſunt eſſe falſa; Veritati incomplexæ, nulla opponitur falſitas. Ergo etiamſi termini incomplexi ſæpe videantur, tamen eo ipſo, quia reverâ non competunt iis, quibus attribuuntur, ſunt complexa falſa, licet non formaliter, tamen materialiter, & ſubintelligitur copula: ut in hoc: *Luna luminare magnum* ſcilicet *eſt*.

CAPUT XXIV.

Quartum Argumentum, quo ſententiæ noſtræ veritas oſtenditur & demonſtratur.

DXLII. Quartum Argumentum deſumimus à circumciſione, cujus obſervatio ad tempus ab Apoſtolis in Eccleſia fuit permiſſa, hoc modo inferentes: Si Apoſtoli debuerunt ſeſe accommodare Judæis in retinenda ad tempus, & obſervanda circumciſione in Eccleſia, quæ tamen per Chriſtum facta erat non tantùm inutilis, ſed etiam pernicioſa, uti apparet ex Epiſt. ad Gal. v. 2. *Ecce ego Paulus dico vobis ſi circumcidamini, Chriſtum vobis nihil profuturum*, quatenus illa ſuâ naturâ, quemadmodum aliæ ceremoniæ legales ad Chriſtum venturum reſpiciebat; ſi inquam, Apoſtoli retinuerunt in Eccleſia ad tempus circumciſionem, donec Judaica ſynagoga honeſte ſepeliretur: Ergo multo magis ſcriptores θεόπνευστοι debuerunt

Digitized by Google

buerunt retinere formulas receptas de rebus naturalibus, quamvis præjudiciis inniterentur, & veritatem præjudiciis involutam referrent, atque ſic ſeſe accommodare notitiæ vulgari & communi, donec ſimiliter mundus præſens, in quo cognoſcimus tantum ex parte, per ſpeculum & per ænigma, ſepeliatur. Quemadmodum igitur Circumciſionis & aliarum ceremoniarum obſervationem ad tempus concedebant Apoſtoli inſpirante Spiritu Sancto, ne infirmi offenderentur, ſi adeo repugnantia opinioni ſui præconceptæ & diu fotæ atque adultæ inter Judæos, de legis Ceremonialis abſoluta neceſſitate, audiviſſent: ita & Spiritus Sanctus condeſcendere voluit hominibus ſimplicioribus, retinendo formulas receptas de rebus naturalibus; quamvis præjudiciis inniterentur, nec eas mutando in accuratas, quibus veritas nuda & à notitia vulgari abſcondita ſignificata fuiſſet, ne eos turbaret, ſi per formulas accuratas opiniones & præjudicia evertiſſet, quæ per ſenſus hauſerunt, quæque pro tam firma habent veritate, ac ſi de ea à naturâ edocti fuiſſent. Neque eſt quod dicas: Non conceſſiſſe Apoſtolos circumciſionem, niſi iis, qui ut rem mediam habebant: Illi enim, qui pro re media eam habebant, & plane indifferente, non poterant per ejus neglectum ſcandalizari. Ergo potius in eorum gratiam fuit facta hæc conceſſio, qui inter Judæos eam pro neceſſaria habebant. Simili modo licet aliquando in praxi ſeſe accommodare præconceptæ hominum opinioni, quando res ſine certâ perturbatione mutari non poteſt, ut obtinet, ex. gr. in imaginum toleratione in Templis, Papiſticarum quarundam ceremoniarum retentione, & aliis multis, ubi notatu digna verba Clariſſimi Mareſii in *Judicio de controverſiis Theologicis in Hungaria &c. motis. Cenſeo multa tolerari debere à piis, quæ non probent, plurimaque pacis ſtudio multitudini & conſuetudini eſſe condonanda.*

DXLIII. Exc. 1. B. p. 48. *Si hæc argumentandi ratio concedatur, nihil certi ex ſacris literis poterit erui, & in materiis fidei nulla erit certitudo, & in aliis articulis, modo non evertatur fundamentum ſalutis, ſimili ratione concludet Spiritus quidam erroneus.*

Reſp. Non quæritur quid aliquis erroneè poſſit concludere, ſed quid juſte & legitime. Sunt autem certæ regulæ, quarum adminiculo, quid his vel illis locutionibus Scriptura doceat, ſignificet & teſtetur, poſſumus cognoſcere.

DXLIV. Exc. 2. B. p. 49. *Nullam eſſe in majori terminorum connexionem, quia reſpectu circumciſionis prægnans erat ratio, utpote quam, quoniam erat inſtituta in fœdus perpetuum, nondum poterant capere fideles ex Judæis*

eſſe

eſſe annihilatam. Tenaciſſimi enim jam pridem fuere religionis avitæ. Periculum ergò erat ne totum Chriſtum abjicerent &c. quid ſimile verò in rebus naturalibus & ſpeciatim in materia de motu Solis vel Terræ? an unquam fuit ulla doctrina divina, propter quam credere debuerit populus Dei, Solem moveri, quæ poſtea eſſet mutata.

Reſp. At quis non videt his ipſis confirmari egregie meum argumentum? Si enim propterea debuit tolerari circumciſio, quia inter Judæos erat recepta, nec ii intelligebant annihilatam, ne totum Chriſtum rejicerent: Ergò multò magis debuerunt retineri formulæ de rebus naturalibus præjudiciis innitentes, quia receptæ, nec intelligebant homines, eas non eſſe accuratas. 2. Simile non eſt idem, nec opus eſt, ut in omnibus ſit convenientia, ſufficit ad meum ſcopum illa, quod ſicut Judæi circumciſionem putabant eſſe perpetuæ obſervationis & neceſſariam, ſed erroneè, ita homines præjudicia infantiæ & ſenſuum putant vera, atque propterea ſermonem ſuper iis ſuum fundarunt. Si ergò debuerunt Apoſtoli illi opinioni ſeſe accommodare, neque illam evertere per contrarium præceptum: Ergo nec ſcriptores ſacri debuerunt opiniones præjudicatas evertere per formularum uſum iis non innitentium.

DXLV. Exc. 3. B. p. 50. *Tolerabatur praxis circumciſionis, non docebatur; at in motu Solis non toleraretur error in populo, ſed doceretur illa doctrina propriis & diſertis verbis.*

Reſp. Hoc vero eſt, quod nego, & cujus negationis rationes in examine iſtorum locorum affero,

DXLVI. Exc. 4. B. p. 50. *Maximum imminebat periculum defectûs multorum à Chriſto, niſi conceſſa fuiſſet circumciſio; putatne Wittichius vulgus à Deo defecturum, vel auctoritatem ſacrarum literarum rejecturum fuiſſe, ſi Spiritus Sanctus ſecundum rei veritatem docuiſſet, non Solem, ſed Terram moveri? Unde ergò hæc Carteſianorum audacia, quod hanc doctrinam in vulgus ſpargere auſint, &c.*

Reſp. Maxima futura fuiſſet confuſio, ſi termini recepti, atque phraſes vulgares communi notitiæ ortum debentes à Spiritu Sancto de rebus naturalibus loquente fuiſſent immutatæ, quam procul dubio Spiritus Sanctus hoc modo prudenter voluit evitare. 2 Quod autem nos de hac materia ſcribimus, id facimus impulſi clamoribus adverſariorum, hanc ſententiam populo reddentium inviſam; ut audita & altera parte vel ſuſpendant judicium, ſi rationum momenta ab utraque parte non poſſint expendere, vel ſi rationum vim pro hâc ſententiâ militantium percipere poſſint, ei aſſenſum præbeant. Quod ſi ex profeſſo Scripturæ hanc ma-

Digitized by Google

teriam tractare placuiſſet, non dubitamus, quin Spiritui Sancto in promptu futuræ fuiſſent tales rationes, quibus veritatem hujus ſententiæ clariſſime potuiſſet explicare; quia vero noluit Spiritus Sanctus ea, quæ ad ſcopum Scripturæ non neceſſaria erant, pertractare, ſapientiſſime ab eo factum, quod phraſes receptas retinuerit.

DXLVII. Exc. 5. H. p. 228. *Condeſcenderunt Apoſtoli circumciſionem etiam inutilem concedendo, ſed 1. Judæis condeſcenderunt ad factum, ut facerent, non ad captum ut intelligerent. 2. Deſcenderunt ad factum hominum, inter quos docti etiam erant. 3. fecerunt hoc inviti &c. ſed quid hoc ad rem tam controverſam.*

Reſp. Agnoſco hanc diverſitatem, ſed ea nihil ad rem præſentem facit. Ad argumentum meum ſufficit convenientia, quam antea adduxi. Et, ſi opinio recepta de circumciſionis neceſſitate fuit toleranda, & ex eâ orta praxis quamvis inutilis fuit retinenda: Ergo multo magis toleranda opinio recepta de rebus naturalibus, quamvis erronea, atque phraſis ei innitens retinenda, nec per phraſin accuratam refutanda. Quis non videt unum ex altero apertè conſequi? Si majus fecerunt Apoſtoli, quare & minus non feciſſent? Majus erat retentio circumciſionis, quæ pugnabat cum Chriſti adventu; Minus uſurpatio formularum vulgarium, ex qua nullum periculum, cum per eas ut à Spiritu Sancto adhibitas, non errores conſignificentur, ſed tantum veritas generalis, uti ſuo loco declaramus.

DXLVIII. Exc. 6. H. p. 229. *Probat errorem & pravam opinionem de rebus naturalibus eſſe peccatum.*

Reſp. Id parum facit ad rem præſentem, unde ei non multum refragabor, cum in priori editione non ſimpliciter negaverim, tales errores eſſe peccata, ſed tantum negem, pugnare cum doctrina ſalutis, quemadmodum alii errores de rebus ſalutaribus cum eâ pugnant.

DXLIX. Exc. 7. M. p. 46. *Deum in hujuſmodi erroribus, qui non conſtituunt peccatum, nec ſalutem tangunt, ſeſe accommodare captui vulgari, quantum ſcilicet hoc ſalva veracitate ſua fieri poteſt, ex quo non ſequitur, ipſum debere in gratiam erroris falſa loqui.*

Reſp. Hoc conceſſo obtinui cauſam, cum veracitati Dei non repugnet, uti formulis receptis, etiamſi opinionibus erroneis innitantur, nec propterea dici poſſit falſa loqui, cum his formulis generalem aliquam veritatem ſemper ſignificet.

DL. Exc. 8. M p. 46. *Negando Majorem Propoſitionem mei argumenti, quia magna ſit differentia inter actum poſitivum, & inter actum tantum permiſſivum.*

miſſivum: concedere autem, dicere ſolum actum permiſſivum, loqui verò falſum actum notare permiſſivum: item permiſſionem circumciſionis non intuliſſe approbationem & conſenſum.

Reſp. Vis mei argumenti tali modo non eliditur, nec quicquam mihi hæc verba obſunt. Uti formulis receptis, quæ præjudiciis innituntur, minus periculoſum, quam permittere aliquod, quod infert abnegationem adventus Chriſti, quale eo tempore erat circumciſio. 2. Uſus illarum formularum nullatenus infert earum approbationem & conſenſum, ſed tantum κρίσεως intermiſſionem.

DLI. Exc. 9. M. p. 47. *Hoc tantum ex præmiſſis ſequi: Deum debere vulgo in erroneâ ſuâ ſententiâ tantum concedere, ut falſa ſua opinione fruatur, circa ea, quæ non tangunt ſalutem.*

Reſp. Si hoc ſequitur ex præmiſſis, tum ſequitur omne id, quod intendo. Hoc enim fecit Deus uſurpando formulas receptas veritatem ad ſenſus relatam & præjudiciis involutam referentes.

DLII. Exc. 10. M. p. 47. *Deus alibi diſerte declaravit, ſeſe non approbare circumciſionem, idem demonſtretur de hac Propoſitione.*

Reſp. De illa exceptione plenius agetur cap. 29. quod videat lector.

DLIII. Exc. 11. M. p. 48. *Circumciſio permiſſione divina fit licita, at verò ſententia falſa elocutione divina non poteſt fieri vera.*

Reſp. Antecedens negatur, quia illa permiſſio non inferebat approbationem, ſed tantum tolerationem, quali modo ſe habebat permiſſio divortii in V. T. 2. Phraſis vulgaris & recepta præjudiciis innitens non fit quidem conformis veritati accuratæ & nudæ per elocutionem divinam, ſed quia per eam non approbatur, nihil inde falſitatis infertur menti divinæ vel humanæ.

CAPUT XXV.

Sententiam de Uſu formularum receptarum veritatem aliquam præjudiciis involutam referentium non pugnare cum Auctoritate & Veritate Scripturæ probatur argumento ex locutionibus Scripturæ de Corde uſurpatis.

DLIV. Hactenus argumenta, quibus probatum fuit, debuiſſe ſcri-

ptores ſacros, de phænomenis loquentes, adhibere phraſes iis convenientes referentes veritatem quidem aliquam, ſed ad ſenſus relatam & præjudicis involutam, idque feciſſe manifeſte oſtendimus: nunc ut aditum paremus, ad ſolvendas objectiones Adverſariorum, qui putant eâ ſententiâ labefactari Veritatem & Auctoritatem Scripturæ, adjiciemus argumenta, quibus juſtè id factum eſſe & convenienter Veritati & Auctoritati Scripturæ demonſtremus. Atque huc ſpectant ſequentia.

DLV. Error eſt vulgi ſtatuentis, Animæ præcipuam in corde eſſe ſedem: qui poſtea adoptatus eſt ab Ariſtotele & ejus ſequacibus, & rationibus quibuſdam ſpeciem veritatis habentibus eſt ſtabilitus, ſed à Galeno & tota fere Medicorum ſchola, paucis exceptis, rejectus, teſte Lemnio Medico de occultis naturæ miraculis Lib. 1. cap. 12. Ubi ſic ſcribit. *Quâ autem in parte collocetur anima quamve ſedem occupet, multi Veterum in quæſtionem vocant. Philoſophi cordis meditullium ei aſſignant. Quod deſignare videtur ſapiens, cum inquit, Omni cura cuſtodi cor tuum, quoniam ex ipſa vita procedit. At Medici qui exactius naturæ opera ſunt perſcrutati in cerebro illam conſtituunt, ex quo omnes ſenſus & facultates animæ, omneſque actiones procedunt.* Sic Sennertus Epit. Naturalis ſcientiæ lib. 6. cap. 1. *Eadem quæſtio eſt, quænam ſit ſedes animæ, & quod membrum principale. Sed quodnam illud ſit membrum Princeps Platonicis, quibus Galenus & Medici multi ſe adjungunt, cum Peripateticis lis eſt. Plato & Galenus tres præcipuas partes, Epar, Cor, & Cerebrum, Cerebroque principatum, quod in eo ſenſus motuſque principium animæ rationalis reſideat, deferunt.* Hanc eſſe ſententiam communem Medicorum teſtatur & Bartholinus Controverſiarum Anatomicarum quæſt. 4 de partibus, earumque facultatibus & functionibus, ubi inter alia ſic inquit: *Dicet forte quiſpiam pro Medicorum communi opinione primatum cerebro deferente* &c. Atque hæc Medicorum ſententia evidentiſſime nititur ratione: Nam 1. in cerebro fit concurſus omnium nervorum, per quos & corpus dirigitur, & ea quæ exterius fiunt in corpore vel extra illud animæ repræſentantur. Ibi ergò ſedem habet præcipuam, ubi omnia quæ ad corpus ſpectant poteſt percipere, & unde totum corpus poteſt dirigere. Cerebro affecto varias paſſiones animæ contingere videmus, ut amentiam, furorem, phreneſin &c. quæ oriuntur ex vario ſpirituum motu in cerebro, propter ejus læſionem, quo fit ut glandula pinealis varie moveatur, & menti diverſum quid ſignificet; at corde male habente, non ideo talia animam opprimunt pathemata.

DLVI. Ab hoc errore vulgi ortæ ſunt locutiones in omnibus fere linguis obviæ, quæ huic errori innituntur. Sic in Latinâ linguâ homo prudens,

Digitized by Google

prudens & ſapiens vocatur *cordatus*: ſic *Recordari* ſignificat in mentem nobis aliquid redire: *excordes* & *vecordes* appellantur ii, qui carent intellectu & ſapientia: Cic. 1. Tuſc. *Et Naſica ille prudens, bis Conſul, corculum appellatus.* In lingua Gallica *Apprendre par cœur* ſignificat memoriæ mandare; *prendre a cœur* conſiderare diligenter; *de bon cœur*, ex animo; *il a eu le cœur aux lettres*, animum intendit ad ſtudia. In lingua Germanica, *ein ding zu hertzen nehmen, behertzigen*, id eſt, animo perpendere. *Aus guttem hertzen*, ex ſincero animo. Ita dicimus: *Wes das hertz voll iſt*, *deſſen gehet der mundt über*, hoc eſt, ex plenitudine cordis os loquitur. Atque has phraſes imitatur Scriptura, cor ponendo vel pro ipſa anima, Pſal. XXIV. 4. *Innocens manibus & purus corde.* Pſal. XXXIV. 4. *Cor meum & caro mea clamant ad Deum fortem*, vel pro voluntate, Matth. VI. 21. *ubi fuerit theſaurus veſter, ibi erit & cor veſtrum*: vel pro cogitationibus, unde Deus dicitur *corda ſcrutari* & eſſe καρδιογνώστης, vel pro ſapientia & ejus ſede, Prov. II. 10. *Cum venerit ſapientia in cor tuum*, Prov. XV. 14. *Cor prudentis quærit ſcientiam*, Prov. VII. 7. *Vidi inter fatuos, animadverti inter filios puerum defectu cordis.* In quibus locutionibus eſt Metonymia ſubjecti recipientis pro adjuncto, quod hæ locutiones hanc opinionem ſupponant, non tantum animæ præcipuam ſedem eſſe in corde, ſed etiam intellectum & voluntatem animi potentias in corde radicari. Ex quibus obſervatis tale argumentum formamus: Cujus auctoritati & veritati non repugnat, ut utatur formulis receptis de corde, quæ ortum habent ex opinione erroneâ, illius Auctoritati multo minus repugnat, ut utatur phraſibus receptis circa phænomena, etiamſi præjudiciis infantiæ innitantur. Sed: Ergò.

DLVII. Exc. 1. B. p. 107. Poſtquam aliquantum more ſolito in Carteſianos debacchatus eſſet, *ſic non bene crediderimus Deum καρδιογνώστην, ſimpliciter videlicet intelligendo, Deum ſcrutari ſecretiſſimas cogitationes animæ reſidentis in corde &c.*

Reſp. Ut intelligamus, Deum eſſe καρδιογνώστην, ſufficit ſi ſciamus, Deum ſcrutari ſecretiſſimas cogitationes, ſive putemus, animam reverâ ſedem habere in corde, ſive ei cerebrum pro ſede aſſignemus; per cor enim nihil aliud talibus locis, quam animam cum ſecretiſſimis cogitationibus Scriptura voluit deſignare.

DLVIII. Exc. 2. B. p. 107. *An ergo mille loca, quibus Cor per Meton. ſubjecti ſumitur pro anima, credenda erunt ſupponere errorem vulgarem?*

Reſp. Quia illæ phraſes ſunt receptæ, eas, ne barbari ſint ſcriptores ſacri, noluerunt mutare, nec refutare errorem receptum, cum id nulla

Digitized by Google

neceſſitas requirat. Eorum verò mens erat, ſignificare actiones Dei, circa animam noſtram, ejus voluntatem & intellectum, ſimiliter ipſius animæ actiones; id ut phraſi recepta exprimerent, nihil videmus impedire.

DLIX. Exc. 3. B. p. 107. *Theologi aliter ſtatuunt, nominatim Bucanus Inſtit. Theol. 4. 27. & Profeſſ. Leydenſes diſp. 13. th. 21. ſynopſ.*

Reſp. His Theologis oppono Polanum Syntag. Theol. lib. 5. cap. 30. *Cerebrum*, inquit, *anima rationalis, ſeu mentis ſedes eſt.* Victorinum Strigelium in notis ad libellum Philippi Melanchthonis de anima, p. 31. *Sedem anima proprie aſſignandam cordi non ſatis evincitur, hoc argumento, quod Sacra Scriptura multis in locis etiam vim cognoſcentem videatur cordi tribuere. Hoc enim facit Spiritus Sanctus tum ratione uſurpati ſermonis, NB. tum etiam ratione συμπαθείας, qua actiones mentis, voluntatis & cordis ſunt copulata.* Theologos Salmurienſes in theſibus de Fide Parte priore th. 16. *Cor in Scriptura & apud alios bonos auctores mentem denotat, quia olim ἡ γνώμη τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῇ λαιῇ κοιλίῃ τῆς καρδίας εἶναι*, ut loquitur Hippocrates, atque *inde τῆς ἄλλης ψυχῆς ἄρχειν putabatur*; neque ergò magis reprehendendus ero, quod recedo à ſententiâ Leydenſium, quàm adverſarius, qui à ſententia Theologorum à me citatorum diſſentit. Auctoritates tales ſunt humanæ, neque quicquam veritati præjudicare poſſunt.

DLX. Exc. 4. B. p. 111. *Etiam corde malè affecto, humoribus bilioſis & melancholicis, animam iracundam vel melancholicam percipimus: Ergò eâdem conſequentiâ animæ ſedem eſſe in corde probo.*

Reſp. Meum argumentum inde procedit, quod alibi anima non poſſit affici à ſpiritibus animalibus quàm in cerebro, cum non alibi ſint ad hunc effectum ſufficientes; itaque etiam humores bilioſi & melancholici non poſſunt animam iracundam reddere, niſi interveniente motu ſpirituum in cerebro. Sed nihil attinet prolixius cum adverſario & ſimilibus diſputare, cum hæc in libello Paſſ. à Cart. optimè ſint explicata.

DLXI. Exc. 5. (B. p. 111.) *Licet talia pathemata ut amentia, furor, ex corde malè affecto non orirentur, tamen alias affectiones inde ortum habere jam oſtenſum eſt.*

Reſp. Quomodo ex illis præcisè affectibus argumentum petamus videat antagoniſta ſupra. 2. Non aliter excitant humores bilioſi & melancholici affectus iracundiæ & melancholiæ in animâ, quàm quatenus ex illis humoribus tales convenientes iis ſpiritus animales generantur, qui animam in cerebro principalem ſedem tenentem iracundiâ & melancholiâ afficiunt.

DLXII.

Digitized by Google

DLXII. Exc. 6. B. p. 111. *Annon ipſa cordis oppreſſio, quæ fit per melancholici humoris copiam, ipſum cerebrum inficere & furorem gignere poſſit, conſulatur Medicorum ſchola.*

Reſp. Si illud neſcit Adverſarius, quid ergo reſponſionis loco id affert? dico autem id fieri poſſe, ſed non immediatè, verùm infecto cerebro, ut ipſe dicit, & per ſpiritus animales, qui ex melancholico humore melancholiæ excitandæ convenientes generantur.

DLXIII. Exc. 7. B. p. 111. *Quod cerebro male affecto amentiam, furorem &c. conſequi videmus, mirum non eſt: unde per hoc argumentum nihil aliud poteſt probari, quàm animam in cerebro fungi facultatibus intellectualibus, vel ad ſummum animam eſſe eſſentialiter in cerebro, non autem quod non ſit etiam eſſentialiter in corde.*

Reſp. Sic cauſam tradit. Hoc enim argumento probare intendi, non quòd eſſentialiter anima tantùm ſit in cerebro, & non in corde, ſed quòd in cerebro anima præcipuam NB ſedem habeat, & potentiâ intelligendi & volendi in cerebro fungatur anima, cujus contrarium ſupponunt phraſes vulgares etiam ab ipſâ Scripturâ adhibitæ.

DLXIV. Præter hæc obſervata contra ea quæ H. habet à p. 251 ad 255 ſequentia poſſunt notari. 1. Me non dicere, quod omnes Tropi erroneis vulgi opinionibus innitantur, ſed dico, hunc Tropum in citatis locis, in quo ſupponitur, cor eſſe præcipuam animæ ſedem, in variis linguis adhibitum, etiam uſurpari in Scripturâ, non obſtante, quòd inventores ejus Tropi reſpexerint opinionem erroneam, quam non opus eſt Sp. S. refutare. Vana ergò ſunt omnia quæ p. 252. tractat. 2. Vox *Cordatus* & theoreticè ſapientem & practicè prudentem notat, uti ex uſu apud Auctores patet. Sed quicquid ſit de eo, cor non eſt magis virtutum ſedes quàm animæ. Virtutes enim inhærent animæ & voluntati, ideoque cordatus non fuit dictus ab iis, qui hoc nomen invenerunt, niſi habito reſpectu ad iſtam opinionem. 3. Sufficit, quòd origo iſtius impoſitionis talis ſit, etiamſi non omnis is, qui eâ utitur voce, ad iſtam originem in uſu attendat. Atqui hæc contra p. 253. dicta ſunto. 4. Cadunt vero facilè, quæ de voce *Recordari* & aliis obſervat p. 254. Nam eæ voces ab inventoribus ſimiliter uſurpatæ ſunt, habito reſpectu ad iſtam vulgarem opinionem, quod mihi ſufficit ad obtinendam meam ſententiam.

DLXV. M. p. 115. mecum convenit, dum dicit, *ſufficere dummodo ſtatuamus Cordis vocabulum ea vere ſignificare, quæ Spiritus Sanctus eo nobis ſignificare intendit, ſive ea vera ſignificatio errorem aliquem auctorum iſtius phraſeologiæ ſupponat, ſive non.* Hoc enim eſt quod toto libro doceo, rece-

ptis

ptis phraſibus uti ſacras literas, quæ impoſitæ ſæpe ſunt ab auctoribus ad errorem aliquem reſpicientibus. Quæ vero hîc mihi opponit, nullius ſunt momenti; quod enim vocabulum לבב citatis locis non tantùm genere medium, ſed in ſpecie hoc medium, nempe partem hanc corporis humani, quæ Cor appellari ſolet, ſignificet, nimis quàm manifeſtum eſt; quod autem per Cor anima intelligatur tropicè, ipſe etiam dico.

CAPUT XXVI.

Idem probatur ſecundò Argumento deſumto ex locutionibus in Scripturâ uſurpatis de moralibus & practicis apparentiæ & opinioni ſuper eâ fundare innitentibus.

DLXVI. Sententiam ſuperioribus capitibus probatam non repugnare Auctoritati & Veritati Scripturæ, etiam hoc modo videmur evincere poſſe. Si cum Auctoritate & Veritate Scripturæ non pugnant locutiones de rebus moralibus & practicis in Scripturâ ſæpe frequentatæ, quibus veritas aliqua relata ad externam apparentiam & opinione erroneâ involuta ſignificatur? Ergo pari ratione non repugnat ejuſdem Auctoritati & Veritati, ſi circa phænomena & res naturales utatur phraſibus receptis, Veritatem ad hominum ſenſus relatam & præjudiciis involutam referentibus. Sed verum eſt prius, uti ex ſeqq. manifeſtum. Ergo & poſterius.

DLXVII. Exc. M. p. 71. *Iſto modo omnem certitudinem ex his textibus tolli. Si enim ſubinde de rebus moralibus & practicis ſecundùm errores aliorum Spiritus S. locutus deprehenditur, quidni in aliis idem fieri potuiſſe rationabiliter ſuſpicabimur?*

Reſp. Non ſufficit ſuſpicio, ſed opus eſt illud oſtendere, quemadmodum in locis citatis à me eſt factum. In illis enim phraſes tales reperiri, vel ex rei naturâ ipſâ ex. gr. Joſ. x1. quem nono loco adduximus, colligitur. Idem ergò eſt hoc argumentum cum argumento Maldonati in Harmon. ad cap. xxvi. Matth. quo utitur contra noſtros, qui in verbis: *Panis eſt corpus Chriſti*, tropum eſſe dicunt, quando inquit: *Cur non & ibi figuras quærunt, ubi Marcion, ubi Arius, ubi Manes, ubi Origenes?* quod quàm nullius ſit momenti nemo non videt.

DLXVIII.

Digitized by Google

DLXVIII. Probamus noſtram Minorem inductione variorum locorum, quibus Veritas aliqua relata ad externam apparentiam & erroneâ opinione involuta ſignificatur, quo evicto eo ipſo conſtabit, illas cum Auctoritate & Veritate Scripturæ optimè conſiſtere. Primam Claſſem conſtituunt loca, in quibus *Juſti* dicuntur ii, *qui tales ſunt in externa apparentia*, & opinione ſuper ea fundata vel ſua vel aliorum, qualia ſunt, 1. Eſ. XLIX. 24. collato cum v. 25. *An Auferretur à robuſto captura? an etiam captiva turba juſti eriperetur? Quin ſic ait Jehova, & turba captiva robuſti auferetur, & captura violenti eripietur.* Hîc is, qui priori verſu vocabatur juſtus, ſequenti vocatur violentus, tyrannus. Itaque iſta juſtitia non eſt niſi in opinione iſtius tyranni, qui omnia ſua violenta facta titulo juſtitiæ novit obtegere, & eorum, qui ejus partes ſequuntur. Nam ut ſuſpicemur mendum irrepſiſſe, ita ut pro צדיק in priori verſu ſit legendum עריץ ut quidam interpretes volunt, nulla neceſſitas cogit. Marloratus ad hunc locum conſideretur, cujus hæc ſunt verba ex Calvino. *Interea hac ſimilitudo diligenter notanda eſt, quod Eccleſia opprimatur tyrannide Principum, & faucibus luporum expoſita ſit, & nihilominus JUSTA eorum præda eſſe EXISTIMETUR! Sed utcunque JUSTOS ſe Dominos jactitent, & inani titulo glorientur, Dominus eos prædones iniquiſſimos eſſe declarat, cùm ſe vindicem fore atque iis prædam ſuam erepturum eſſe ſignificat.* Similes huic ſunt loci Prov. XVIII. 17. ubi ſecundum Hebræum textum hæc habentur verba, *Juſtus, qui primus eſt in lite ſua, advenit proximus ejus & pervestigat eum*, in quo loco interpretes per *Juſtum* intelligunt eum, qui ſibi videtur Juſtus. Vide Cartwrightum, Belgas & Junium. Matth. IX. verſ. 13. *Non enim veni vocatum juſtos, ſed peccatores ad reſipiſcentiam.* Chriſtus per *Juſtos* intelligit Phariſæos, qui turgebant propriâ juſtitiâ & ſibi juſti videbantur, cùm tamen nihil minùs quàm tales eſſent, in quâ explicatione conſentiunt interpretes, nominatim Belgæ, Paréus, Muſculus. Simili modo locum Ezech. III. 20. Jun. 5. *Sin averteretur juſtus à juſtitia ſua & faciet iniquitatem* interpretantur Belgæ; (qui quamvis fortè aliter accipi poſſit, eorum tamen verba adſcribam) *Een rechtveerdige*] *te weeten in den ſchijn voor de menſchen, niet in der waerheyt voor Godt, alſoo is het woort rechtveerdigh genomen, Prov. XVIII. 17. Ezech. XVIII. 24, 26. &c. cap. XXXIII. 13. Matth. IX. 13. Luc. XVIII. 9, 14. item geloove voor den ſchijn-geloove. Luc. VIII. 13. Act. VIII. 13. ende liefde voor ſchijn-liefde. 1 Joh. III. 12.* quæ ita Latinè reddo, *Juſtus*] *ſcilicet in apparentia coram hominibus, non in rei veritate coram Deo: ita accipitur vox juſtus Prov. XVIII. 17. Ezech. XVIII. 24, 26. &c. cap. XXXIII. 13. Matth. IX. 13 Luc.*

Digitized by Google

XVIII. 9, 14. item fides pro fide apparenti Luc. VIII. 13. Act. VIII. 13. & charitas pro charitate apparente 1 Joh. III. 12.

DLXIX. Exc. 1. B. p. 71. ad locum Eſaiæ, *Prædo dicitur juſtus, quia jus belli præ ſe fert, ſed omnibus per ſe notum eſt ipſum eſſe injuſtum,*

Reſp. Omnibus notum eſt quos violenter aggreditur, ſed non ipſi nec iis qui ejus partes ſequuntur, quibus juſtus videtur eo ipſo, quia jus belli præ ſe fert. 2. Si hoc per ſe notum ſit, tantò evidentiùs probat meam Minorem, hocque eſt exemplum locutionis, qua veritas relata ad externam apparentiam & erroneâ opinione involuta ſignificatur, à Scriptura uſurpatæ.

DLXX. Exc. 2. H. p. 244. *Non acceptandum eſſe argumentum ad probationem, quod interpretum adhuc ſtylo laceretur.*

Reſp. At ſine cauſa interpretes quidam hunc locum aliter legunt, cùm Scripturas V. & N. T. incorruptas contra quoſdam Pontificios ſufficienter à Proteſtantibus ſit evictum. (Unde apparet M. pag. 72. primam notam ex mera contradicendi libidine profectam, cùm *non ſuſpicari mendum* non excludat negationem mendi:) Omninò ergò hoc argumentum ad probationem noſtræ ſententiæ rectè adhibetur.

DLXXI. Contra reliqua quæ M. hîc habet p. 73, 74. quæ inſpiciat cui volupe eſt, obſervo ſequentia. 1. Non eſſe neceſſarium, ut Spiritus Sanctus iſtum tyrannum juſtum appellaverit in gratiam Tyranni, vel in gratiam vulgi, ſed eum appellare juſtum & violentum ſimul, ut oſtendat ejus juſtitiam non veram eſſe ſed apparentem, viderique potius ſuis & ſibi juſtum, quàm revera eſſe, ad conſolandam Eccleſiam, ut ex explicatione Calvini apparet. 2. Si Tyrannus appelletur juſtus eo modo, quo reprobi populus Chriſti &c. omninò ſpectanda eſt apparentia externa & judicium, ſuper ea fundatum, tum ipſorum tyrannorum, tum aliorum, quod tamen cum veritate non convenit. 3. Verum eſt, Spiritum Sanctum indicare quomodo illud צדיק intelligi velit, atque eo ipſo patet, quod debeat ſumi ſecundùm opinionem. Hoc enim noſtrum confirmat argumentum. 4. Quòd ſi vero τὸ צדיק referre velis ad שבי idem nihilominus erit ſenſus, illam nempe captivam turbam juſtam dici, hoc eſt, juſte captam propter opinionem iſtius tyranni & ſectatorum.

DLXXII. B. p. 71. *Circa Matth. IX. 13. conſentit, dicendo, illos dici juſtos ſuo judicio & propria imaginatione, quos revera injuſtos fuiſſe ex Euangelio clare liquet.*

Reſp. Et hoc eſt quod ego intendo, vocari juſtos aliquos ſecundùm apparentiam externam, ſecundùm ſuum judicium ſive opinionem, quæ hîc

Digitized by Google

hîc eſt erronea, quoniam eos injuſtos fuiſſe revera ex Euangelio clarè liquet. Sic ergo Minor mea confirmatur.

DLXXIII. H. vero p. 244. —— 247. nihil præter verba objicit, quibus non impugnatur mea probatio, ſed potiùs ſtabilitur, itaque non eſt quod operoſus ſim in iis refutandis. Sufficit enim 1. quod probatum ſit, juſtos appellari eos, qui revera tales non erant, ſed tantùm in opinione ſua & aliorum. Hoc enim tantùm requiritur ad probationem meæ Minoris ſuprà poſitæ. Quod autem per juſtos intelligat Chriſtus Phariſæos, qui ſibi juſti videbantur, dicatque, ſe non veniſſe vocatum eos ſic turgidos propriâ juſtitia, apparet ex textu: ii enim intelliguntur per juſtos, qui opponuntur publicanis, ii, qui murmurabant. Atqui hi erant Phariſæi propria juſtitia turgidi. At dicis: *Chriſtus tamen etiam Phariſæos vocavit; quod apparet ex effectu, quia crediderunt in eum, ergo eos hic concrete non excluſit.*

Reſp. Deſignantur hîc Phariſæi in communi, qui ſe legaliter juſtos putabant, cui non repugnat, quod quoſdam ex iis vocaverit. 2. Non ſemper ad captum ſeſe accommodant Scriptores ſacri per tales locutiones, ſive, non ſemper propterea uſurpant Scriptores ſacri ejuſmodi phraſes, quia aliæ ſuperent vulgi captum, (iſtius enim loquendi modi variæ poſſunt eſſe cauſæ, ut & ſuprà §. 57. obſervatum) ſed ſufficit aliquando adhiberi, quod uſu ſint receptæ, & applicatæ his vel illis ſubjectis. 3. Qualem veritatem habere poſſimus ex illis verbis in explicatione hujus loci oſtenſum, ſic & in locis qui de rebus naturalibus loquuntur, veritatem habere poſſum, ſed non eam, quam quis præjudicio occupatus conformiter ſuo præjudicio ex iſtis phraſibus inferre ſolet. Sed & concedo, eam veritatem ex Chriſti verbis haberi poſſe, quod Phariſæi non ſint verè juſti, ſed in ſua opinione; quod tamen ex nudis illis verbis non patet, ſed ex textûs circumſtantiis & hiſtoria Phariſæorum deſcripta in Euangelio. 4. Nec ego is ſum, qui putem vulgus ſemper errare, uti videtur mihi tribuere p. 246. & contrarium ejus patuit ex cap. I.

DLXXIV. Ad Prov. XVIII. Exc. 1. M. p. 75. *poſſe vocabulum juſtus ſumi ironicè.*

Reſp. 1. Ironiæ adhibentur vel ad reprehendendum eum, quem ironicè appellas, vel ad ei illudendum, quod hîc locum habere non poteſt, neque illud indicant verba ſequentia, ſed potiùs, quod non ſit verè juſtus. 2. Quòd ſi ironicè hîc ſumatur, non conficies inde, δοξαστικῶς ſumi non poſſe, cùm hæc ſæpe ſint inter ſe invicem conjuncta.

DLXXV. Exc. 2, M. p. 75. Comparando hæc verba cum Matth. v. ut

ut hic ſenſus, *Juſtus primò ſemetipſum perveſtiget, antequam proximum ſuum ad cenſuram revocet, item juſtum dici qui pronunciatur juſtus in judicio*: quæ omnia ſenſum hujus loci pervertunt potiùs quàm exponunt. Et quia ſufficit ipſi varias afferre interpretationes, quæ tamen & ſemetipſas & ſæpe textum pervertunt, me eas negare ſufficiet.

DLXXVI. Quod circa Matth. IX. M. p. 76. obſervat, jam refutatum eſt, niſi quod dicat, *hîc agi de re fidei & quidem articulo fundamentali.* Ad quod facilis eſt reſponſio. Nam etiamſi ipſa vocatio ad ſalutem per Chriſtum ſit articulus fundamentalis, tamen, *juſtos eſſe aliquos ſecundùm apparentiam, atque tales dici* cum nullo articulo fundamentali pugnat, ut per ſe eſt manifeſtum.

DLXXVII. Secundum Inductionis exemplum præbet locus Prov. XXX. 19. *Tria iſta occulta à me, imò quatuor hæc non novi, viam Aquilæ in cœlo, viam ſerpentis in rupe, viam navis in alto mari, & viam viri in virgine. Ita eſt via mulieris ſcortantis: comedit, deinde abſtergit os ſuum, tum dicit, non ſum operata iniquitatem.* Hîc in Hebræo habetur vox עלמה, quam interpretes ſtatuunt ſemper ſignificare virginem intactam, quæ nondum virum cognovit, idque ad tuendam Virginitatem B. Mariæ Matris Domini noſtri, de qua prædixerat Eſaias cap. VII. Cùm autem Judæi objiciunt hunc locum Prov. XXX. 19. in quo volunt vocem עלמה ſumi pro virgine corrupta, quia verſu ſequenti dicitur: *Ita eſt via mulieris ſcortantis*, reſpondent, hîc ſumi pro tali, quæ ſit virgo ſecundùm δόξαν, quod ſeſe pro virgine venditet. Ita Cartwright ad hunc locum: *Non attendunt Judæi, Prophetam hoc in loco συγχωρητικῶς per conceſſionem loqui, prout verſus ſequens apertè declarat; quia ſcilicet tametſi vitiata ſit, pro virgine tamen ſeſe venditet. Ad eundem modum incantatores, quamvis inſigni ſtultitiâ ſint, quia tamen ſapientes haberi voluerunt & habiti ſunt, ſapientes in Scripturâ non ſemel appellantur.* Similiter Scultetus in Eſ. VII. *Quamvis locus Prov. XXX. de corruptâ juvenculâ loquatur, virginem tamen eam dici non quidem ἀληθῶς ſed vel εἰρωνικῶς vel δοξαστικῶς* (ubi nota, quod εἰρωνικῶς de aliquo dicitur etiam ſimul δοξαστικῶς eſſe intelligendum) *non eſt abſurdum.* Ita & Urſinus in cap. Eſ. VII. *vocat virginem, id eſt, quæ videtur aut videri vult virgo, etiamſi non ſit virgo, id eſt, non virginem veram, ſed ſimulatam.*

DLXXVIII. Exc. I. B. p. 72. *Vitiata ſe nominat Virginem, ſed admittendo viros ſe mentiri probat.*

Reſp. At etiam Spiritus Sanctus Virginem appellat, ergo ſi probet talis Virgo ſe mentiri, apparet adhiberi à Spiritu S. locutionem, quæ ſuper apparentia & opinione eſt fundata, quod ſufficit ad meum ſcopum.

DLXXIX.

Digitized by Google

DLXXIX. Exc. 2. M. p. 74. *Vocabulo* עלמה *non deſignari Virginem corruptam. Sic enim Judæos fortiùs poſſe urgere ſuum argumentum contra Eſ. VII. Vocabulo autem* דרך *ſignificari machinationes mirabiles, quibus adulteri & ſcortatores ſolent inhiare Virginum pudicitiæ. Verbis verò ſequentibus, ſic via mulieris adulteræ, comparari conatus adulterarum, quibus ſceleris perpetrata à ſe amoliri nituntur, cum iis, quibus ſcortatores virginum pudicitiæ inſidiantur.*

Reſp. Quòd vox עלמה hîc tribuatur Virgini corruptæ propter externam apparentiam, quâ virgo videtur & opinionem ſuper eâ fundatam, apparet ex textu. Non enim fit comparatio inter quatuor propoſita v. 19. & quintum v. 20. Sed comparantur hæc tria, *via aquilæ in cœlo, via ſerpentis in rupe, via navis in alto mari*, cum quarto, quod eſt *via viri in virgine*. Illud autem quartum v. 20. ulteriùs illuſtratur & contractiore ſimilitudine declaratur, cùm ſcortum quod antea vocaverat עלמה propter apparentiam externam, ei aſſimilat, qui aliquid ſibi denegatum expetens illud comedit & ne comediſſe deprehendatur, os & dentes detergit. Quartum enim imprimis hîc fuit, cujus inſignem difficultatem vult exaggerare. Unde & numerus Cardinalis *quatuor* videtur poni pro ordinali *quartum*, quemadmodum & Lutherus interpretatur. Et cùm cohæreat v. 20. cum præcedente, non poteſt commodiùs exponi, quàm ſi dicatur, illo verſu rationem reddi, quare viri via in virgine, quæ pro tali ſe venditet ſit occulta, nimirum, quia talis ſit ſimilis comedenti & abſtergenti os ſuum. In quâ exponendi ratione conſentientem habeo Junium in Parallelo quarto, qui poſtquam dixiſſet ea, quæ citabimus art. 675, addit: *Eodem modo accipiendum eſt Puellæ nomen in eo Proverbiorum loco: quod nemo Judæus aut ullus inſenſiſſimus Euangelicæ veritatis adverſarius negaverit, ſi attendas ad ſapientis verba. Nam poſtquam dixit* Tria iſta occulta ſunt à me &c. *Si roges quâ virgine? obſecro, audiamus Salomonem ipſum hoc genus virginum explicantem ſequente verſu &c. His certè verbis demonſtrat Salomo evidentiſſimè, eam à ſe nominatim perſtringi, quæ ſe impudenter affirmat virginem, ac proinde humanâ opinione habetur virgo.* 2. Quòd verò Judæis ſic detur occaſio fortiùs urgendi argumentum ſuum, non potuerunt videre interpretes citati, qui hoc modo iverunt Judæis obviam, ſtatuentibus vocem עלמה ſignificare juvenculam, adeoque hoc vaticinium poſſe uxori Prophetæ Eſaiæ applicari. Hâc enim reſponſione datâ omninò eorum exceptio concidit. Sed non poſſe Eſ. VII. vocem עלמה ſignificare virginem corruptam, vel ex eo contra Judæos oſtendi poteſt, quòd Eſaias iſtam conceptionem & partum tanquam miraculum proponat,

nat, id quod de conceptione & partu ſcorti dici nequit.

DLXXX. Tertium Inductionis exemplum ponimus locum Jer. xxviii.1. *Allocutus eſt me Chanania filius Hazzuris Propheta, qui erat è Gibbone* & v. 5. *Tum alloquens Iirmeja Propheta Chananiam Prophetam illum.* Chanania hîc æquè vocatur Propheta, hoc eſt, futura prædicens ac Jeremias, cùm tamen ille nihil minus eſſet, ſed Pſeudopropheta & ſeductor populi. Prophetæ ergo vocabulum de Chananiâ uſurpatum externâ apparentiâ & opinione Judæorum, qui ab ipſo decipiebantur, nititur. Et ita Piſcator in notis in Jeremiam annotat. *Qui ſe profitebatur Prophetam. Dictum κτ̀ δόξαν.*

DLXXXI. Exc. 1. B. p. 72. *Chanania Prophetam ſe jactitabat, ſed Pſeudo-prophetam ſe prodidit.*

Reſp. At erat talis ſecundum apparentiam, & hinc ſeſe jactitabat, atque pro tali à Judæis habebatur (plurimis, licet fortè non omnibus) prout apparet ex v. 15. *tu feciſti, ut fiduciam poneret populus in falſo.* Id autem non poterat fieri, niſi eum pro Prophetâ habuiſſet, quamvis poſtea fraus ejus fuerit a Jeremiâ detecta, ut apparet, ſi iſtud caput integrum libeat alicui inſpicere. Hæc etiam obſervare volo H. nihil enim his conſideratis video, quod in ipſius verbis p. 247, 248. mihi obſit: probandum enim fuiſſet Hananiam non propterea vocatum fuiſſe Prophetam, quia talis habitus à populo, licet non eſſet. At contrarium ex textu conſtat & à me probatum.

DLXXXII. Exc. 2. Tandem addit H. p. 248. *Spiritus Sanctus mutuatus hî eſt verbum ſeu nomen opinionis à populo, non verò opinionem. Et ideò nomen iſtud eloquitur, ſed opinionem erroneam dicere Deus non poteſt.* At quàm optimè hæc conveniunt meæ ſententiæ! Quando enim dixi antehac, Scripturam vel Spiritum Sanctum loqui ſecundum opinionem aliquando, nihil aliud volo, quàm quod nomen, verbum vel phraſin opinionis à populo ſit mutuatus, illudque nomen vel phraſin fuerit elocutus. Nullibi vero dixi, quod doceat Spiritus Sanctus ipſam opinionem erroneam, neque verba mea eo trahi volo. Quæ vero hic objicit M. p. 78. ea ex hactenus dictis ſufficienter reperiet refutata.

DLXXXIII. Quartum Exemplum Inductionis deſumimus ex Marc. vi. 14. *Audivit autem hæc Rex Herodes,* ubi Antipas vocatur Rex, cum tamen non Rex fuerit, ſed tantum Tetrarcha, quemadmodum vocatur Matth. xiv. Et refert Joſeph. lib. 17. antiquit. quod poſt mortem Herodis Magni Cæſar Auguſtus Archelao mediam partem regni, quod pater tenuerat, conceſſerit, alteram vero partem diſtribuerit inter reliquos

Digitized by Google

reliquos duos Herodis Magni Filios, Antipam & Philippum. Nullus autem iſtorum Herodis filiorum Rex fuit factus, ne Archelaus quidem, cui dimidia pars regni obtigerat, & promiſſum fuerat regnum, quod etiam fuiſſet conſecutus, niſi in iram Cæſaris incurriſſet, quemadmodum ex Joſepho ſatis poteſt colligi. Quare Antipas non aliter potuit Rex dici, niſi quod ſe ut Regem geſſerit, adeoque in opinione ſuâ & populi pro Rege fuerit habitus, quo non obſtante vulgo receptam Regis appellationem ei Sp S. non dubitat aſſignare. Cum hac acceptione vocis Regis à me allatâ conſentit Dieter. in Dom. 21. poſt Trinit. qui in textûs Joh. IV. 46. explicatione inquit, *Etſi Herodes Rex non eſſet, ſed Tetrarcha, Rex tamen à vulgo dicebatur* Marc. VI. 14.

DLXXXIV. Exc. L. B. p: 71. *Antipas vocatur Rex, quia titulo illo delectabatur, cùm Magni Regis eſſet filius.*

Reſp. Hæc non pugnant, imo unum ex altero ſequitur, quia enim titulo illo delectabatur, ſe geſſit ut Regem, ut opinionem talem de ſe populus conciperet, adeoque ſe Regem appellaret, quam appellationem Spiritus Sanctus dum retinere voluit, eo ipſo nobis præbuit exemplum Scripturæ uſurpantis phraſin externæ apparentiæ & opinioni ſuper ea fundatæ convenientem.

DLXXXV. Exc. 2. H. p. 249. *Vulgus appellavit Regem ſed non eum eſſe credebat, Joh. XIX. 12. Omnis qui ſe Regem facit contradicit Cæſari. Et v. 15. Non habemus inquiunt Regem niſi Cæſarem.*

Reſp. Senſus Judæorum apud Johannem eſt, partes Imperatoris Romani ſibi vindicare, qui ſine ejus auctoritate vult regnare, ut Grotius hic annotat, idque clamabant impulſi à ſacerdotibus, non tam, quod adeo libenter Cæſari ſubjecti eſſent, ſed quod deſiderium Chriſtum trucidandi hunc ipſis clamorem exprimeret. Chriſtum ergo accuſabant tanquam talem, qui ſine auctoritate Cæſaris regnum ſibi aſſereret, (cum tamen ejus regnum non eſſet terrenum & de hoc mundo, ſed ſpirituale & alterius generis.) Quod ſi autem propius exceptionem hanc conſideremus, tali modo procedat oportet. Qui nullum volebant Regem recipere præter Cæſarem, illi non credebant Herodem Regem. Atqui illi ipſi Judæi Galilæi nullum volebant Regem recipere. Ergo. Ad hanc reſpondeo, 1. diſtinguendo. Noluerunt Regem recipere præter Cæſarem non ex animo, ſed ſimulatè, ut hîc Pilato perſuaderent Chriſti homicidium. Quàm enim aliàs proni fuerint ad excutiendum jugum Cæſaris, ex hiſtoria Joſephi patet. 2. Si tamen ſeria hic quorundam voluntas fuerit, dico hoc ſenſiſſe, ſe nolle recipere Regem, qui ſine Cæſaris

aucto-

Digitized by Google

auctoritate regnaret. At dum Herodem Antipam Regem eſſe putavit populus, non ſine Cæſaris auctoritate regnare autumaſſe cenſendum eſt.

DLXXXVI. Quem movent exceptiones M. p. 79, 80, 81. eum attendere velim ad ſequentia, quæ ex Joſephi hiſtoria depromſi. Is lib. 17. Antiq. cap. 10. dicit, *quòd Archelaus ab Herode per Teſtamentum fuerit Rex conſtitutus, à Regis nomine tamen ſibi abſtinendum cenſuerit, quòd ab auctoritate & aſſenſu Cæſaris penderet, penes quem ſit Teſtamenti à patre conſcripti confirmatio*, cap. 11. in fine inquit, *Cæſarem Archelaum dignum regno pronunciaſſe, atque teſtamenti paterni confirmationem promiſiſſe, ſed viſo hâc promiſſione confirmatum in ſpe juvenem, nihil tum amplius ſuper eo ſtatuiſſe, ſed deliberaſſe ſecum, utrùm regnum ratum faceret, an commune ſineret Herodis generi?* Cap. 12. *refertur accuſatio Judæorum contra Herodem Magnum jam mortuum & Archelaum.* Cap. 13. teſtatur, *Cæſarem Archelaum non declaraſſe Regem, ſed dimidia parte ditionis, quæ Herodis fuerat, ei conceſſa Ethnarcham eum conſtituiſſe, regnum quoque pollicitum fuiſſe, quamprimum ille ſe tali honore dignum redderet, alteram dimidiam partem partitum eſſe inter alios duos Herodis Filios, Philippum & Antipam eum, qui cum Archelao de toto regno contenderat.* Tandem Cap. 15. *docet, Archelaum jam Ethnarcham in Judæam reverſum decimo principatûs ſui anno a primatibus Judæorum fuiſſe delatum ad Cæſarem, à quo poſtquam auditus eſſet, Viennam Galliæ in exilium fuiſſe miſſum.* Ex quibus patebit, nec Archelaum nec Herodem Antipam verè Regem fuiſſe. Nec ego nego, Principem tributarium poſſe Regem vocari, ſed dico ex Joſepho, neminem potuiſſe Regem verè appellari, niſi qui à Cæſare fuerit conſtitutus, uti ex hiſtoriâ Joſephi eſt manifeſtum. Unde & abſurdum eſſe patebit, quod dicit Adverſarius, Antipam, Philippum & Archelaum eodem modo fuiſſe Reges, quo Herodes Magnus eorum parens, cum expreſsè id ipſis à Cæſare fuerit denegatum. De Agrippâ alia ratio, qui Rex fuit conſtitutus à Cajo Cæſare, impoſito in ejus caput diademate, teſte eodem Joſepho lib. 17. antiquit. cap. 8. fine. Conſentiunt meum omnes ferè docti horum temporum. Inſtar omnium ſit Iſaacus Caſaubonus Exercit. I. contra Baronium Sect. 2. in fine pag. mihi 16. b. *Auxit verò calamitas, & unus quaſi gradus ad perniciem ultimam eſt factus, anno poſt natum Dominum circiter decimo, cùm Archelao Viennam relegato, Judæa in formulam provinciæ eſt redacta: quod quam vim habeat, peritis rerum Romanarum ſatis eſt compertum. Ab eo tempore nullus unquam poſtea Judææ neque Rex fuit, neque Etnarcha: planeque tum accidit, quod modo Juſtinus dicebat, & Judæi ſic propriè dicti,* ὑπὸ ἴδιον βασιλέα

ἐπαύσαντο

Digitized by Google

ἐπαύσαντο εἶναι proprio ſibi Regi deſierunt eſſe ſubjecti. *Nam quod Euſebius, & eum ſecutus Baronius, Agrippam juniorem Regem ultimum Judæorum appellant; quaſi ille Jeroſolymorum Rex fuerit: mera eſt virorum eruditiſſimorum hallucinatio. Fuerunt quidem & ſenior Agrippa & junior reges Judæorum; ſed non Jeroſolymorum, neque* τῶν κυρίως λεγομένων, *hoc eſt, proprie dictorum Judæorum; de quâ diſtinctione alio loco erit dicendum. Herodes Antipas & Philippus, neque Reges unquam fuerunt, ſed Ethmarchæ, id quoque non Jeroſolymorum, ſed adjacentium regionum. Vera Judæa, amoto Archelao, in formulam provinciæ, ſicuti dicebamus, redacta, Syriæ acceſſit; cœpitque tum in eam mitti, qui vocabatur Procurator Cæſaris in Judæa, vel etiam procurator Judææ, de quo multa inferius.*

DLXXXVII. Quintum Exemplum Inductionis ſuppeditat 2 Cor. IV. 4. *In quibus Deus hujus ſeculi excæcavit mentes, nempe in infidelibus.* Hic Diabolus vocatur Deus hujus ſeculi, quod non niſi δοξαστικῶς & putativè intelligendum eſt, quemadmodum etiam fieri debet, quando idola gentium paſſim in Scripturâ dii vocantur, ut inter alia Exod. 23. 24. *Ne incurvando te honorem habeto Diis eorum*, ſcil. Cananæorum & reliquarum gentium, quas Deus coram Iſraëlitis expulit. Unde & Theologi, nominatim Leyd. in Synopſi Theol. Diſp. VI. art. 13. quando de nomine Dei agunt, annotant, illud vel propriè vel impropriè ſumi; impropriè itidem vel κοινωνητῶς, quando Angelis vel hominibus propter excellentem dignitatem &c. tribuitur, vel δοξαστικῶς ex opinione & errore falſis Diis.

DLXXXVIII. Quæ hic M. p. 81, 82. excipere conatur, ea magis meam ſententiam confirmant. Nam quòd *Diabolus dicatur Deus hujus ſeculi, quia ab Impiis pro Deo habetur, eique major cultus exhibetur quàm vero Deo, atque ſic practice Deus æſtimatur*, hoc & ego dico, & unà cum Theologis contendo. Hoc enim ad meum ſcopum ſufficit, ut probem Scripturam aliquando uti phraſibus, quæ apparentiæ & opinioni ſuper eâ fundatæ conveniunt. 2. Quod porro dicit, *Diabolum vere Deum eſſe quamvis metaphorice, quod in malis faciendis primatum revera obtineat, haud ſecus ac Deus Opt. Max. in bonis facere conſuevit: ſive quod juſto Dei judicio talem in filios inobedientiæ obtineat poteſtatem, qualem Deus habet in univerſum mundum*, id referens horreſco; malim tamen judicare ex ſtudio contradicendi, cui totum ſeſe dediſſe videtur, homini excidiſſe. Nam, ſi Diabolus verè Deus dicendus, *quod in malis faciendis principatum revera obtineat, ut Deus in bonis*, nonne ſic duo Principia duoſque Deos introduces cum Manichæis, unum bonum alterum malum? Dein, ſi propter ſimilem aliquam poteſtatem,

Digitized by Google

ſtatem, ſed tamen valdè limitatam & reſtrictam, aliquis eſt verè Deus, quidni rectè fecit Alexander Magnus, qui ſe pro Deo adorari volebat, magnam habuerit poteſtatem? Videat Lector, quo tandem ſtudium contradicendi hos homines deducat.

DLXXXIX. Sextum Exemplum locutionum talium deſumimus ex Epiſt. ad Gal. I. 6. *Miror vos ita cito, deſerto eo, qui vocavit vos in gratiam Chriſti, transferri in aliud Euangelium.* Doctrinam Pſeudo-Apoſtolorum vocat Paulus aliud Euangelium, innitente iſta appellatione opinioni iſtorum hominum, cum eſſet oppoſitum Euangelio Chriſti, adeoque nomine Euangelii indignum. Atque ita interpretes exponunt. Perkinſ. ad hæc verba ita annotat. *Ad aliud Euangelium] ad aliam doctrinam ſalutis, quæ juxta opinionem & verba falſorum Doctorum, eſt aliud Euangelii genus, abſolutius & excellentius, quam id quod Paulus tradidit.* Muſculus: *Fieri potuit ut vel ipſi ſuam doctrinam aliud Euangelium vocarint, vel auditores illorum dixerint. Hoc aliud Euangelium eſt ab eo, quod vobis Paulus prædicavit, atque ita Apoſtolus μιμητικῶς ſeductricem illam doctrinam aliud Euangelium appellavit. Nam alias, quod non eſt Euangelium, non poteſt vere aliud eſſe Euangelium, quemadmodum alius homo eſſe nequit, qui non eſt homo, & alius Chriſtus, qui non eſt Chriſtus, & alius Deus, qui non eſt vere Deus.*

DXC. Cum autem ibi vox Euangelii non ſumatur generaliter pro quovis læto nuncio, ſed pro læto nuncio de ſalute, apparet, non potuiſſe dici doctrinam Pſeudo-Apoſtolorum verum Euangelium, quemadmodum M. p. 82. quem videat lector, exiſtimat. Illud enim eſt Euangelium verum, quod vera ſalutis media annunciat, non aliud; niſi *veram doctrinam practicam* appellare velis, quæ ad finem bonum per contraria media deducit, *vel etiam ſalutis*, quæ ad infernum tendit. Quid tandem non audebit eructare zelus perverſus, modo contradixiſſe dici poſſit?

DXCI. Septimum Exemplum locutionum innitentium opinioni hominum ſuppeditat Joſ. II. caput, in quo dicitur de exploratoribus ab Iſraëlitis miſſis, quod illos perſecuti fuerint quidam ex Hierichuntinis, v. 7. *Viri illi perſecuti fuerunt illos via ad Jordanem per vada ſingula,* v. 16. *ad iſtum montem ite ne occurrant vobis, qui perſequuntur,* v. 22. *Abeuntes venerunt in montem illum ac manſerunt ibi tribus diebus, donec rediiſſent, qui perſequebantur, quæſiverant enim eos, qui perſequebantur tota via illa, ſed non invenerunt.* In Hebræo habetur רדפו אחריהם, quod ſi verbotenus reddas, erit, *perſecuti ſunt poſt ipſos.* At fuerunt illi viri abſconditi primùm in ſtipulis lini, quæ erant ſuper tecto ædium Rachabæ, dein tribus diebus in

Digitized by Google

in monte latuerunt ex Rachabæ conſilio. Non poterant ergò in rei veritate *perſequi poſt eos*; ſed denuo hic habemus exemplum Scripturæ uſurpantis locutionem innitentem opinioni hominum.

DXCII. Hic verò quam ineptum audias effugium B. p. 79. *Hierichuntini cum conſilium ſequerentur mentientis Rachabæ, perſecuti ſunt illos, ſed quos? Veroſne exploratores? non, ſed fictos, de quibus mentita erat Rachab, illos jam exiviſſe: intendebant enim veros exploratores perſequi & aſſequi, ſed revera tantum entia ficta perſequebantur. Illud cum refert Spiritus Sanctus annon loquitur ex rei veritate?*

Reſp. Verba ſunt, quibus contradicendi ſtudium proditur, nec tamen contra dicitur. Verſu 7. dicitur, viri illi perſecuti fuerunt אחריהם poſt *eos* NB. Quinam illi? pronomen illud refertur ad antecedens aliquod ſubſtantivum, de quo ſermo erat factus: at ad quod aliud referetur, quam ad exploratores, quos egreſſos mentita erat Rachab, quoſque perſequi intendebant Hierichuntini? An vero de fictis mentionem fecerat Rachab dicendo: *Ficti exploratores exierunt?* an fictos volebat intelligi, idque ſignificabat verbis? nequaquam: omnino ergò dicuntur perſecuti veros exploratores; adeoque Spiritus Sancti locutio opinioni iſtorum Hierichuntinorum innititur, non rei veritati.

DXCIII. Quod verò M. p. 86. dicit, *non poſſe dici Scripturam hac formula uſam, ne turbaret lectorem*, id fateor; nec unquam dixi, ubique ad illud attendi: ſed uſa eſt hâc formulâ, quia ea eſt recepta ad ſignificandum, aliquem eam viam ingreſſum, qua alium, quem aſſequi vult, putat inceſſiſſe, ſive illud verè, ſive falſo putaverit, innitens opinioni erroneæ, quod hic videmus factum. Ad reliqua, quæ ibidem opponit, agnoſco, vocabulum *Perſequi* in ſacris literis ſignificare idem, quod alicujus vitæ &c. inſidiari; at tum ſumitur impropriè pro machinationibus animi, ſed hic ſimul includitur motus corporis, corpore enim dicuntur perſecuti poſt ipſos, hoc eſt, eâ viâ ſecuti, qua putabant fugiſſe. Nec tantum intentio perſecutorum narratur, ſed ipſe actus, qui talis eſt, ut in rei veritate ſub iſto formali non potuerit prædicari de Hierichuntinis.

DXCIV. Octavum Inductionis noſtræ exemplum deſumimus ex 1 Sam. XXVIII. 12. *Cum autem videret mulier Samuelem*, v. 14. *agnoſcens Saul Samuelem eſſe*, v. 15. *dixit autem Samuel Sauli, quare commoviſti me evocando me.* v. 16. *cui dicit Samuel, quare ergo conſulis me?* v. 20. *adeo timebat valde à verbis Samuelis.* Eum, qui hic evocatus fuit à Pythoniſſa ad Saulis inſtantiam, fuiſſe Diabolum, conſtat inter omnes Orthodoxos, vel

Digitized by Google

maxime eo argumento, quod nullo modo Diabolo, cujus operâ utuntur magi & necromantici, tanta poteſtas à Deo concedatur, ut mortui ſancti ejus imperio ſint ſubjecti, quo de eorum animis diſponere poſſit, pro ſuo lubitu: interim non ſemel dicitur Samuel, unde & Eccleſiaſticus Apocryphus occaſionem videtur ſumpſiſſe, hæc vero Samueli applicandi. Vocatur ergo Samuel, quia ſpeciem Samuelis referebat, ex opinione Saulis & Pythoniſſæ, non ex rei veritate. Conſentit nobiſcum Perkinſius tom. I. p. 1136. Βασιλικολογία dicens: *Scriptura ſeſe frequenter ad captum intelligentiamque noſtram dimittit, de rebus non prout ſeſe habent, ſed more humano loquens. Eodem illa reſpectu etiam Samuelem imaginarium nomine veri Samuelis appellat, propterea, quod talis Sauli videretur.*

DXCV. Exc. B. p. 72. *Dæmon credebatur & vocabatur Samuel, quia faciem & habitum ejus referebat.*

Reſp. Conſenſus ergò eſt inter nos manifeſtus, adeoque eſt exemplum Scripturæ uſurpantis formulam, quæ apparentiæ externæ & opinioni ſuper ea fundatæ innititur.

DXCVI. M. tamen p. 87. inquit, *hic eſſe metaphoram, quâ Scriptura ſimilitudines appellare ſolet nomine rerum ipſarum, ſicut imagines ligneæ appellantur Cherubim &c. Atque ea metaphora Diabolum appellari Samuelem propter ſpeciem & ſimilitudinem Samuelis quam referebat.*

Reſp. Quando imagini tribuitur rei ipſius nomen, v. g. quando de eo, qui vidit imaginem Cæſaris dicitur, *vidit Cæſarem*, ſenſus proprius iſtius locutionis eſt hic, quod viderit ſignum Cæſarem repræſentans: at quando dicitur, *quod Saul agnoverit Samuelem, ſeque ei incurvaverit, & conſilium ejus expetiverit*, hic ſenſus, niſi admodum abſurdè, eſſe nequit, *quod agnoverit ſignum repræſentans Samuelem &c. quod ei ſigno ſeſe incurvaverit*; ſed potius exinde conſtat, quod Saul cum vero Samuele negotium ſibi eſſe putaverit, adeoque iſtam appellationem à Spiritu Sancto ex ejus ore acceptam & uſurpatam eo ipſo innixam fuiſſe erroneæ ejus opinioni, quod hoc loco conamur probare.

DXCVII. Simile exemplum præbet locus Deut. XVIII. 10, 11. *Ne invenitor in te utens incantatione, aut inquirens Pythonem, aut Ariolus aut mortuos conſulens.* Hic Necromantici dicuntur mortuos conſulere, cum hoc fiat tantum in ipſorum opinione & aliorum, non in rei veritate: putant ſe mortuos hos vel illos conſulere, & colloquium cum iis inſtituere, cum tamen ſit Diabolus, qui ſub ſpecie mortuorum iis apparet, eoſque fallit.

Digitized by Google

DXCVIII. Exc. M. p. 88. *Necromantici vere conſulunt mortuos, quamvis reſponſum accipiant à Diabolo, ſub mortuorum cadaveribus latente.*

Reſp. Neg. quod verè conſulant mortuos. Conſulere enim mortuos non tantum eſt, petere conſilium, ſed etiam accipere à mortuis, cum ſit Diabolus à quo conſilium capiunt. Conſulunt ita ut colloquium inſtituant, quod ſane non inſtituunt cum mortuis, ſed cum Diabolo, qui ſub ſpecie eorum apparet; ergo viciſſim eſt exemplum locutionis ſecundum apparentiam & opinionem ei innitentem.

DXCIX. Decimum Inductionis Exemplum petimus ex Joh. v.31. *Si ego teſtor de me ipſo, teſtimonium meum non eſt firmum,* nempe ſecundum veſtram opinionem, cum vos poſſitis de eo dubitare; alias enim in rei veritate teſtimonium Chriſti ſemper eſt firmum, cum ſit ipſa veritas, ipſeque docet Joh. VI. 11, 14. *Etiamſi ego teſtor de me ipſo, firmum eſt meum teſtimonium.* Deſignat autem Chriſtus, teſtimonium ſuum apud Judæos nullum effectum habiturum, locutione innitente opinioni erroneæ, quod Chriſti teſtimonium nullam habeat firmitatem.

DC. Exc. 1. B. p. 80. *Hic Chriſtum in collatione cum adverſariis ipſis aliquid concedere, ut argumentis ad eos confutandos fortioribus conſtringantur, atque de eo facile inter nos convenire poſſe, ſed hoc parum pertinere ad ſcopum meum.* Conſentit M. p. 89. *Eſſe in hoc loco conceſſionem manifeſtam, quæ æquipolleat his verbis, dato, non conceſſo.*

Reſp. Si concedit hic aliquid Chriſtus adverſariis, non concedit, quaſi in rei veritate ſit concedendum, ſed relinquit ipſorum opinionem ſine refutatione, atque phraſi utitur, quæ eorum opinioni erroneæ innititur. Atque ſic probatur Minor mei argumenti articulo 566. propoſiti, quæ Minor probata quomodo faciat ad meum ſcopum ex initio hujus capitis apparet, quod lector benevolus conſulat.

DCI. Exc. 2. M. p. 88. qui hic in omnes formas ſe vertit, *Teſtimonium Chriſti reſpectu Judæorum quorundam, quibus non conſtabat veracitas Chriſti, vere non fuiſſe idoneum ſ. ἀληθὲς, quod alias in ſe conſideratum ſatis eſt firmum & infallibile.*

Reſp. Si reſpectu Judæorum non fuit firmum, cum in ſe eſſet, itaque in eorum opinione tantum non erat firmum, non erat idoneum. Adeoque non verè, cum in ſe idoneum eſſet, atque ſic nihilominus obtineo inſtitutum.

DCII. Tandem addit M. p. 90. *Quatenus autem Spiritus Sanctus ſalva veracitate ſua falſas aliorum opiniones poſſit referre, & ad tempus*

maxime eo argumento, quod nullo modo Diabolo, cujus operâ utuntur magi & necromantici, tanta poteſtas à Deo concedatur, ut mortui ſancti ejus imperio ſint ſubjecti, quo de eorum animis diſponere poſſit, pro ſuo lubitu: interim non ſemel dicitur Samuel, unde & Eccleſiaſticus Apocryphus occaſionem videtur ſumpſiſſe, hæc vero Samueli applicandi. Vocatur ergo Samuel, quia ſpeciem Samuelis referebat, ex opinione Saulis & Pythoniſſæ, non ex rei veritate. Conſentit nobiſcum Perkinſius tom. 1. p. 1136. Βασκανολογίᾳ dicens: *Scriptura ſeſe frequenter ad captum intelligentiamque noſtram dimittit, de rebus non prout ſeſe habent, ſed more humano loquens. Eodem illa reſpectu etiam Samuelem imaginarium nomine veri Samuelis appellat, propterea, quod talis Sauli videretur.*

DXCV. Exc. B. p. 72. *Dæmon credebatur & vocabatur Samuel, quia faciem & habitum ejus referebat.*

Reſp. Conſenſus ergò eſt inter nos manifeſtus, adeoque eſt exemplum Scripturæ uſurpantis formulam, quæ apparentiæ externæ & opinioni ſuper ea fundatæ innititur.

DXCVI. M. tamen p. 87. inquit, *hic eſſe metaphoram, quâ Scriptura ſimilitudines appellare ſolet nomine rerum ipſarum, ſicut imagines ligneæ appellantur Cherubim &c. Atque ea metaphora Diabolum appellari Samuelem propter ſpeciem & ſimilitudinem Samuelis quam referebat.*

Reſp. Quando imagini tribuitur rei ipſius nomen, v. g. quando de eo, qui vidit imaginem Cæſaris dicitur, *vidit Cæſarem*, ſenſus proprius iſtius locutionis eſt hic, quod viderit ſignum Cæſarem repræſentans: at quando dicitur, *quod Saul agnoverit Samuelem, ſeque ei incurvaverit, & conſilium ejus expetiverit,* hic ſenſus, niſi admodum abſurdè, eſſe nequit, *quod agnoverit ſignum repræſentans Samuelem &c. quod ei ſigno ſeſe incurvaverit*; ſed potius exinde conſtat, quod Saul cum vero Samuele negotium ſibi eſſe putaverit, adeoque iſtam appellationem à Spiritu Sancto ex ejus ore acceptam & uſurpatam eo ipſo innixam fuiſſe erroneæ ejus opinioni, quod hoc loco conamur probare.

DXCVII. Simile exemplum præbet locus Deut. XVIII. 10, 11. *Ne invenitor in te utens incantatione, aut inquirens Pythonem, aut Ariolus aut mortuos conſulens.* Hic Necromantici dicuntur mortuos conſulere, cum hoc fiat tantum in ipſorum opinione & aliorum, non in rei veritate: putant ſe mortuos hos vel illos conſulere, & colloquium cum iis inſtituere, cum tamen ſit Diabolus, qui ſub ſpecie mortuorum iis apparet, eoſque fallit.

DXCVIII.

DXCVIII. Exc. M. p. 88. *Necromantici vere conſulunt mortuos, quamvis reſponſum accipiant à Diabolo, ſub mortuorum cadaveribus latente.*

Reſp. Neg. quod verè conſulant mortuos. Conſulere enim mortuos non tantum eſt, petere conſilium, ſed etiam accipere à mortuis, cum ſit Diabolus à quo conſilium capiunt. Conſulunt ita ut colloquium inſtituant, quod ſane non inſtituunt cum mortuis, ſed cum Diabolo, qui ſub ſpecie eorum apparet; ergo viciſſim eſt exemplum locutionis ſecundum apparentiam & opinionem ei innitentem.

DXCIX. Decimum Inductionis Exemplum petimus ex Joh. v. 31. *Si ego teſtor de me ipſo, teſtimonium meum non eſt firmum,* nempe ſecundum veſtram opinionem, cum vos poſſitis de eo dubitare; alias enim in rei veritate teſtimonium Chriſti ſemper eſt firmum, cum ſit ipſa veritas, ipſeque docet Joh. VI. 11, 14. *Etiamſi ego teſtor de me ipſo, firmum eſt meum teſtimonium.* Deſignat autem Chriſtus, teſtimonium ſuum apud Judæos nullum effectum habiturum, locutione innitente opinioni erroneæ, quod Chriſti teſtimonium nullam habeat firmitatem.

DC. Exc. 1. B. p. 80. *Hic Chriſtum in collatione cum adverſariis ipſis aliquid concedere, ut argumentis ad eos confutandos fortioribus conſtringantur, atque de eo facile inter nos convenire poſſe, ſed hoc parum pertinere ad ſcopum meum.* Conſentit M. p. 89. *Eſſe in hoc loco conceſſionem manifeſtam, quæ æquipolleat his verbis, dato, non conceſſo.*

Reſp. Si concedit hic aliquid Chriſtus adverſariis, non concedit, quaſi in rei veritate ſit concedendum, ſed relinquit ipſorum opinionem ſine refutatione, atque phraſi utitur, quæ eorum opinioni erroneæ innititur. Atque ſic probatur Minor mei argumenti articulo 566. propoſiti, quæ Minor probata quomodo faciat ad meum ſcopum ex initio hujus capitis apparet, quod lector benevolus conſulat.

DCI. Exc. 2. M. p. 88. qui hic in omnes formas ſe vertit, *Teſtimonium Chriſti reſpectu Judæorum quorundam, quibus non conſtabat veracitas Chriſti, vere non fuiſſe idoneum ſ. ἀληθὲς, quod alias in ſe conſideratum ſatis eſt firmum & infallibile.*

Reſp. Si reſpectu Judæorum non fuit firmum, cum in ſe eſſet, itaque in eorum opinione tantum non erat firmum, non erat idoneum. Adeoque non verè, cum in ſe idoneum eſſet, atque ſic nihilominus obtineo inſtitutum.

DCII. Tandem addit M. p. 90. *Quatenus autem Spiritus Sanctus ſalva veracitate ſua falſas aliorum opiniones poſſit referre, & ad tempus*

Digitized by Google

abſque ſpeciali refutatione permittere ſæpius dictum eſt.

Reſp. Si hoc poſſit fieri, ergo conſenſus eſt inter nos; nec erat, quod objiceret, Spiritum Sanctum in rebus fidei ſecundum me ſe componere ad falſam aliorum opinionem. Quod enim hoc eam non refutando fieri poſſit, ſalvâ Spiritus Sancti veracitate conceditur.

DCIII. Undecimum Exemplum deſumimus ex Phil. III. 7. *Sed quæ mihi erant lucra, ea duxi propter Chriſtum damna eſſe.* Quæ mihi lucra erant, non reverâ, ſed in mea opinione, quam habebam, cum nondum eſſem converſus, de obſervatione Decalogi, & aliarum conſtitutionum, tum Dei tum etiam hominum, per quas volui juſtificari, ea nunc detrimentoſa, luce divina illuſtratus judicio recto judico.

DCIV. Exc. M. p. 90. *Appellat hoc loco Apoſtolus bona opera damna, non abſolute, ſed reſpectu Chriſti, propter Chriſtum. Obſervatio legis eſt lucrum in ſe, damnum quatenus ſpectatur ut meritum.*

Reſp. Hæc mihi non contrariantur: illa enim ante converſionem vel reverâ lucra erant Paulo, vel tantum in opinione ipſius; quod ſi dicatur, uti dici debet, eſt exemplum locutionis, quo adhibetur formula, quæ opinioni innititur.

DCV. Duodecimum Exemplum adducimus ex Tit. I. 12. *Epimenides vocatur Cretenſium Propheta*: at is non fuit ſane ſecundum rei veritatem, ſed tantum ſecundum eorum opinionem, cum in tanto apud illos fuerit honore, ut ei etiam poſt mortem ſacrificaverint, quemadmodum refert Diogenes Laërtius. Notetur Calvini explicatio ad hunc locum: *Cum Poëtæ interdum Græcis Prophetæ dicantur, quemadmodum apud Latinos Vates: ſimpliciter pro Doctore accipio. Hinc autem appellatio (ut videtur) orta eſt, quod ſemper HABITI SUNT genus θεῖον καὶ ἐνθυσιαστικόν. Unde & Adimantus apud Platonem 2. de Rep. poſtquam vocavit Poëtas Deorum filios, addit eorum quoque factos fuiſſe Prophetas. Quare mihi videtur Paulus ad COMMUNEM USUM ſermonem accommodare.*

DCVI. Nihil hic excipitur à M. p. 91. quod ad rem faciat. Nam Epimenides vel revera fuit, & verus Cretenſium Propheta, vel in eorum opinione. Non revera, uti per ſe patet, nec enim revelationem divinam habuit: Ergò in opinione. 2. Doctores dicuntur Prophetæ, quia teſte Calvino, ſemper habiti ſunt genus θεῖον καὶ ἐνθυσιαστικόν. At Epimenides non reverâ fuit divinus & ἐνθυσιαστικός, quia nullam revelationem habuit divinam. Ergo tantùm in opinione talis. In his vis argumenti conſiſtit, ad quod debuiſſet reſponderi, non in genere dicendum, quod ad rem nihil facit.

DVII. Ter-

Digitized by Google

DVII. Tertium decimum tandem Exemplum ſuppeditatur 2 Pet. II. 1. *Fuerunt autem etiam Pſeudo-prophetæ in populo &c. etiam Dominum, qui illos mercatus eſt, abnegantes.* Si veritatem hic ſpectemus, dici ſane non poteſt, Chriſtum eos mercatum fuiſſe, à peccato & ſervitute Diaboli liberaſſe, cùm contrarium appareat ex eorum operibus, quibus oſtendunt, ſe adhuc manere ſub dominio peccati & Diaboli. Sed quia ſunt in externa communione Eccleſiæ, & Chriſtum profitentur, videntur pertinere ad puſillum illum gregem, quem Chriſtus ex faucibus Satanæ eripuit. Ita phraſis illa innititur opinioni tum ipſorum, tum aliorum, qua pro redemptis habebantur. Et hæc eſt communis interpretatio Orthodoxorum, quando Chriſti mortis efficaciam ad ſolos electos pertinere oſtendunt.

DCVIII. Sic Belgæ ad hunc locum notant: *Deſe worden hier geſeght van den Heere gekocht te ſijn, ten aenſien datſe haer voor ſoodanige uytgeven, ende van andere nae de liefde daer voor gehouden ſijn, ſoo lange als ſy in de gemeynſchap der Kercke waeren, ſiet diergelijcke wijſe vae ſpreecken. Job.* xv. 2. *Apoc.* xxii. 19. *Want Chriſtus heeft door ſijn bloet waerlijcken in der daet alleen ſijne gemeynte gekocht. Actor.* xx. 28. *Eph.* v. 25. *Dat is, alleen de waere geloovige, die altijt by Chriſtum blijven, ende hem niet en verloochenen, ſiet* 1 *Joh.* II. 19. *Apoc.* xiv. 3, 4. *Hoc eſt, iſti hic dicuntur empti à Domino, eo reſpectu, quod ſeſe pro talibus venditarent, & ab aliis ex charitate tales haberentur, quamdiu erant in communione Eccleſiæ. Vide ſimilem loquendi formulam Job.* xv. 2. *Apoc.* xxii. 19. *Nam Chriſtus ſuo ſanguine revera & actu tantum ſuam Eccleſiam redemit. Actor.* xx. 28. *Eph.* v. 25. *hoc eſt, tantum vere fideles, qui ſemper apud Chriſtum manent, & ipſum non abnegant. Vide* 1 *Joh.* II. 19. *Apoc.* xiv. 3, 4, Similis eſt Interpretatio Paræi. *Erant redempti, id eſt, reſpectu ſufficientiæ λύτρου, ſeu quoad magnitudinem pretii,* 2. *ipſorum profeſſione & gloriatione. Chriſtus enim pro omnibus ſolvit pretium, & multi impii gloriantur de Chriſti redemptione, ſed fide eum ſibi non applicant. Aliud verò eſt gloriari, aliud certo ſtatuere, Deum ſibi eſſe propitium propter Chriſti meritum.* 3. *HOMINUM OPINIONE.* Conſentit Alſtedius in Pleiade Apoſtolica, ubi inter alia ad hunc locum notat: *Ratione applicationis mortis Chriſti oportet diſtinguere fidem juſtificantem, temporariam, & hiſtoricam, itemque gloriationem, opinionem, & judicium charitatis. Quantum ad fidem ſalvificam, Chriſtus omnes & ſolas ſuas oves mercatus eſt, Joh.* x. *quantum ad reliqua, Chriſtus etiam mercatus eſt hypocritas.*

DCIX. Sed dices, an non ſufficiet? ſi dicas, Chriſtum ita dici eos mercatum fuiſſe, ut pretium, quod in ſe erat ſufficiens, ad illos redimendos

dos

Digitized by Google

dos perſolverit, ut non opus ſit altera expoſitione de redemptione, quoad ipſorum opinionem.

Reſp. Non ſufficit: hic enim eſt ſermo de illis hominibus, qui erant in externa communione Eccleſiæ, ac propterea judicabantur etiam eſſe in internâ communione cum Chriſto, uti fieri debet ex judicio charitatis. Itaque ſingulari ratione Chriſtus eos hîc dicitur mercatus, hoc eſt, vocaſſe ad externam communionem Eccleſiæ, quod ſignificatur per phraſin innitentem opinioni erroneæ, qua pro revera redemptis habebantur.

Inſt. At ſaltem ſatis erit, ſi dicas, eos redemptos dici, quoad profeſſionem ſuam.

Reſp. Illa profeſſio oritur ex opinione ipſorum falſa. 2. Ex illa profeſſione oritur etiam opinio aliorum de ipſis erronea. Itaque nihilominus vox illa in opinione erronea fundatur, quod erat probandum.

DCX. Exc. B. p. 83. Pro iſta inſtantia ſalvanda. 1. *Quid tum? modo Profeßio ſit cauſa, cur à Domino empti dicantur, 2. me probare debuiſſe hominum opinionem erroneam & non Profeßionem Pſeudo-prophetarum cauſam eſſe illius Phraſeologiæ, alias hoc loco pro mea ſententia nihil profuturum.*

Reſp. Si profeſſio ipſorum ſit cauſa, cur à Domino empti dicantur, eo ipſo eorum opinio erronea erit cauſa iſtius phraſeologiæ. Sic enim dicentur tales redempti, quia ſe tales venditabant; atqui tales ſe dicebant ex opinione erronea, neque hæc ab ipſorum profeſſione poteſt ſeparari. Ergo tales dicuntur etiam quoad opinionem ſuam. 2. Si Profeſſio non ſit cauſa iſtius appellationis citra opinionem erroneam, obtinui inſtitutum; neque enim probandum mihi, quod ſola opinio erronea ſit cauſa iſtius phraſeologiæ.

DCXI. Porrò adverſarii diſſimulatis auctoritatibus Belgarum, Parei, Alſtedii, quas pro mea ſententia adduxi, opponunt alias. B. quidem p. 81, 82. Molinæi, Ameſii, in Coronide & Antiſynod. Heidani & Collationis Hagienſium, M. p. 92. Gomari & Ameſii in Explanatione Epiſtolæ Petri, *qui per τ̃ δεσπότην non intelligant Chriſtum, ſed Patrem & emptionem explicent de aggregatione externa.*

Reſp. 1. Non agitur hic de committendis inter ſe auctoribus orthodoxis & noſtris, ſed de veritate interpretationis, an nempe illa interpretatio dicti Petrini, à me adducta ſit legitima? 2. An per δεσπότην hic ſit intelligendus Pater, nolim diſputare: nam ſi Patrem intelligas, cum agat omnia per Filium, & imprimis opus redemptionis per eundem exſequatur,

quatur, rectè etiam Chriſtus dicendus eſt iſtos homines fuiſſe mercatus. 3. Pars etiam citatorum auctorum meam ſententiam ſtabiliunt. Heidanus p. 396. expreſſe hanc meam interpretationem admittit his verbis: *Die hoewel ſy* in der waerheyt *geen part nochte deel en hebben aen den woorde, ende niet geheylight en waeren door het bloet Chriſti, nochtans uyterlijcke profeßie deeden van de Chriſtelycke Religie, ende door de uyterlycke beſprenginge des doops, en mondelycke belijdeniſſe* ſchenen NB *gereynight te ſijn, ende* nae den ſchijn *goede Chriſtenen.* Hoc eſt, *quibus etiamſi in veritate nulla pars aut ſors erat in verbo, nec ſanctificati fuerant per ſanguinem Chriſti, tamen externe profitebantur Chriſtianam religionem, & per externam aſperſionem Baptiſmi & oralem confeßionem videbantur NB mundati & ſecundum apparentiam boni Chriſtiani.* Ameſius vero in 2 Pet. tres reſponſiones affert, quarum prior cum noſtra explicatione convenit.

DCXII. Sed obſervatu digna hic eſt reſponſio Ameſii in Antiſynodalibus, quam Arminianis, Reformatorum reſponſionem, ſimilem meæ ad argumenta pro Solis motu objecta, onerantibus iiſdem abſurdis, quibus meam Antagoniſtæ premunt ſententiam, reponit. Verba illa, quæ huc faciunt, referre non pigebit cap. 6. de morte Chriſti. art. 5. Sic autem Remonſtrantes objiciebant: *Ajunt alii Apoſtolum non agere de iis, pro quibus Chriſtus reverâ mortuus eſt, ſed qui pro talibus debent haberi, ex judicio charitatis, ſed 1. ſic nihil erit certi, in tota Scriptura* (Nota quoties hoc mihi objiciatur) *Chriſtus ſimiliter ipſe dici poteſt homo fuiſſe, non revera, ſed opinione & phantaſia quadam. 2. Sic infringitur argumentum Apoſtoli, quia nihil eſt periculi in talium offenſione, niſi ut hypocriſis ipſorum in lucem protrahatur, quod eſt optandum.* Reſpondet Ameſius inter alia: *Hinc etiam cuilibet intelligenti facile apparebit, qualis ſit illa comparatio declamatoria, quam hic ſuo more inſtituunt Remonſtrantes inter iſtam interpretationem, quæ quoſdam non proprie redemptos, redemptis tamen conjunctos propter illam conjunctionem redemptos vocari dicit, & eorum inſaniam, qui dicerent humanam Chriſti naturam fuiſſe imaginariam tantum, cum ibi ſit manifeſta ratio uſu loquendi approbata, NB paßim in Scripturis, ubi omnes qui ſunt in Eccleſia vocantur ſancti, hic autem nihil præter inſaniam meram. Quod autem addunt de hypocriſi nihil habet ſani. Neque enim ſunt omnes illi, qui ad tempus aliquo modo credunt, ſed abſque radice proprie loquendo hypocritæ, & peccatum quod in tales admittitur, dum tales nobis apparent, non minus eſt, quam ſi revera tales eſſent & culpâ noſtrâ perderentur.*

DCXIII. Ex his apparet, non poſſe Minorem meam Propoſitionem art. 565. propoſitam negari, quam his Scripturæ locis volui confirma-

Digitized by Google

tam. Atque ut magis fiat manifeſtum, quomodo eadem confirmetur conſenſu Adverſarii, per ejus exceptiones generales, videamus. Ita ergo B. p. 70. *In illis locis Scriptura vel aliquam dictionem improprie ſumptam à me arripi ad probandam totam locutionem non ſecundum rei veritatem dictam, ſed ad erroneam vulgi opinionem* (quod de ſuo addit, dixeram enim hominum quorumcunque quatenus ex externis judicant,) *eſſe accommodatam, vel aliquid prædicatum ſubjecto me velle attribui tantùm ſecundum opinionem hominum, non rei veritatem ut Hebr.* VII. (ubi nota, quod non dicam, Melchiſedecum ſecundum opinionem dici talem, prout ex ſequentibus patebit) *Joſ. II. 7. &c. & prioris quidem generis loca quod attinet,* inquit, *non negamus in terminis ſimplicibus aliquando titulos vel attributa ſubjectis tribui, quæ tamen ipſis ſecundum rei veritatem non competunt, ut in locis citatis videre eſt.* Habemus ergò confitentem reum, ſaltem ex parte, atque Minorem meam Propoſitionem approbantem, *ſcriptores ſacros uſurpare locutiones correſpondentes opinioni quamvis erroneæ, κρίσιν ſuam non interponentes, nec mutare in accuratas,* ſed negat, id fieri in terminis *complexis, ita ut prædicatum tribuatur ſubjecto, cui non ineſt, vel negetur de ſubjecto cui ineſt.*

Reſp. Contrarium eſt oſtenſum, in hoc capite, & plenius adverſario eſt reſponſum in fine capitis XXIII.

DCXIV. Sed & ſequentia Adverſarii inſtituto meo inſerviunt, B. p. 71. *Datur in talium complurium terminorum uſu aliqua ratio manifeſta, propter quam titulus illi ſubjecto attribuitur, & ex qua cognoſcitur ipſi revera non competere: quæ ſi abſit, non licet dicere, titulum ſubjecto tributum ei revera non ineſſe. Item p. 72. in hiſce ergò (loquitur de* 1 *Sam.* XXVIII.) *& ſimilibus locis clare videmus & aliquas ſubeſſe rationes, propter quas attributa ſubjectis proprie non competentia illis tribuantur, & etiam certa dari judicia, unde nobis pateat illos titulos ſubjectis proprie non convenire, quæ ſi non dantur, non licet in alicujus phraſeos expoſitione dicere, attributa ſubjecto non ſecundum rei veritatem, ſed apparentiam tribui.*

Reſp. Et hic iterum inter nos convenit; neque enim dico, vel terminos ſimplices adhiberi ex uſu vulgi, vel complexos, niſi ſubſit aliqua ratio, propter quam talis locutio ſit agnoſcenda; ſi itaque ad Spiritus Sancti inſtitutum non requiratur, ut formulis receptis aliud doceat, quam generalem aliquam veritatem, & ex ratione conſtet, illas locutiones, prout vulgo uſurpantur, ortum habere ex opinione erronea, omninò ſententia, quam defendo, erit comprobata. Ne ergò impoſterum Auctoritas & Veritas Scripturæ objiciatur; cum de illa non ſit quæſtio, ſed diſquiratur: utrum in locis pro Solis motu adductis formulis receptis aliquid aliud præ-

ter

ter veritatem generalem, quam ſuis in locis indico, doceatur. Item, utrum ſit aliqua ratio certa, quæ in locis, pro quiete Terræ & Solis motu adductis, oſtendit, locutionem reperiri, quæ ex præjudicio & opinione erronea habet ortum. Ego verò ſuis in locis talem dedi, quam non video ita impugnatam, quin facile contra Objectionem adverſarii potuerit defendi.

Caput XXVII.

Tertium Argumentum, quo probatur, ſententiam dictam cum Auctoritate & Veritate Scripturæ nequaquam pugnare, ex eo deſumtum, quod Scriptura aliquid neget, non quia reverâ eſt negandum, ſed quia à nobis non eſt cognitum.

DCXV. Tertium argumentum. Si Scriptura ſine læſione Auctoritatis & Veritatis ſuæ poſſit aliquid negare, non quod revera ſit negandum, ſed quia à nobis non eſt cognitum: Ergò multo minus repugnabit ejus Auctoritati & Veritati, ut utatur phraſibus receptis, quæ ex infantiæ præjudiciis habent ortum, ſuam κρίσιν non apponendo; Sed verum prius. Min. probatur Heb. 7, 3. De Melchiſedeco dicitur, quod fuerit *ſine patre, ſine matre, ſine genere, nec initium dierum, neque vitæ finem habens, ſed aſſimulatus filio Dei, manet ſacerdos in perpetuum.* Utique hæc quæ negantur de Melchiſedeco, non poſſunt ſecundum veritatem negari; (niſi velimus ſequi ſententiam Cunæi de Republ. Hebræorum, qui per Melchiſedecum intelligit ipſum filium Dei, cujus ſententiæ inter alia repugnat imprimis, quod filius Dei non potuerit eſſe typus ſui ipſius) cum enim fuerit homo, uti probabilior fert ſententia, & quidem Rex Salem, proculdubio etiam habuit ſuos parentes, genealogiam &c. ſed tantum ſecundum cognitionem noſtram, quod ejus parentes &c. ſint incognita. Quemadmodum ergo Scriptura in ſuperioribus exemplis ſeſe accommodavit ad noſtram opinionem, ut locuta fuerit, quemadmodum opinamur de rebus; ita ſeſe hic accommodat ad noſtram cognitionem, ut non quod verum eſt, dicat, ſed quia nos non cognoſcimus, neget. Conſentiunt hic interpretes: ſic enim Paræus, *dicitur ſine patre, ſine matre, non quod revera talis fuerit, ſed quod talem Spiritus Sanctus hiſtoriâ repræſentat.* Eodem modo Sceltetus in Epiſtolam ad Hebræos, quibus ſimilia habet Gualtherus:

Talem proponit Scriptura, non quod REVERA *talis fuerit aut ſuperſit adhuc, ſed ut aſſimulatus filio Dei, id eſt, typi cauſa eundem proponit.*

DCXVI. Excipit hic B. p. 73. & 74. multis verbis inaniter profuſis quorum ſumma: *Scopo meo convenienter oſtendi debuiſſe, hanc fuiſſe erroneam opinionem vulgi, quod Melchiſedecus fuerit ſine patre.*

Reſp. Hoc neceſſarium non fuiſſe ex meo argumento patet, quod hic nunc magis in forma propoſui, quamvis & id antehac ab attento lectore potuerit cognoſci. Quo argumento meo obſervato etiam cadunt, quæ M. p. 84. ſimilia objicit, ac ſi hoc modo ſcopo meo non fuerit ſatisfactum.

DCXVII. Inſt. B. p. 74. *Hæc duo multum differunt: Nam rem incognitam eſſe, notat negativum quod, cum negetur rei cognitio; at opinio notat affirmativum quod, quæ ſi a veritate deflectat, ſit erronea; probandum autem fuiſſe Spiritum Sanctum ſeſe accommodare ad opinionem erroneam.*

Reſp. Quid probandum fuerit & probatum ſit ex argumento agnoſces. Homines autem iſti ſemper præſupponunt, idem mihi eſſe loqui ſecundum opinionem erroneam & loqui opinionem erroneam, vel affirmare & teſtari opinionem erroneam, quod nunquam in mentem mihi venit, & ab ea ſententia ſum alienus; unde & factum eſt, ut prudens ab ea phraſi in poſterum velim abſtinere, quamvis nihil aliud denotaverit, quam ea ipſa, qua nunc utor, nempe, *Spiritum Sanctum uti Phraſibus receptis, quæ ex præjudiciis infantiæ & ſenſuum habent ortum, veritatem aliquam, ſed ad ſenſus noſtros relatam atque præjudiciis involutam exprimentibus.* Itaque hæc inſtantia nihil quicquam mihi obeſt.

DCXVIII. Exc. 2. B. p. 75. *Sed & negamus hæc de Melchiſedeco dici reſpectu cognitionis noſtræ, cum ignorantia noſtra non poſſit inferre rationem typicam, ac proinde aſſerimus, Apoſtolum ſic de Melchiſedeco loqui, propter modum revelationis divinæ.*

Reſp. Hæc non pugnant, ſed unum ex altero conſequitur. Si enim Apoſtolus neget de Melchiſedeco patrem, matrem, &c. propter negatam revelationem divinam: Ergo etiam negat propter negatam cognitionem noſtram, quæ ſine revelatione de his eſſe non poterat; unde apparet, nihil repugnare, quin ignorantia noſtra ob negatam revelationem inferat rationem typicam. Non autem opus erat, ut tot auctores citaret Adverſarius, quum nullus citatorum mihi repugnet, neque ullus neget, *hæc negari de Melchiſedeco propter negatam cognitionem noſtram*; quæ eſt ſententia mea, cui non repugnat illa, quæ dicit, ea negari de Melchiſedeco propter negatam revelationem divinam, cum hujus negatio alteram inferat.

ferat.

Digitized by Google

ferat. Unde liquet, non quàm ego inepte argumenter, ſed quàm inepte ex eo, quod citati auctores dicunt, *Melchiſedecum dici ſine patre &c. propter Spiritus Sancti propoſitionem & revelationem*, (hoc eſt, quod Spiritus Sanctus nihil de iis revelet) inferat Adverſarius, eos negare, *quod ratio habeatur noſtra ignorantia*, cum hæc negatam revelationem divinam, de re, quæ aliunde non poteſt cognoſci, conſequatur.

DCXIX. Exc. 3. H. p. 249. *Hoc dubium eſſe principium ex quo argumentor, quis enim ille ἀπάτωρ & ἀμήτωρ fuerit, adhuc controvertitur.*

Reſp. Melchiſedecum fuiſſe ex hiſtoriâ conſtat eum, qui dicitur ἀπάτωρ & ἀμήτωρ, cum autem eum Scriptura deſcribat, ut Regem Salem, & ut hominem, non eſt, quod de eo dubitemus. Quis autem fuerit ille homo, non neceſſe eſt à nobis cognoſci, imo ex illa ignorantia, ſive negata cognitione hic argumentor. Quæ præterea habet, nihil lectorem attentum remorari poſſunt, ſi modo hæc noſtra, quæ prioribus articulis ſunt dicta cum ipſius p. 250. conferre velit.

DCXX. Exc. 4. M. p. 85. *Vere dici Melchiſedecum ἀπάτορα &c. quia vere non recenſeantur à Moſe, non ſecus ac aliquis appellatur anonymus, qui nomen ſuum libello non ſubjecit.*

Reſp. Qui dicitur ſine patre, is negatur habere patrem, matrem, initium finemque dierum. At de Melchiſedeco hoc revera non poteſt negari. Nam revera habuit Patrem. Ergo quia non fuit revelatus pater, & à nobis non cognitus. Sic anonymus non dicitur revera talis, ſi enim revera ſit talis, tum nullum habebit nomen, quod eſt falſum; ſed quia non addidit ſcripto ſuo, & propterea nos illud ignoramus. Atqui ex eo ipſo fui argumentatus.

CAPUT XXVIII.

Quartum Argumentum pro ſententia dicta deſumptum ex argumentationibus ad hominem in Scriptura uſurpatis.

DCXXI. Sequitur Argumentum quartum. Si Scripturæ Veritati & Auctoritati non repugnat, ut aſſumat propoſitiones falſas, falſaque principia, ea non refutans, quæ iis, contra quos diſputat, videntur vera, ex iiſque veritatem aliquam educat: Ergo multo minus ut utatur formulis receptis, etſi erroneis opinionibus innitantur &c, Si enim non repugnat aſſu-

Digitized by Google

aſſumere aliquod falſum, illudque proponere in argumento, ut veram propoſitionem, & ex illo argumentari, non indicato, te illud habere pro falſo, non video, quare illud poſterius magis repugnare debeat, aut, ſi aliter ſit, ratio diverſitatis detur oportet; ſed non repugnat, quia videmus id fieri in Scriptura, ex qua unum aut alterum exemplum nobis ſufficiet. Matth. XIX. 16, 17. *Et ecce quidam accedens dixit ei: Doctor bone, quid boni faciam, ut habeam vitã æternã? Ipſe verò dicit ei: cur me dicis bonũ? nullus eſt bonus, niſi unus nempe Deus. Si vis autẽ ad vitã ingredi, ſerva mandata.* Horũ Chriſti verborum ſenſus omnibus bene conſideratis eſt iſte; Parcius utere hoc titulo boni, qui ſoli Deo vere & proprie convenit, & quanquam aliquo modo etiam Creaturis tribui poſſit, non tamen iis tribui debet ſine reſtrictione, ſi non expreſſa, ſaltem tacita: quod cum à te non fieri cognoſcam, neque tamen me habeas pro Deo, monendus primo fuiſti, de hac compellatione Quandoquidem autem exiſtimas, te faciendo vitam æternam poſſe conſequi, fac & obſerva mandata, à Deo præſcripta. Quod ſi Logicè hæc verba Chriſti reſolvas, deprehendes duplex in iis latere argumentum ad hominem. Primum. Omnis verè, propriè & ſine reſtrictione dicendus bonus, eſt Deus: Atqui ego non ſum Deus (ſecundum te) Ergo non ſum ita bonus ſine reſtrictione, neque talem me appellare debes. Secundum. Cui per juſtitiam propriam acquirenda eſt vita æterna, is debet ſervare mandata: Atqui tibi per juſtitiam propriam acquirenda eſt vita æterna (quæ erat opinio communis inter Judæos ex Phariſæorum doctrina derivata) ergò debes ſervare mandata. In utroque hoc argumento Minor eſt falſa abſolute loquendo, ſed vera erat ex mente iſtius juvenis; eam igitur Chriſtus aſſumit tanquam veram, & exinde in primo coarguit iſtum juvenem lapſus in compellatione. In altero ſatis facit quæſtioni ab illo propoſitæ. Quamvis autem dici poſſit, ita indirecte Chriſtum oſtendere voluiſſe falſitatem iſtarum propoſitionum, fieri tamen potuerat, ut hoc iſte juvenis non ſatis aſſequeretur, ita ut, ſi ſecundum iſtorum hominum ſententiam lingua Chriſti fuiſſet dirigenda, ex profeſſo & directe debuerit hanc Minorem refutaſſe.

DCXXII. Alterum Exemplum eſt, 1 Cor. XV. 29. *Alioqui quid facient, qui baptizantur ſuper mortuis? ſi omninò mortui non ſuſcitantur, cur baptizantur ſuper mortuis?* Variæ ſunt hujus loci interpretationes, quas recenſere, & quid in unaquaque difficultatis vel probabilitatis lateat, enucleare, non eſt hujus loci. Videat, qui voluerit Muſculum, Calvinum, Martyrem, Paræum in hunc locum. Celebriores autem interpretationes ſunt duæ: quarum prior eſt, reſpexiſſe Apoſtolum ad morem pravum

tunc

tunc temporis uſitatum, quo factum, ut differrent multi Baptiſmum ad mortem uſque, & tum demum voluerint baptizari, cum illam præſentirent, ut ita abluti à peccatis cœlum ingrederentur, qui inde dicti ſunt Clinici: altera; rationem habuiſſe Apoſtolum alteriùs cujuſdam conſuetudinis in primâ Eccleſiâ receptæ, qua factum, ut ſi quis morte præventus ſine baptiſmo deceſſerat, alter in ejus locum fuerit ſubſtitutus, qui loco defuncti baptiſmum ſuſceperit.

DCXXIII. Utram autem ex his ſententiam eligas, erit Argumentum hoc Apoſtoli ad hominem è principio falſo deſumptum, quod ſi redigas in formam tale erit: Baptizari pro mortuis eumque baptiſmum approbare eſt tacitè confiteri mortuorum reſurrectionem: At ſunt inter vos qui baptizantur pro mortuis, voſque eum baptiſmum approbatis. Ergò eo ipſo confitemini mortuorum reſurrectionem. Factum itaque illicitum tam ſecundum priorem quàm poſteriorem ſententiam aſſumitur, ac ſi legitimum eſſet, ex eoque aliquid ſcopo Apoſtoli inſerviens infertur. Nec de hoc exemplo idem dici poteſt, quod de priori: neque enim directè neque indirectè Apoſtolus hanc opinionem voluit refutare, ſed eam omninò pro verâ aſſumſit.

DCXXIV. Excipit B. pag. 63. exiſtimans *argumentum ad hominem, qualia ſunt recenſita, & deductionem ad abſurdum unum idemque genus eſſe argumentandi*; in quo miſerè hallucinatur. Obſervet ergò ſequentes differentias inter ſyllogiſmum deducentem ad incommodum, & argumentum ad hominem. 1. In deductione ad incommodum concluſio deducta non directè adverſatur theſi adverſarii, unde vocatur hic ſyllogiſmus indirectus; in argumento ad hominem directè adverſatur; ut ex argumentis citatis patet. 2. In deductione ad incommodum concluſio eſt abſurda & falſa, ſed in argumento ad hominem eſt vera. 3. In Ded. ad abſurdum altera præmiſſarum eſt adverſarii Propoſitio, quæ per indirectum refutatur; non ita in argumento ad hominem ex. gr. deductio ad abſurdum eſt apud Paulum 1 Cor. xv. 14. Si reſurrectio mortuorum non eſt: Chriſtus quoque non eſt ſuſcitatus: Atqui reſurrectio mortuorum non eſt, ergò Chriſtus non eſt ſuſcitatus. Hæc concluſio eſt abſurda. Ergò vel major vel minor. Non major. Ergo minor, quæ eſt eorum, contra quos Paulus diſputat. Sed argumentum ad hominem eſt. Qui eſt abſque limitationo *Bonus*, ille eſt Deus; Atqui ego ſecundum te non ſum Deus, ergo non debes me, quem tanquam creaturam conſideras, Bonum appellare. Quæ Concluſio eſt vera. Sic, Baptizari pro mortuis, talemque baptiſmum approbare, eſt tacitè confiteri mortuorum reſurrectionem, At ſunt inter vos tales.

Digitized by Google

tales voſque eum baptiſmum approbatis. Ergo. Vides ergo in argumento ad hominem propoſitionem adverſarii aſſumtam non rejici nec refutari, ſimili modo quo formula aliqua vulgaris non rejicitur nec refutatur. 4. Deductio ad abſurdum habet locum etiam in ordine ad propriam mentem dirigendam, quæ ſibi poteſt aliquando abſurda & incommoda proponere, ut vitet eam ſententiam, ex quâ talia ſequantur. Argumentum vero ad hominem ſemper eſt ad alium. 5. Deductio ad abſurdum opponitur *Demonſtrationi oſtenſivæ* ab omnibus Logicis; argumento ad hominem opponunt omnes Logici argumentum ad rem. 6. In deductione ad incommodum abſurdum & falſum ſumo, qua tale eſt & videtur & mihi & alteri quîcum ago; in argumento ad hominem ſumo abſurdum ſæpe, (& in eo eſt convenientia) ſed non quâ tale mihi & alteri quîcum ago, ſed quatenus verum & minimè abſurdum videtur adverſario (& hæc eſt differentia) At tamen non ſemper ſumo abſurdum reverâ tale, ſed ſæpe id quod adverſario videtur, mihi nondum exploratum, adeo ut ego de eo judicium ſuſpendam, & tantùm id aſſumam in ordine ad adverſarium, quem ex ſuâ perceptione ad judicium verum conor deducere. Conſentit Danhawerus, qui argumentum ad hominem ita definit pag. 52. Ideæ boni Interpretis, *quòd ſit ex principio ab altero quocum diſputatur conceſſo, eſto id principium ſæpe falſum ſit, ſtat tamen pro principio, quia alter hoc nunquam eſt negaturus.* 7. Deductio ad abſurdum ordinariè ad demonſtrandum; argumentum ad hominem ad diſputandum adhibetur.

DCXXV. Exc. 2. B. p. 66. *Si Chriſtus ſecundum opinionem hujus juvenis locutus fuiſſet, tum vel dixiſſet: Ita ſum bonus, vel ſaltem denominationis ſilentio annuiſſet, dixiſſet etiam, ſaltem annuiſſet vitam æternam operibus acquirendam* &c.

Reſp. Atqui oſtendi Minores propoſitiones, *Ego Chriſtus non ſum Deus: Tibi per Juſtitiam propriam acquirenda eſt vita æterna: Vos approbatis baptiſmum pro mortuis*, aſſumi, non refutari eo in loco, ſed in medio relinqui, & ex iis elici quid, quod cum adverſariorum ſententiâ pugnat, quod hîc ſufficit.

DCXXVI. Exc. 3. B. p. 66. *At cùm de motu ſolis loquitur Scriptura, non argumentatur ab abſurdo ad homines erroris alicujus convincendos.*

Reſp. Nec ego hoc dixi, neque infero, ſed infero quod ejus auctoritati non repugnet uti formulis receptis, quæ opinioni erroneæ innituntur, ut patet ex adducto argumento.

DCXXVII. Quæ H. p. 281. objicit, ut nihil quicquam mihi obeſſe poſſunt, cùm neget quidem majorem propoſitionem, ſed nullâ allatâ ratione

tione diverſitatis inter hæc duo, ob quam ab uno ad alterum argumentari non liceat.

DCXXVIII. Tandem ad ea quæ prolixè M. p. 65, 66, 67 contra hoc meum argumentum opponit, hæc generalia annoto. 1. Me non dixiſſe argumenta ad hominem niti SOLA falſâ hypotheſi adverſarii. Nituntur enim duabus propoſitionibus, quarum una eſt falſa hypotheſis adverſarii, altera vera Propoſitio, uti ex deſcriptione argumenti ad hominem liquet.

DCXXIX. 2. Non nego, quòd argumentum ad hominem hoc modo proponi queat. Qui ſtatuit hoc, ille etiam neceſſariò ſtatuere debet iſtud. Atqui tu ſtatuis hoc. Ergò. Nam exempli gratiâ hoc argumentum; Qui ſtatuit Chriſtum non eſſe Deum, ille eum non debet vocare Bonum. Atqui tu ſtatuis. Ergò. æquivalebit huic, Solus Deus eſt Bonus vocandus ſine reſtrictione: Atqui Chriſtus non eſt Deus (ſcil. ſecundùm te) Ergò. Verùm *a*. in poſteriori conſtitutione argumenti magis manifeſta eſt vis Majoris Propoſitionis. *b*. Minor Propoſitio utrobique aſſumitur, atque in medio relinquitur, neque ibi refutatur, quod eſt quod hîc intendo. Idem enim dico fieri in aſſumtione formularum loquendi vulgarium phænomenis quidem reſpondentium, ſed non ſemper veritatem accuratam ſignificantium.

DCXXX. 3. Non ſemper qui argumentatur ad hominem id expreſſè profitetur, ſed id ſæpe eſt aliunde colligendum, & Chriſti argumentum fuiſſe argumentum ad hominem nobis quidem conſtat, qui novimus Chriſtum eſſe verum Deum, ſed non Judæis, non aliis qui hoc ignorant vel etiam negant. Similiter qui utitur formulis apparentiarum ſive φαινομένων non correſpondentibus accuratæ veritati, non ſemper id expreſsè profitetur, neque hoc omnibus conſtat, ſed tantùm iis, qui de accuratâ veritate ſunt inſtructi. 4. Immutatur Concluſio ab Adverſario in argumentis propoſitis, quæ non eſt: Ergo ego ſum Deus, ſed, ergo tu me non debes Bonum vocare ſine reſtrictione. 5. Eundem hîc errorem errat, cum B. confundendo deductionem ad abſurdum cum argumento ad hominem, de quorum diſtinctione vide ſupra.

DCXXXI. 6. Quod attinet locum 1 Cor. XV. 29. certum eſt, argumentum Apoſtoli, quicquid ſit de ſenſu loci, eſſe tale, quale ſuprà propoſitum eſt, atque ſic melius proponi & clarius quàm per ambages ab Adverſario uſurpatas. *Qui ſtatuit* &c. Hæc qui conferre volet cum iis, quæ habet M. p. 65, 66, 67. videbit inania eſſe quæ hîc oggerit, & vim mei argumenti hactenus manere inconcuſſam.

CAPUT XXIX.

Quintum Argumentum ex phraſibus de Deo adhibitis deſumtum proponitur & defenditur.

DCXXXII. Quintum Argumentum hoc modo formamus: Si ſcriptura loquens de Deo multas adhibet phraſes, quæ innituntur præjudiciis infantiæ & ſenſuum, atque veritatem relatam ad homines & præjudiciis involutam referentes citra læſionem Auctoritatis & Veritatis ſuæ, Ergò multo minùs ejus Auctoritati & Veritati repugnabit, ſi idem faciat circa res naturales. Sed verum eſt prius. Ergo & poſterius. Ad Minorem illam probandam inſervient nobis locutiones, quas Theologi vocare ſolent Anthropopathicas, in quibus explicandis præeuntem ſequemur Majmonidem More Nebochim dicentem; In his ſcripturam loqui *ſecundùm linguam filiorum hominum.* Author ille inſigni laude dignus, & reliquis Rabbinis longè præferendus eſt, unde Caſaub. in Exercit. ad Annales Baronii tali eum ornat elogio. *Moſes Maimonides (qui & Moſes Ægyptius dicitur) ſolidæ atque ingentis doctrinæ vir, de quo videor mihi poſſe id verè dicere, quod Plinius olim de Diodoro Siculo, primum illum inter ſuos deſiiſſe nugari.* Cunæus vero de Republ. Hebraicâ lib. I. c. 2. his verbis tantùm non ad Cœlum tollit. *Eſt in admiratione hominum ſcriptor maximus, Rabbi Moſes Ben Maimonis, qui Thalmudicam doctrinam ſepoſitis nugamentis feliciter complexus eſt divino illo opere quod* משנה תורה *appellat. Nunquam ita magnificè quidquam de illo authore dicemus, quin id virtus ſuperet ejus. Fato enim quodam & ſorte naſcendi primus ſoluſque in illâ gente rectè intellexit, quid illud ſit non ineptire.* In genere is docet parte I. cap. 33, *Legem loqui linguâ filiorum hominum*, quia hæc ratio commoda & facilis eſt, ut ab eâ incipiant pueri, mulieres & communis plebs, in quorum viribus non eſt, res ſecundùm veritatem apprehendere.

DCXXXIII. In ſpecie vero parte I. cap. 26. quia [a] vulgus hominum non apprehendunt ab initio cogitationis Entitatem vel Eſſentiam, niſi in rebus corporeis, (& quicquid non eſt corpus vel res in corpore exiſtens, imo quicquid non eſt craſſum corpus, ut fortiter ſenſum moveat, quia faciunt ſenſus ſuos judicem cognoſcendi, an res exiſtant an non, non creditur ab iis eſſe vel exiſtere) deſcribitur

Deus

Deus per attributa & nomina corporea, ut doceatur, ipſum eſſe Ens.

DCXXXIV. Et cùm [b] omnia corporea attributa imperfectionem quandam in ſe & ſuâ naturâ involvant, ſaltem diviſibilitatem & mutationem, eſt tamen quædam differentia inter ea; nam quædam imperfectionem ex conſenſu & opinione omnium atque etiam vulgi denotant; alia vero imperfectionem inferre cernuntur acutiùs demùm cernentibus, ſcriptura quidem ea Deo non tribuit, quæ conſentientibus omnibus imperfectionem important: at reliqua de Deo prædicare non veretur. Unde [c] motus & quies Deo tribuitur, quando dicitur, *Adſcendere*, *Deſcendere*, *ſtare*, *ſedere*, *Habitare*, *Ambulare*, quoniam non capit vulgus, quomodo aliquid vivere poſſit ſine motione, cùm tamen motus non ſit de eſſentiâ vitæ generaliter acceptæ, ſed accidens ab eâ ſeparabile. Itaque motus ad vitam Dei deſignandam à ſcripturâ ſæpiùs adhibetur. Sic ſenſus [d] Deo attribuuntur, *Viſus*, *Auditus*, *Odoratus*, quia non tantùm vulgus, ſed etiam multi viri docti ex præjudicio infantiæ nondum depoſito ſupponunt: *Nihil eſſe in Intellectu quod non prius fuerit in ſenſu*, quod quidem abſolutè eſt falſum, ut fuſiùs poſſet demonſtrari, ſi id ratio inſtituti noſtri ferret. Itaque ad notandam Dei cognitionem Intellectualem Senſus ipſi adſcribuntur. Eadem de cauſâ *loquela* Deo attribuitur ad ſignificandam Influentiam ipſius in res creatas, unde ſæpe locutus dicitur Prophetis, quando tantùm menti ipſorum ſingulari quodam modo ea, quæ dicere debuerunt indidit: quia vulgus non intelligit, quomodo aliquid ex unius hominis animo in alterum transferri poſſit, niſi per ſermonem.

DCXXXV. At quia ex communi hominum ſententiâ aliqua imperfectio eſt in *ægrotando*, *dormiendo*, eo quod manifeſtè imbecillitatem & defatigationem præſupponant, item in edendo & bibendo, quia à ſiti & fame ea oriri neceſſe eſt, ea Deo nullibi in ſcripturâ tribui legimus. Ita etiam reliqui duo ſenſus [e] *Guſtus & Tactus* Deo non tribuuntur, quia hos duos tantùm per contactum fieri vulgus ſupponit, tres alios ſine contactu, quamvis verè doceat Ariſtoteles 3 de Animâ cap. 13. *Nullum ſenſum abſque tactu haberi poſſe, corpus enim animalis omnis habere vim ſentiendi tangendo.* Deum vero non conjungi cum corporibus per contactum corporalem verè quidem exiſtimant, ſed ex pravo principio, quia videre Deum nequeunt: malè enim colligunt: Ego non video hoc vel illud, ergo non eſt. Similiter [f] *Humeri* Deo non attribuuntur, quia communiter adhibentur portandis oneribus, quibus ſummo-

Digitized by Google

perè homines defatigantur: multo minùs organa illa, quæ cibis & alimentis capiendis inſerviunt. Nam illa etiam in principio cogitationis manifeſta ſunt imperfectionis ſigna & indicia. Ex quibus apparet, tantoperè in his Anthropopathiis rationem haberi opinionis vulgi, ut id, in quo perfectionem conſtituunt, licet erroneè, Deo tribuatur; contrà verò, ubi imperfectionem deprehendunt, ab illo removeatur.

DCXXXVI. Adhæc [g] notandum, quòd ſcriptura Deum proponat tanquam *hominem mutabilem & flexibilem*, eo quod hoc in precibus tacitè quaſi ſolet ſupponi, cùm tamen reſpectu ſuæ providentiæ, ſecundùm quam omnia, quæ fieri debent ab æterno, diſpoſuit, ſit planè immutabilis. Cùm itaque ſcriptura tales locutiones innitentes præjudiciis Infantiæ de Deo non dubitet uſurpare; unde majus periculum videbatur imminere, hoc nempe, ut homines Deo corpus tribuant, quemadmodum & ex malâ interpretatione horum locorum ab Audianis & Anthropomorphitis factum, multò potiùs Deum hoc facturum fuiſſe circa res naturales, circa quas ſi erremus, error ille periculo caret, eſt exiſtimandum.

DCXXXVII. [a] Ad hoc argumentum B. poſt multa cavilla & convitia p. 54. præmiſſa (de quibus quia in præfatione conqueſti ſumus, neque volumus par pari referre, eaque ad rem non facere confiteatur, ea ſicco pede præterimus, & ad rem ipſam cum eo accedimus) Exc. 1. p. 55. *Deum eſſe Ens nihil aliud infert quàm Deum eſſe, ſive dari Deum qui exiſtat. Itaque cum Deo attribuuntur oculi, aures &c. nihil aliud notabitur, quàm dari Deum qui eſt, quo nihil ineptius dici poteſt. Et ad denotandum Dei Entitatem ſufficit dicere Deum eſſe: at cùm dicitur Deum habere aures &c. aliquid ſuperadditur in conceptu noſtro Entitati ſive Eſſentiæ divinæ &c.* vide totam p. 56.

Reſp. 1. Imò verò ineptum eſt ſtatuere, quod Ens de Deo uſurpatum nihil aliud ſignificet quàm exiſtere, cùm Ens tanquam concretum non tantùm exiſtentiam denotet, ſed eſſentiam & attributa realia ſecundùm Metaphyſicam. Itaque qui dicit Deum Ens, non tantùm dicit Deum exiſtere, ſed & habere Eſſentiam & attributa realia, quæ ex illâ Eſſentiâ conſequuntur. 2. Dixi in genere uſurpari attributa corporea de Deo ad oſtendendum ipſum eſſe Ens reale non evanidum, cui non repugnat, quod ea ſpeciatim conſiderata etiam aliquid aliud deſignent, præter ipſum exiſtere, cum libenter concedam, per *Oculos Dei* omniſcientiam ejus & providentiam, per *Dextram Dei* ejus omnipotentiam

& effi-

Digitized by Google

& efficaciam in operando deſignari. Ineptus ergo eſt adverſarius, quod diſtinguere neſciat ea, quæ diſtinctè fuerunt explicata. 3. Nulla autem hîc pugna inter me & Theologos ab adverſario citatos. Diſtinguendæ enim hîc ſunt quæſtiones diverſæ, quarum aliæ ſpectant τὸ ὅτι, aliæ τὸ διότι. Τὸ ὅτι ſpectant, ſi quæras. 1. Quid attributa corporea de Deo prædicata in ipſo denotent in genere conſiderata? 2. Quid deſignent attributa corporea hæc vel illa in ſpecie Deo aſſignata, ut aures, dextera &c? Ad priorem reſpondeo, deſignari per ea, quod Deus ſit Ens reale & verum, habeatque realem Eſſentiam, Exiſtentiam aliaque attributa vera. Ad ſecundam dico cum Theologis citatis adhiberi ea ad proprietatem efficientiamque Dei deſignanda. Sed cum reſponſum eſt ad iſtas duas τοῦ ὅτι quæſtiones, reſtant adhuc quæſtiones de τῷ διότι, nimirum. 1. Quare ſcriptura Deo aſſignet attributa corporea? 2. Quare hæc vel illa attributa corporea? ad priorem reſpondeo, id fieri, quia ii, qui ſenſuum ductum tantum ſequuntur, non apprehendunt ab initio cogitationis Entitatem vel Eſſentiam, niſi in rebus corporeis &c. Ad poſteriorem in ſequentibus reſponſio habetur. Atque ita ſatisfactum eſt primæ, ſecundæ, tertiæ & quintæ adverſarii, quam vocat, reſponſioni.

DCXXXVIII. Exc. 2. B. p. 56. quæ eſt quarta ejus reſponſio. *Si per corporea attributa notetur Dei Entitas, ergò cum alibi corporeitas & affectiones corporales quæ fortiter ſenſus movere ſolent, de Deo negantur, etiam negaretur Dei Entitas, ut cùm Deus dicitur Spiritus, Inviſibilis, ſaltem abduceretur vulgus à ratione concipiendi Entitatem Dei.*

Reſp. Superiùs dixi, Attributa corporea in genere conſiderata de Deo prædicari, ut per ea deſignetur, quod Deus ſit verum Ens reale, & veram habeat realemque Eſſentiam, Exiſtentiam aliaque Attributa. Itaque argumentum hîc objectum ſimile eſt huic: Si attributa corporea, nempe, quod Deus habeat dextram, aures, oculos &c. adhibentur à ſcripturâ ad proprietatem efficientiamque Dei denotandam, uti Theologi citati ab adverſario loquuntur, Ergo quando illa de Deo negantur, ut ſæpe fit, negaretur Dei proprietas & efficientia. Itaque nego iſtam connexionem, atque dico; corporea attributa adhiberi aliquando, ut per ea deſignetur craſſiori modo realis Dei eſſentia, aliquando vero ſpiritualia Deo attribui, ut ſine tropo propriè & accuratè realis illa Dei eſſentia ſignificetur.

DCXXXIX. Exc. 3. B. p. 56. *Quis credet tam inepto modo Entitatem ſuam deſignare voluiſſe, cùm dentur phraſeologiæ multò commodiores.*

Digitized by Google

diores ad denotandum, quod ſit Ens Entium, æternum, per ſe ſubſiſtens, & cauſa omnium rerum, ut vox יהוה.

Reſp. Similiter dicam: Quis credet Deum tam inepto modo ſuas proprietates deſignare voluiſſe, quali Theologi ab ipſo citati exiſtimant, cum dentur phraſeologiæ multo commodiores, nempe vox אל שדי &c. itaque quod ſuperius eſt reſponſum, huic etiam applicari velim, Deum & craſſo modo & accuratè voluiſſe hæc ſignificare, ut quocunque modo intelligerentur.

[b] DCXL. Exc. 4. B. p. 57. *Quaſi verò Vulgus, quod tam ſtupidum faciam, ut Entitatem rei concipere non poßit, niſi ſub rebus corporeis, nec de illâ doceri, niſi ſub harum nominibus &c. tam ſubtiliter diſtinguere queat inter ſenſuum vel majorem vel minorem imperfectionem, ob quam attributa quædam de Deo prædicari vel non prædicari poßint.*

Reſp. 1. Non dixi vulgus eſſe tam ſtupidum, ut Entitatem rei concipere non poſſit niſi ſub rebus corporeis, (quamvis etiam non negaverim, multos eſſe tàm ſtupidos, ut nullam ſubſtantiam intelligant niſi imaginabilem & corpoream vel etiam ſenſibilem) ſed dixi cum Maimonide, ab initio cogitationis non apprehendere ea, hoc eſt, quamdiu nititur præjudiciis infantiæ. 2. Non opus eſt, ut vulgus diſtinguat inter majorem ſenſuum perfectionem vel imperfectionem in actu ſignato, ſufficit, quod diſtinguat in actu exercito, & in edendo, bibendo &c. ex ſenſuum judiciis aliqua imperfectio agnoſcatur, uti patet ex art. DCXXXIV. à me dictis.

[c] DCXLI. Exc. 4. B. p. 58. *Si per motum denotetur Dei vita, quid per quietem deſignabitur niſi carentia vitæ? &c.* quæ videat Lector, ſi operæ pretium ſit.

Reſp. 1. Neg. propoſ. Maj. Nam motus quidem immediatè in Deo ſignificat actionem ad extra, ſed mediatè vitam, quæ ex actione tali colligitur; quies vero ceſſationem ab hâc actione tantum in Deo deſignat, non vero mortem, quia rectè quidem concludes, ubi eſt hæc actio, ibi eſt vita; ſed non ſimiliter, ubi non eſt hæc actio, ibi eſt ceſſatio à vitâ. 2. Non nego, quod vita Dei etiam propriis vocibus deſignetur, quando dicitur Deus vivens &c. ſed dico aliquando accuratius eam ſignificari, aliquando craſſius & popularius, uti & ſuprà de Dei Entitate ſive realitate vidimus.

[d] DCXLII. Exc. 5. B. p. 29. *Præjudicium illud, de quo ſomniem eſſe vanißimum meum commentum &c.* videat, cui placet, totam paginam.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Hoc axioma, *Nihil eſt in intellectu, quod non priùs fuerit in ſenſu*, eſſe præjudicium infantiæ, patet, quoniam procedit ex eo axiomate, ubi nihil video, ſentio, nihil eſt, quod præjudicium infantiæ eſſe ſuo loco oſtendimus. 2. Hoc axioma abſolutè falſum eſſe, patet exindè, quia intellectus habet Dei cognitionem inſitam, aliarumque rerum ideas innatas, quæ ad intelligendum planè ſunt neceſſariæ: niſi enim talis eſſet natura mentis, ut quarumlibet rerum ideas ex ſemetipſâ poſſet formare, nihil quicquam intelligere poſſet. Senſus autem nihil aliud conferunt quàm ut, veſtigium in cerebro imprimendo, animæ dent occaſionem hanc vel illam cogitationem ſive conceptum formalem ſive ideam tunc ex ſemetipſâ depromendi. Nego autem, quod naturâ cæcus non poſſit concipere, quod ſit lux, color, &c. Senſualiter cognoſcere non poſſe concedo, ſed intellectualiter ejus eſſentiam apprehendere omnino poteſt. Unde videre eſt, quàm vana ſint omnia, quæ adducit hîc adverſarius.

[e] DCXLIII. Exc. 6. B. p. 60. *Quis unquam audivit, quòd vulgus judicet illum ſenſum eſſe imperfectum, qui fit per contactum, vel quòd neſciat auditum fieri per contactum ſoni ad aures, odoratum per contactum vaporum odoriferorum &c.*

Reſp. Quis vero unquam audivit, non eſſe imperfectionem, contactu objecti opus habere ad ejus perceptionem? & quis negaverit, vulgum ſupponere, contactu eo opus tantum eſſe in Guſtu & Tactu, non in reliquis ſenſibus, cum & Philoſophi Scholaſtici id doceant, cumque noverit vulgus, audiri poſſe ſonum è loco remotiori editum, non exiſtimat, eum pervenire ad aures per contactum, atque rem odoriferam poſſe odore percipi, etſi in aliquâ diſtantiâ à naribus ſit remota; de vaporum odoriferorum exhalatione vulgus reverâ non cogitat. Non ergo vanæ ſunt ſubtilitates, quas putat antagoniſta, etiamſi oculorum ejus aciem forte valdè obtuſam effugiant.

[f] DCXLIV. Exc. 7. B. p. 61. *Humeros Chriſto adſcribi Eſ. IX. 5. Et erit principatus ſuper humerum ipſius. Et Deus comparatus Bajulo dicitur omnia ferre verbo potentia ſua.*

Reſp. Humeri Deo non adſcribuntur Eſ. IX. 5. quia Chriſtus ibi non præciſè conſideratur quà Deus, ſed quà θεάνθρωπος, itaque Humeri ei aſſignantur reſpectu habito ad ejus humanitatem. Quod autem Deus Heb. I. 3. dicitur omnia portare, id nihil ad rem. Eſt enim quæſtio: *An Humeri Deo adſcribantur*? non vero an dicatur portare, cum hoc non ita omnium conſenſu imperfectionem deſignet.

DCXLV.

Digitized by Google

[g] DCXLV. Exc. 8. B. p. 61. *Deum in precibus mutabilem & flexibilem conſiderari ob mutabilitatem actionum divinarum.*

Reſp. Quando Scriptura Deum ut mutabilem & flexibilem proponit, hoc quidem reſpectu mutabilitatis actionum divinarum eſſe explicandum cenſeo, ſed inde non conſequitur, quod iſtam locutionem de Deo non adhibeat ſeſe accommodando noſtro Judicio erroneo.

DCXLVI. De conſequentia argumenti quoniam non vult litigare, B. p. 62. & nos firmam Minorem probaverimus, noſtrum argumentum inconcuſſum manet.

DCXLVII. Exc. 9. H. p. 161, 162. *Se ab explicatione Maimonidæ non planè abhorrrere* inquit, ſed negat, *quòd Deus velit condeſcendere ad apprehenſionem eam vulgi, quâ ex ſe & per ſe vulgus Deum cum membris humanis concipit. Eſ. XL, 18, quia vulgus Deum per alicujus hominis individuum temerè & interdum parùm decorè concipit.*

Reſp. Quod Deus velit condeſcendere ad apprehenſionem vulgi, quâ Deum cum membris humanis concipit, apparet ex phraſibus illis à Deo adhibitis ab initio hujus capitis adductis, quibus quid velit docere, eſt indicatum. Sed condeſcendit Deus quoad modum loquendi vulgo erranti, non quoad ipſam illam opinionem erroneam, quam phraſibus iſtis non docet, quo facit locus Eſ. XL. 18.

DCXLVIII. Exc. 10. H. p. 163. *Deo corporea membra hac vel illa adſcribi, quia in generis humani formâ per ſingularem ſuam diſpenſationem hominibus apparuit. Et quia viſus ita eſt à Patribus, filii etiam Deum ad eundem modum concipiunt &c.*

Reſp. In apparitionibus Dei figuræ illæ ſenis, columbæ, fuerunt ſymbola præſentiæ Dei, non Dei imagines; unde nego Deum conceſſiſſe hunc modum ſe ita concipiendi, ut non reputetur nobis in peccatum, neque enim adhibitæ fuerunt iſtæ apparitiones anthropopathicæ, ut nos imaginem Dei conciperemus per eas, ſed tantum, ut deſignarent ſingularem Dei præſentiam aliquodque Dei attributum. Quod enim nolit corporeus concipi, apparet ex illis locis Scripturæ, ubi ſe inviſibilem & ſpiritum appellat, & poſſumus ideam ſive conceptum Dei formare, ita ut conceptum Dei non ingrediatur ullus corporeæ rei conceptus, ſi cogitemus de Ente perfectiſſimo, omnipotente, miſericorde, juſto &c. Atque hìc plus mihi concedit adverſarius quàm petebam. Ego tantum volo phraſes vulgares de Deo adhiberi, quamvis ex opinione erroneâ habeant ortum, ille etiam vult, Deum à nobis debere ſecundum opinionem erroneam concipi, quod eſt falſum, neque à me intentum.

DCXLIX.

Digitized by Google

DCXLIX. Exc. 11. M. p. 56, 57. videtur excipere, quæ planè non tangunt ſcopum. Summa huc redit. *Spiritum ſanctum tali phraſi anthropopathicâ ſignificare intendere rem ipſam ſecundùm abſolutam perfectionem conſideratam, v. gr. per viſum ſcientiam Dei: phraſin verò conſignificare aliquam imperfectionem.* Id enim mihi non repugnat, ſed eſt ipſa mea ſententia, cum nullibi doceam, quod Scriptura per illas phraſes imperfectionem aliquam in Deo ſignificet, id enim mihi affingitur ab adverſariis; ſed quæſtio eſt, quare tali modo iſta perfectio exprimatur, annon propterea, quod voluerit non rejicere phraſin præjudiciis infantiæ & ſenſuum innitentem, eo quòd illa eſſet recepta, cum aliàs etiam abſque tali phraſi iſtam perfectionem potuerit exprimere.

DCL. Exc. 12. M. p. 58. poſt multa. *Abſolutè loquendo dantur formulæ perfectionem divinam diſtinctiùs exprimentes quàm Anthropopathicæ: relinquunt tamen omnes divinam perfectionem in infinitum poſt ſe. Verùm hîc eæ formulæ dicendæ ſunt perfectiores, quæ fini magis inſerviunt, nempe ædificationi Eccleſiæ, quales ſunt Anthropopathicæ, quæ plurium, nempe vulgi, ædificationem promovent.*

Reſp. Totus hic diſcurſus nihil quicquam mihi adverſatur. Sufficit mihi, illas formulas anthropopathicas inniti præjudiciis inſantiæ & ſenſuum, quod quamdiu non refutatur nihil efficitur.

DCLI. Exc. 13. M. p. 59. *Iſtæ locutiones nec falſè, nec rem falſam ſed inadæquatis verbis rem veram exprimunt, adeóque nec falſæ ſed imperfectæ potiùs locutiones ſunt appellandæ.*

Reſp. Nec ego ullibi dico, vel illas locutiones falſè, vel rem falſam exprimere, ſed eſſe præjudiciis ſenſuum & infantiæ innixas, quibus tamen Scriptura utens eo ipſo hæc nolit docere, nec tamen etiam refutare.

DCLII. Sequuntur ea, quæ S. p. 407. huic argumento oggerit. 1. inquit, *Quanta non intercedit diſtantia inter Deum creatorem & res naturales ab eo creatas. Quoniam Deus ut Infinitus excedit ſphæram intellectus noſtri, Spiritus ſanctus nobiſcum quaſi balbutire cogitur, eumque, cujus faciem intueri non poſſumus, quaſi à tergo nobis proponit, juxta ea ipſa quæ Moſi acciderunt. Exod. XXXIII. Sed alia planè ratio eſt rerum naturalium, quamvis enim eas pleniſſimè & ſufficientiſſimè cognoſcendo non queamus perſpicere (at ſubſequenti capite diſtinctiùs fuſiuſque oſtendemus) interim tamen eas ipſas, quod ad cognitionem proportionatas eſſe, oſtendunt illi ipſi, cum quibus hîc nobis negotium eſt: Spiritum ſanctum enim in ſcripturâ loquentem eum in finem nituntur circumſcribere, ut ſubmoto illius teſtimonio, tanquam ſibi adverſante*

Digitized by Google

facilius ſuam theſin tutari, aliiſque perſuadere queant. 2. *Hæc, ut Deo tribuuntur metaphoricè, & pro metaphoræ ratione explicari debent, ſic non eſt exiſtimandum (quemadmodum Audiani & Anthropomorphitæ ſomniabant) aliquid horum Deo convenire propriè & formaliter, ſed duntaxat ſecundum effectum. Et uti tropus non implicat mendacium, ita hæc ipſa convenienter explicata nihil falſi continent: ſiquidem hæ locutiones frequentantur, ut operationes Dei verè deſcribantur, nobiſque convenienter proponantur, quod præ caligantibus mentis oculis ſupremum illud numen tale, quale illud in ſe eſt, intueri non queamus.* 3. *Quæ verò conſequentia ab his locutionibus ad eas, quæ in ſcripturâ de rebus naturalibus frequentantur? Dato, in hiſce locutionibus ſimilem notandum eſſe ſcopum, hoc ſolum ſequetur, allegoricè duntaxat & obſcurius naturam rerum naturalium in ſcripturâ proponi, neutiquam verò res naturales cognoſcendas proponi ſecundùm erroneum judicium: niſi quis pariter dicere voluerit, Deo membra & affectus & ſimilia tribui ſecundùm erroneum vulgi judicium. Pariter quippe dixeris ex vulgi judicio Deum in ſcripturâ ut avem proponi, quòd tribuantur eidem alæ atque pennæ Pſal. XVII. 8. Pſal. XCI. 4. Aug. Ep. 3. ad Paulinum. Quæ de membris aſſiduè ſcriptura commemorat, ne quiſquam ſecundùm carnis hujus formam & figuram non eſſe crederet ſimiles Deo: propterea eadem & alas Deum habere dixit, quas utique nos non habemus. His Clariſſimo* viro viſum fuit infringere vim hujus argumenti.

DCLIII. Ad quæ nos ſequentia reponimus, quibus exiſtimamus argumentum noſtrum ſatis roborari. 1. Fatemur, diſtantiam magnam eſſe inter Deum & res naturales, quippe infinitum: Concedimus etiam, hanc unam eſſe cauſam, ob quam Deus nobiſcum balbutire velit, quia Deus ut Infinitus excedit ſphæram intellectus noſtri: ſed quia etiam ad Scripturæ ſcopum ſpectabat, Dei naturam nobis explicare in tantum, quantum hoc ſalutis neceſſitas, requirebat, non itidem rerum naturalium, potior etiam erat ratio, cur Scriptura de Deo loqueretur ſecundum rei veritatem, quouſque ſeſe extenderet infirmus noſter intellectus. Itaque niſi alia accederet ratio, quam nos dedimus, *quod ſcriptura debeat promiſcuè legi ab omnibus, quorum major pars variis præjudiciis eſt occupata,* potuiſſet Scriptura omiſiſſe locutiones tales anthropopathicas, quas inniti oſtendimus vulgi præjudiciis, & Dei deſcribere naturam, quod ſit ſpiritualis, æterna, perfectiſſima, immenſa &c. quemadmodum aliis in locis facit, ex quibus Theologi hæc attributa deducunt & probant: hæc enim ut apprehendat & cognoſcat, in quantum opus eſt, infirmus noſter intellectus nihil repugnat.

DCLIV. 2. Illi, cum quibus negotium ſibi dicit eſſe vir Clariſſimus, nihil

nihil aliud moliuntur, quàm ut oſtendentes, dogma de Terræ delatione non eſſe contrarium Scripturæ, abſurditates amoveant, quibus ſolet gravari, & ſic lectori aditum faciant ad perpendendas rationes, quibus firmiſſimis nititur.

DCLV. 3. Verum eſt, hæc Scripturæ dicta θεοπρεπῶς eſſe intelligenda, & Metaphoricè explicanda per ſimilitudinem effectuum; quin tamen ſuperſtruantur fundamento erronearum vulgi opinionum exinde non evincitur, cum fusè à nobis oſtenſa ſint talium locutionum fundamenta. Non ergò debent dici mendacia, at & concedendum erroribus inniti; nec tamen ideo Spiritus ſanctus errores confirmat, nec ſuos facit, ſed tantum non refutat & ad illos ſeſe accommodat, cum non ſint damnoſi. Quamvis autem peccarint Audiani & Anthropomorphitæ, Deum ut corporeum concipiendo, & minus rectè fiat, ſi Deus ita concipiatur, quotuſquiſque tamen eſt, qui non neſcio quid extenſi in conceptu Dei implicet? De vulgo hoc eſt certum, quamvis in actu ſignato neget, & ſciat non debere fieri, in actu tamen exercito fieri ſæpiſſimè experientia docet. De multis etiam eruditis idem dixero, paucis, qui diuturno exercitio mentem ſuam aſſuefecerunt ad accuratos conceptus formandos, & benè diſtinguendum naturam ſubſtantiæ corporeæ à naturâ ſubſtantiæ intelligentis, exceptis; quam tamen imbecillitatem Deum hominibus condonaturum confidimus. Et hæc ad ſecundam reſponſionem ſufficiunt.

DCLVI. 4. Quænam ſit conſequentia in noſtra ratiocinatione attentus lector deprehendere potuit ex initio hujus capitis. Nec ſequitur, Deum ut avem concipi à vulgo, eo quod ipſi tribuantur alæ; ſed vulgus celeritatem actionum concipere ſolet per celeritatem motus, hanc autem alarum miniſterio optimè fieri ſolere exiſtimat, ut multæ vulgares locutiones teſtantur, ex. gr. quando dicimus in linguâ Germanicâ, *Er läufft ſo geſchwindt als wann er floge*: item *überhin fliegen*. ſic Galli à la volée, Latini avolare, advolare, & apud Poëtas multa reperies exempla, in quibus per alas & volatum deſignatur celeritas. Sic Ovid. in Metam. de Atalantâ Virgine: *paſſu volat alite virgo*. Inde factum eſt, ut Mercurio nuncio Deorum alas attribuerint. Confirmatur noſtra ſententia à Celeberrimo Voſſio lib. 1. de Orig. Idolol. p. m. 2. *Ad Angelicam hanc potentiam, quæ intellectus ac voluntatis eſt inſtrumentum, incredibilis etiam velocitas refertur. Atque ob hanc attributæ iis alæ. Ita Cherubim in Exodo cum alis facta. Jeſaias ait, Seraphim ad ſe volaſſe. Daniel etiam & Ezechiel advolantes conſpexere. Hoc Chryſoſtomus homil.* περὶ τοῦ ἀκαταλήπτου

 fieri

ſieri ait per συγκατάβασιν q. d. condeſcenſionem, quia deſcribuntur, non quales ſunt natura; ſed prout faciliùs à ſimplicibus CONCIPIUNTUR *& intelliguntur.* Et paulo poſt. *Nempe, quomodo & ventis ad eorum velocitatem denotandam, pennæ tribuuntur. Unde & Deus dicitur Pſalm. XVII. & CIII. volare & ambulare ſuper pennas ventorum, ac Poëtis ſimiliter alati finguntur: ut liquet ex Ovidio, Silio, Juvenale. Etiam Boreæ filii Calais & Zethus, πτερωτοὶ Apollodoro. Imò non aliâ de cauſâ quàm in celeritatis Symbolum, quâ ventos referrent, Ælius Verus Cæſar curſoribus ſuis, tùm Noti, Boreæ, aliorumque ventorum nomina imponebat; tum alas etiam apponebat, ut author Spartianus. Quamobrem non dubito, quin, quòd Angeli referuntur alati, id maximè pertineat ad velocitatem indicandam.* Concinit Perkinſius tom. 2. p. 53 Tractatu III de Officiis & dignitatibus Miniſterii, ubi ad vocem *advolavit* ex Eſ. 6, 6 ſic annotat: *Phraſis ad noſtrum concipiendi modum accommodata eſt, ut ſignificet, quàm promtè & celeriter Angelus exierit ad conſolationem Prophetæ miniſtrandam. Sicut enim nihil ſenſibus noſtris celerius moveri videtur, quàm creatura volans: & ſicut nos dicimus, illum ad opus ſuum advolare, qui illud citò & diligenter exſequitur: ſic hîc Spiritus ſanctus agilitatem & alacritatem Angeli proponit ad conſolationem huic ſancto Prophetæ afferendam.* Itaque & Deo alæ tribuuntur, & volatus ad velocitatem actionum ipſius denotandam, quam vulgus concipere ſolet per volatum, latetque etiam in citatis his Scripturæ locis locutio, quæ fundamentum habet in vulgi præjudicio.

DCLVII. Inſt. ad Reſp. 1. præced. art. M. pag. 61. *Ex eo quod perfectioribus loquendi formulis eſſentiam & attributa ſua ſubinde Deus deſcribit, ſatis conſtat, utut ſæpiſſime cum vulgo balbutiat, non tamen cum eo errare, adeo ut ejus omniſcientia, veritas, fides, in diſcrimen venire non poſſint &c.* Atque hæc eſt generalis acceptio à multis adhibita, ut & ab H. pag. 255. cujus ſumma eò redit, Scripturam ſi alicubi loquendi modos uſurpet veritatem præjudiciis involutam referentes alibi ſemet explicare.

Reſp. 1. Falſum eſſe quod dicitur, *Scripturam utentem locutionibus vulgaribus, ſemper ſe explicare, vel hoc in loco vel in aliis.* Nam ubi quæſo docet accurate loquendo, Lunam non eſſe luminare majus, ſed minus ſtellis? ubi explicat non competere fines Cœlo & Terræ? Aërem non eſſe inane? ut vocatur Job. XXVI, 7. Ubinam docet, cor non eſſe ſedem intellectus, & voluntatis, quod præjudicium multis locutionibus de corde ſupponitur? 2. Qua quæſo occaſione ſeſe explicaret? anne adhibendo alibi locutiones accuratas? at ſupra oſtendimus, nolle immutare ſermonem

Digitized by Google

monem hominum vulgarem, qui etiam ab ipſis Philoſophis & Aſtronomis, quamvis cauſam errorum cognoſcentibus, non eſt immutatus: an diſſerendo ex profeſſo & philoſophicè, ut faciunt philoſophi, retinendo quidem formulas vulgares, ſed cauſas errorum detegendo, & veras in medium proferendo? at ſic munus Philoſophi arriperet, quod nec facere vult, nec commode, propter ſcopum alienum à philoſophia, facere poſſet, rem alienam à ſuo munere exiſtimans. 3. Sed ſi abſolute illicitum eſſet loqui cum vulgo, ſive uti ſermone vulgari etiam præjudiciis innitente, illud per ſubſequentem explicationem licitum fieri non poſſet, quemadmodum Mendacium, quod ex hâc ſententiâ fluere putat adverſarius, per ſubſequentem explicationem licitum non redditur. 4. Locutionum de Moralibus, in quibus concedunt adverſarii, ſcripturam loqui ſecundum id quod homo præſumit, ut & locutionum de Attributis divinis alia plane eſt ratio: de his agere ex profeſſo, (eo ſenſu, quo de naturalibus in ſcriptura tractari nego) ſcripturæ eſt propoſitum, ſuntque fori ſcripturæ, de naturalibus non item: illorum cognitio ſæpe aliunde quam ex ſcriptura haberi non poteſt, naturalium poteſt: errores circa illa ſæpe ſunt noxii in Theologia, circa hæc innoxii.

DCLVIII. Hanc exceptionem magis urgere videtur B. p. 30. dum ſic inquit. *Qui phraſi, qua opinio erronea exprimitur, & quæ conceptus hominum per ſe ad opinionem erroneam ducit, continuo utitur, nec unquam, quomodo eam intelligat, vel intelligi velit, exponit, revera illam locutionem approbat, licet illam recte intelligat, ut ſi quis inter Turcas degens Mahometem ſemper vocaret Prophetam Dei, nec unquam indicaret, quo ſenſu id diceret, ille phraſin & doctrinam per eam expreſſam revera ſuam faceret. Qui phraſi vulgari utitur, eam ſenſu vulgari uſurpare præſumitur, niſi mentem ſuam aperiat, quod ni faciat, hypocritam agit, illudit, decipit & omnibus ſeſe in eadem cum vulgo eſſe ſententia fidem ingenerat.*

Reſp. Munus iſtarum phraſium, ſive formularum (quibus Scripturam uti defendo) duplex eſt, & diſtinctum: vel enim ſignificant tantum aliquam generalem veritatem, vel etiam conſignificant aliquid ſpeciale, ſive illud verum ſive erroneum fuerit, quod ex reipſâ eſt judicandum. Ita quando dicit, Jon. III, 4. quod *inceperit progredi Jonas in urbe itinere unius diei*, ſignificatur hæc generalis veritas, quod intra urbem circumiens variis in locis urbis fuerit concionatus, non quòd longitudo urbis tanta fuerit, ut ad eam tranſeundam itinere unius diei fuerit opus, quod propterea ex verbis Jonæ non poteſt elici. Sic hujus phraſeos, *Sol ambulat ab extremitate ad extremitatem*, duplex eſt munus, ſed diſtinctum & di-

 verſum

verſum atque ſeparatum; in genere ſignificat noctis & diei viciſſitudinem, ſed dein conſignificat cauſam hujus viciſſitudinis motum Solis realem; verum non ubique & apud omnes iſta phraſi utentes utrumque hoc munus obtinet. A doctis & rem intelligentibus ſi adhibeatur, ſignificat tantum generalem aliquam veritatem. Ita dum à ſapientibus & rationem motus corporum cæleſtium intelligentibus, dicitur, *Solem oriri ab unâ extremitate cælorum & occidere in altera*, nihil aliud ab iis ſignificatur, quam viciſſitudo diei ac noctis, die initium faciente ab aurorâ, nocte verò initium faciente à veſperâ. Atque ad eundem modum Scriptura his phraſibus uſa, nihil quoque aliud, quàm viciſſitudinem diei ac noctis per eas ſignificat. Indocti & rerum ignari eâ utentes, etiam conſignificant errorem phraſi dictâ, nempe cauſam falſam hujus effectus, motum Solis realem. Quòd ſi velis cognoſcere, quid quis ſignificet per tales phraſes, ſemper quidem certum eſt, & manifeſtum, quod quivis generalem illam veritatem ſignificet, ſed an præterea errorem conſignificet ex perſona utentis & circumſtantiis ſermonis eſt cognoſcendum. Quòd ſi ergò ex circumſtantiis ſermonis non appareat, phraſi dicta conſignificari Solis motum realem, & conſtet aliunde, hanc ſententiam eſſe præjudicium, cenſendum eſt, illud à Spiritu ſancto non conſignificari, ſed iſtam phraſin præjudicio inniti. Alia plane eſt ratio iſtius phraſeos, ſi quis Mahometem vocaret Prophetam Dei; quoniam 1. illa phraſis tantum hoc nec aliud præterea inter Turcas ſignificat, nempe Mahometem à Deo miſſum eſſe, & inſpirationem ſeu revelationem habere divinam; non ergo poſſet quis ſine hypocriſi iſta phraſi uti, ſi non illud præciſe ſignificaret, vel non ſatis indicet, aut explicet, quòd ironicè tantum, & ex ſenſu Turcarum iſtam phraſin uſurparet. Itaque 2. ſi quis Mahumetem vocat Prophetam, neque tamen ſemet explicet, alterutrum ex his erit dicendum, vel ex animi ſententia ſignificare, eum eſſe miſſum à Deo &c. vel agere hypocritam, cum tertium non detur. At ſi quis dicat, *Solem ambulare ab extremitate ad extremitatem* non neceſſario erit dicendum, eum, vel ex animi ſententia Soli motum realem tribuere, vel hypocritam agere, quoniam tertium datur, nempe ſignificare tantum generalem aliquam veritatem, quæ eſt viciſſitudinem dierum vel noctium à variatione ſitus Solis ortum habere, non verò etiam conſignificare errorem.

DCLIX. Inſt. 1. ad reſp. quartam (nam ad reliqua jam ſæpe reſponſum eſt, & porrò reſpondebitur.) M. p. 64. *Ex noſtra ſententia ſequi maxime, Deum ut avem concipi à vulgo, quod pateat hunc ſyllogiſmum conſideranti.*

deranti. Quodcunque repræſentatur locutionibus anthropopathicis id ſecundum vos eſt vel debet eſſe præjudicium vulgi: At repræſentatur Pſ. XVII, 8. Pſ. XCI, 4. Deus alatus. Ergò Deum alatum ſive avem eſſe, eſt præjudicium vulgi. 2. In locis citatis, alas non ſignificare actionis celeritatem, vel leviſſime textus inſpicienti apparere potuiſſet.

Reſp. Diximus ſuprà: locutiones anthropopathicas inniti alicui præjudicio infantiæ & ſenſuum, atque oſtendimus, etiam hanc locutionem, qua Deo alæ tribuuntur, diciturque volare ſupra alas ventorum, celeritatem ejus actionum deſignare, idque ſufficienter probavimus; ſed ſyllogiſmi ab adverſario adducti Major non eſt noſtra. 2. Neque diximus, ſemper per alas deſignari celeritatem actionum, verum tum demum, cum alæ tribuuntur cum reſpectu ad volandum: At Pſal. 17, & 91. alæ tribuuntur Deo ad deſignandam metaphorice profectionem & defenſionem ab ipſo exhibitam.

DCLX. Inſt. 2. H. p. 171. Pſ. 139, 17. *dicitur, ſi ſumpſero pennas diluculi &c. illic tenebit me dextra tua, quæro an ibi homo ut avis à vulgo concipiatur.*

Reſp. Dicit David, etiamſi haberet pennas & volaret, hoc eſt, etiamſi celerrime ſe moveret, ſe tamen non poſſe manum Dei effugere; quid verò abſurdi, ſi dicamus: illam locutionem etiam, prout de Davide uſurpatur, habere ortum ex præjudicio, quo celeritas motus ſolet concipi per miniſterium alarum?

CAPUT XXX.

Sextum Argumentum ab uſu verſionis LXX Interpretum in N. T. proponitur ac defenditur.

DCLXI. Sextum Argumentum nobis inde ſuppeditatur, quod Apoſtoli in V. T. uſi fuerint verſione Græca V. T. quæ vulgo dicitur LXX Interpretum, non adeo pura, ſed multis in locis erronea; non tantum iis in locis, ubi correſpondet fonti Hebræo, ſed etiam ubi ab eo diſceſſit, atque ita in errore eſt, quod illa tum temporis inter Judæos fuerit recepta. Docet hoc Rivetus, Iſagoges ad ſcripturam ſacram p. 137. quæ verba, quia multum faciunt ad controverſiæ noſtræ elucidationem, adſcribere non pigebit. *Negari non debet*, inquit, *verſionem illam tunc apud Græcos communem Apoſtolos & Evangeliſtas Græce ſcribentes ſæpe uſur-*

uſurpaſſe, aliquando etiam citaſſe, *Ubi Diſcrepantia quædam à Textu Hebræo manifeſtiſſima eſt*, *quia Apoſtoli & Apoſtolici viri, in ponendis teſtimoniis de V. T. non ſemper verba conſiderarunt, ſed ſenſum, nec eadem ſermonum calcarunt veſtigia, dummodo à ſententiis non recederent, ut loquitur Hieron. Comment. in Amos. Hanc ergò interpretationem ſecuti ſunt, in iis ſolum rebus, quæ nihil per ſe de veritate fidei derogabant, præſertim cum diſceßionem à recepta inter Helleniſtas editione periculoſam & ſine fructu Eccleſiæ futuram animadverterent. Exemplo poteſt eſſe Luc. 3, 36. in Chriſti Genealogia, nomen Kainan ſecundo adductum, quod in Hebræa editione non eſt, ſed in editione, qua Helleniſtæ utebantur. Exiſtimant enim viri docti, viſum fuiſſe Sp. S. cum hiſtoria Euangelii Græce traderetur, ad gentes manatura (quæ narrationem hanc Lucæ cum Editione Græca fuerant comparaturæ) illud errori jam recepto condonare, quamvis* PRÆTER VERITATEM; *quia res ſine fructu, & cum graviſſimo offenſionis periculo, fuiſſet conjuncta, ſi Lucas veritatem hiſtoriæ ſecutus præciſe hoc argumentum vulgo ad charitatem publicam & unitatem Eccleſiæ labefactandam ſuppeditaſſet. Extitiſſent enim Multi, qui hac una occaſione minime neceſſaria cum offenſi fuiſſent ipſi, tum graves Tragædias adverſus Eccleſiam & Euangelium Lucæ excitaſſent. Quæ res omnibus Chriſtianis exemplo eſt, ut charitati donare diſcant, quicquid ſine detrimento fidei condonari vident oportere, donec res ex veritate emendari poßit. Neque enim putandum eſt, Lucam adverſari hiſtoriæ veritati, ſed tantum publico Errori, qui tum altius radicatus erat, aliquid indulgere ad tempus, & per proviſionem (ut dicitur) donec commodior eſſet Eccleſiæ de ea re inſtituendæ ſine damno graviori locus.* Et quamvis de illa voce Kainan aliam foveat ſententiam, noſtram tamen ſententiam diſertiſſimis verbis aſſerit.

DCLXII. Voetius etiam conſentit, qui in Diſputationibus ſelectis p. 60. ad locum Luc. 3, 36. *Dicendum Kainan citari ex verſione Helleniſticâ*, Et paulò poſt: *Cur errorem 70 Interpretum ſuum fecit Lucas? ſiquidem error ſit, ſaltem ſuum non fecit, cum citat integrum illum contextum: citando enim nec improbat, nec approbat Verſionis παροράματα, nec ἀκρίβειαν ejus ex profeſſo ad examen revocavit, ne homines verſioni illi & ſecundum eam genealogiæ aſſuetos turbaret. Sufficit illi ad probationem Genealogiæ Chriſti loca Biblica citaſſe ex verſione vulgata maxime omnium nota & recepta, imprimis à Διασπορᾷ illa Judaica Alexandrina,*

quâ

Digitized by Google

quâ eum uſum fuiſſe, teſtis eſt Scaliger in notis ad N. T. *Porrò verſionem illam à ſcriptoribus* N. T. *ſuo loco relictam, at ex ea omnia fere loca de verbo ad verbum citata* (*Quamvis ſæpe tam doctè aut accurate Veritatem Hebraicam non exprimeret*) *nimis notum eſt. Inſtituto & ſcopo illorum hoc ſufficiebat*: Hactenus ille.

DCLXIII. Concordat Junius tum in genere, tum reſpectu vocis Kainan, quæ verba digna ſunt ut tranſcribantur. Poſt rejectas duas ſolutiones: *Reſtat*, inquit, *ſolutio tertia, fuiſſe Kainanis vocem à Luca additam, ſed ex Interpretum Græcorum fide, quam ſolutionem his verbis expoſuit Beda.* Nomen & generatio Kainan juxta Hebraicam veritatem neque in Geneſi, neque in verbis aliorum invenitur, ſed Arphaxad Selaa vel Sale filium nullo interpoſito genuiſſe perhibetur. Scito ergo Lucam hanc generationem de ſeptuaginta interpretum Editione ſumpſiſſe, ubi ſcriptum eſt, quod Arphaxad centum triginta quinque annorum genuerit Kainan &c. *Tanquam ſi diceret, Lucam id officii cum Græcorum interpretationi, tum receptæ in vulgus opinioni tribuiſſe, prout multa in Scripturis* δοξαςικῶς *ſunt enunciata, & accommodata opinioni vulgi*: *NB. Neque intempeſtivo certamine de cauſa alicujus nominis voluiſſe committere, ut Eccleſiæ pax, aut piarum mentium quies in diſcrimen vocaretur; nutaret eorum fides, vel periclitaretur Scripturæ auctoritas. Hujus itaque reſponſi NB. religionem probo & ſolutionis primæ veritatem. Sed quia ſumma Patrum, Interpretum Arabis & Syri omniumque fere exemplarium conſenſione comparet Cainanis nomen, nos ſolutioni poſtremæ NB facile acquieſcimus, &c.* Sed & pag. ſeq. occurrit Objectionibus contra hanc ſententiam, quæ homogeneæ ſunt iis, quibus contra me adverſarii utuntur: *Hic vero*, inquit, *non ſumus neſcii, obſtrepere nonnullos veritatis hoſtes, & de auctoritate ipſius Lucæ, atque Euangelii ab eo ſcripti, hoc argumento fretos detrahere. Falſum eſt, inquiunt, iſtud, & falſo adhibetur Kainanis nomen. Reſpondemus, etſi re falſum fuiſſe dabimus, tamen fuiſſe opinabile, imo in opinione fuiſſe Vulgi, ad quam opinionem in vulgo receptiſſimam reſpexit Lucas, NB. ut ex verbis ipſius modo oſtendimus. Opinionis autem falſæ jamdiu auctores fuerant ſeptuaginta illi, Lucas vero bona fide exemplum illorum opinionemque vulgi, & certo conſilio ſecutus eſt. In illis ergo, ac non in Luca deſideratur fides. At Lucas, inquient, falſum eſſe ſcivit. Scivit quidem illud, ſed hoc ejuſmodi eſſe ſcivit, quod rei tantum unius hiſtoricæ, non autem fidei Catholicæ veritatem offenderet. Nam Kainane interpoſito veritati quidem hiſtoricæ aliquid additur, ſed nihil fidei adimitur; cujus certitudo unius aut alterius hiſtoriæ, ſermonis aut vocis errore NB. minime convellitur, niſi con-*

 tra

Digitized by Google

tra fidei Chriſtianæ fundamentum, aut articulos ejus (ut vocant) fundamentales veniat. Hoc itaque non eſt μνημονικὸν ἁμάρτημα, *ſed* συγχώρησις ἀναμάρτητος, *id eſt modeſta confeſsio peccato vacans, quo genere ſermonum Scriptura non rarò utitur. Quid ergo? Nonne Lucas hoc modo errorem confirmaverit? NB minime omnium. Nam & publicus error à privato differt, & inveteratus à recente novoque. Lucas autem errorem neque publicum ex privato facit, neque naſcentem aluit, ſed publicum errorem jamdiu inveteratum pertulit, quia auctore Spiritu Dei, ex duobus malis vidit eligendum minus, quod vulgo dici ſolet. Malum quidem fuit illud, quod ſeptuaginta auſi ſunt à veritate hiſtoria diſcedere, quocunque tandem ſtudio, & conſilio fecerint, ac proinde eorum factum falſum invaluit in ſacra hiſtoria. Sed cum ille error hiſtoricus per ſe fidei non afferat damnum, gravius malum eventurum eſſe vidit, ſi illud inveteratum atque apud omnes receptum tentaret intempeſtive eximere, &c.*

DCLXIV. Adjungo teſtimonium Calvini, qui ſimpliciter docet; Scriptores N. T. uſos eſſe verſione LXX etiam in iis, in quibus à fonte Hebræo receſſit. Sic enim ille ad Heb. XI. 21. annotat: *Non dubium eſt, quin Moſes de lectuli capite loquitur, cum dicit* על ראש המטה *Græci autem, quaſi ſcriptum eſſet Matthch tranſtulerunt, caput virgæ, quod vulgo receptum erat, Apoſtolus non dubitat ſuo inſtitut o accommodare. Judæis quidem ſcribebat, ſed qui in varias regiones diſperſi, patriam linguam Græcâ commutaverant. Scimus autem Apoſtolos hac in parte non fuiſſe adeo ſcrupuloſos, quia ſe rudibus attemperarent, quibus adhuc lacte erat opus, & in ea re nihil eſt periculi, modo ſemper revocentur lectores ad ſinceram nativamque Scripturæ lectioenem.* Item Heb x. 5. *Apoſtolus Græcos ſecutus dixit,* Corpus aptaſti. *Neque in verbis recitandis adeo religioſi fuerunt.* Druſius in eâdem planè eſt ſententiâ in Parallelis p. 6. ubi ſic inquit: *Apoſtoli & Euangeliſtæ quandoque editionem Græcam LXX. referunt, etiam quando ſatis oſcitanter Ebræa converterunt. Cauſa hujus, ut credibile, eſt, quod editio illa in omnium manibus tùm verſaretur, vulgoque lecta in Synagogis, uſuque recepta eſſet.* Spanhemius Dub. Euangelicorum Parte III. p. 48. & 49. hæc habet de LXX. Interpretibus: *Euangeliſtas ſecutos verſionem LXX. in pleriſque, quæ & maxima auctoritatis erat apud Helleniſtas, & multis præ manibus, quando id fieri poterat ſalvâ dictorum Propheticorum ſubſtantiâ, tum ut libertatem ſuam oſtenderent, tum ne in re levi & adiaphorâ malis cavillorum, infirmis ſcandali ullam occaſionem præberent.* Coccejus in Habac. I. 5. *Apparet, tempore Apoſtolorum in frequenti uſu fuiſſe verſionem illam, quæ dicitur LXX. Interpretum, ſive Paulus ſic Græce locutus*

fuerit

fuerit in Synagogâ Græcanicâ Antiochiæ Piſidiæ, ſive Lucas ita retulerit. Et quanquam verba Græca exacte Hebræis non conveniant, cauſa tamen non fuit, quare verſionis uſitatæ verbis abſtineret: quia quam culpam in genere indicat Græca vox καταφρονητοὶ, eam in ſpecie Hebræum deſignat.

DCLXV. Conſentiunt Lutherani quoque Theologi. Flacius Illyricus Clavi Scripturæ II. Parte p. 204. *Obſervandum eſt, Apoſtolos in LXX. verſione citandâ non immeritò aliquid dediſſe imbecillitati Chriſtianorum & communi conſuetudini, quod non aliter aliquoties dicta Scripturæ citaverint, quàm ſicut jam dudum apud vulgus ex illa verſione innotuerant. Sic enim illi puſillis Chriſti lac præbentes ad eorum captum ſeſe accommodantes loqui non ſunt dedignati.* Sequatur Helvicus: *Neque ſolicite,* inquit, *laborandum eſt, quomodo Scriptores N. T. cum Hebræo conveniant, quia ex Græca verſione tum temporis uſitatiſſima allegabant: Neque quomodo Græca cum Hebræo conveniant; certum enim eſt, ſæpe illos ab Hebræa veritate diſceſſiſſe, cujus rei plerumque cauſa eſt tam defectus punctorum, quibus illi deſtituti aliter legerunt, quam authentica exemplaria requirebant: tunc deceptio in literis, quando unam pro alia legerent.* Ex eodem ordine eſt Frantzius in tract. de Interp. ſcript. part. I. p. 38. *Omnino apparet ex collatione locorum N. T. verſionem LXX. temporibus Apoſtolorum fuiſſe in manibus Judæorum & Gentium & tritiorem familiarioremque, quam fontes Hebræos. Et quia Apoſtoli citare tunc temporis non ex fontibus Hebræis, ſed ex verſione Græca LXX. ſententias & alia voluerunt ſuis de cauſis, idcirco quandoque retinent verſionem LXX, ut eam reperierant non correctam. Noluerunt ex levioribus ſuſpicionem quamcunque apud infirmos movere.* Item Glaſſius Phil. ſacræ p. 173. *Ex Græca LXX. Interpretum verſione ſæpe allegationes in N. T. fieri, has autem à textu Hebræo diſcedere certum eſt.* Ex his obſervatis tale nobis exſurgit Argumentum: Si Apoſtoli citra læſionem auctoritatis & veritatis Scripturæ V. T. potuerunt uti verſione LXX. vulgo receptâ, etiam in iis, in quibus cum textu Hebræo non conveniebat: Ergo ſcriptores ſacri citra læſionem iſtius veritatis & auctoritatis etiam potuerunt uſurpare formulas receptas de rebus naturalibus phænomenis convenientes, etiamſi opinionibus erroneis & præjudiciis innitererentur; atqui verum eſt prius ex dictis & conſenſu Theologorum: Ergò & poſterius.

DCLXVI. Excipit B. p. 52. Negando Majorem Propoſitionem.

Reſp. Eſt Argumentum à majori ad minus. Qui citra læſionem Auctoritatis & Veritatis V. T. potuerunt tantum concedere errori recepto in verſione LXX. Interpr. ut eam citarent ad probationem ſcopi ſui, illi multo magis potuerunt uti ad ſuum ſcopum formulis receptis &c. Illud enim

Digitized by Google

enim majus eſt, & magis videtur adverſari Auctoritati Scripturæ, hoc minus & minus videtur repugnare.

DCLXVII. Exc. 2. B. p. 51. *Aliqua ratione valeret forſitan hæc conſequentia ad excuſandum illum modum loquendi, ſed ad eum probandum efficax eſſe non poteſt.*

Reſp. Adduxi in eum finem, ut oſtenderem non repugnare iſtam ſententiam meam Auctoritati & Veritati Scripturæ, quod hîc ſufficit.

DCLXVIII. Exc. 3. B. pag. 52. *Hi citarunt verſionem Græcam, ut verbis quidem diſcreparent ab Hebræo, ſed non ſenſu verborum. Iſte enim diſſenſus quamvis in tranſlatoribus errorem verbalem notet, in citatoribus, (dummodo exprimant mentem Sp. S.) nequaquam, qui non tam ad verba, quam ad verborum ſenſum ſolent attendere.*

Reſp. 1. At hoc ſufficit; ſi enim errorem Græcorum quoad verba aſſumpſerunt, eoque ſunt uſi citra refutationem; Ergò ſimiliter licuit illis uti verbis receptis, quibus phænomena exprimuntur, licet ea verba præjudiciis infantiæ & ſenſuum ortum ſuum debent. Neque enim ullibi dixi, errorem ipſum, ſive præjudicium ſuum feciſſe Sp. S. aut uſurpaſſe ſenſum ejus præjudicii, ſed verba adhibuiſſe, quibus tamen errorem noluit docere. Atque ita etiamſi in inventoribus phraſium phænomenis convenientium error ſit aliquis, tamen non in Sp. S.; qui errorem eum non attendit, nec ibidem ſignificat, ſed in medio relinquit. 2. Velim verò Dn. du Bois ea quæ hîc dixit conciliare cum iis, quæ ſcripſit in libro Belgico *Oude tijdt Tijdtsthreſoor* appellato, pag. 80. *De H. Martelaer Stephanus ſeght, Hand. VII. 1. dat Jacob in Egypten gekomen is met alle ſijn geſlachte beſtaende in 75. zielen; daer nochtans Moſes nergens van hooger getal gewag maakt als van 70. Waer in die heilige man wederom ſpreeckt nae het gemeen gevoelen van de Joden (gelijck oock voor in een ander exempel op het 2706de Jaer van de Peri. Jul. geſien is) het welcke by haer ſchijnt ingekropen te zijn uyt de Griekſe overſettinge van de LXX Overſetters, die by haer ſeer in 't gebruyck was (gelyck die mede dickmaels in het N. T. gevolgt word) in welcke, in dit ſtuck, een misſlag ingekropen is.*

DCLXIX. Exc. 4. B. p. 52. *At vult Auctor noſter, Deum in rebus naturalibus uti ſermone, qui quoad præcipuum ſenſum verborum à rei veritate diſſentiat.*

Reſp. Cùm formulæ de quibus eſt quæſtio, & ſignificent generalem aliquam veritatem, & ex uſu vulgi errorem, quo ea eſt involuta, præcipuus ſenſus dici potius debet illa veritas generalis, quia ea & à vulgo & à Spi-

à Spiritu Sancto utente tali phraſi ſignificatur; error verò quia reſpectu vulgi ab ipſo ſimul ſignificatur ejus reſpectu minus præcipuus ſenſus poteſt vocari; at reſpectu Spiritus Sancti, cùm ab illo error non ſignificetur, nec præcipuus nec minus præcipuus ejus ſenſus eſt appellandus. Accuſatio ergò adverſarii à veritate aberrat.

DCLXX. Exc. 5. M. p. 48. *Spiritus Sanctus in N. T. interdum adducit loca V. T. convenienter tranſlationi, quæ vocatur* LXX. *Interpretum, ſed ſemper verè abſque ullo errore.*

Reſp. Sic etiam quando utitur phraſibus receptis, id enim toto libro inculco. Videantur porro ea, quæ habet p. 49. plane facientia pro mea ſententia.

DCLXXI. Exc. 6. M. p. 50. *Dato, non conceſſo, Sp. S. citare* LXX *etiam quoad ſenſum ab originali textu recedentes, negamus tamen conſtanter, ſententiam citatam eouſque poſſe eſſe falſam, quouſque facit ad ſcopum citantis. Citans enim citatum in tantum ſuum facit, in quantum ad ſcopum applicat, quoad cætera, ſi falſum quid citationi inſit, correctionem tantum ſuſpendit.*

Reſp. At hæc denuo egregie meæ cauſæ ſerviunt; neque enim formulis ulterius utitur Sp. S. quàm quantum ad ſcopum ſuum faciunt, ut egregie oſtenſum à Dn. Velthuſio, & ſæpius à me dictum; quoad cætera, ſi falſum quid his formulis inſit, hoc eſt, ſi inventæ & uſurpatæ fuerint ad errorem ſignificandum, Sp. S. correctionem tantum ſuſpendit.

DCLXXII. De voce Cainan novi varias eſſe conciliationes, neque hic meus eſt ſcopus, quæ vera ſit oſtendere, cum quicquid de eo ſit, nihilominus generalis ſententia vera maneat, hoc eſt, Minor mea propoſitio, quia non adduxi Rivetum, niſi quatenus generaliter meæ Minori teſtimonium præbet. Dn. Voetium non aliter etiam cito, niſi quatenus ejus verba ad Minoris meæ probationem faciunt, quid de conciliatione iſtorum locorum ſentiat, parùm hic attinet; quod enim citent Apoſtoli verſionem Græcam, etſi Hebr. veritatem non tam rectè & accuratè exprimat, adeoque error ſit in verbis, nimis quam apertè dicit.

DCLXXIII. Exc. M. p. 51. *Non dicit Rivetus, Sp. S. uſurpaſſe errores* LXX. *Interpretum, ſed uſurpaſſe aliquando Græcam verſionem, etiam ubi diſcrepantia quædam eſt à textu Hebræo manifeſta.*

Reſp. Quod dicit Rivetus mihi ſufficit ad Minoris meæ confirmationem, uti ex argumento meo art. 665. apparet. Sed & operæ pretium eſt annotare ea, quæ idem Rivetus Exercit. in Geneſ. 69 p. 331. tradit: *Nollem atro calculo*, inquit, *notare eorum ſententiam, qui errorem in 70. editione agnoſcentes non tamen putant erraſſe B. Lucam, cùm ex eorum co-*

dice genealogiam deſcribit, in quâ ſciebat errorem fuiſſe commiſſum, ne in re quæ fidem non tangebat diſpliceret novitate apud Helleniſtas &c. Et paulò poſt: *Neque tamen propterea exiſtimandum eſſet, Scripturam vel Spiritum Sanctum erráſſe; neque enim accuſatur alibi erroris, cum Scriptura aliquando loquitur ex hominum opinione, quibus ſe accommodat, ubi fieri poteſt ſine diſpendio veritatis neceſſaria. Parum enim valent objectiones eorum, qui dicunt: Sacer ſcriptor non errat volens, quia illius ſcriba eſt, qui neminem decipit; neque dignum eſt Spir. Sanctum ſcribere mendacia &c. Quia neque in eo error eſt ſcriptoris, neque mendacium, ſed tantum erroris alieni non periculoſi tolerantia ob cauſas graves &c.*

CAPUT XXXI.

Conſenſus Theologorum cum noſtra ſententia oſtenditur.

DCLXXIV. Nihil nunc adderemus probationibus noſtris evidentiſſimis, niſi itidem nos accommodare vellemus ad ingenium eorum, qui auctoritatibus humanis duci ſolent, ac vel propterea hanc ſententiam rejiciunt, quia putant eam conſenſui Theologorum adverſari. In iſtorum ergo gratiam adducam auctoritates magni nominis Theologorum; ut ita videant, tum veritatem à parte noſtra ſtare, tum etiam conſenſum Theologorum nobis militare. Plurimi autem jam ſuperius ad partes ſunt vocati, quos nunc congregamus. Laudati jam ſunt: Chryſoſtomus, Calvinus, Maimonides, Rivetus, Paræus, Mercerus, Piſcator, Polanus, Alſtedius, Belgæ Interpretes, Marloratus, Cartwright, Junius, Muſculus, Sculterus, Urſinus, Theologi Leydenſes in ſynopſi purioris Theol. Perkinſius, qui omnes uno ore hanc, quam hactenus defendi ſententiam, pronunciant. Chryſoſtomus: *Deſcribi angelos alatos, non quales ſunt naturâ, ſed prout facilius à ſimplicibus concipiantur.* Calvinus: *Moſes non acute philoſophatur, Moſes populariter ſcripſit* (intellige de Luna, quam vocat luminare magnum) *illi autem* (Aſtronomi) *magno labore inveſtigant, quicquid humani ingenii acumen aſſequi poteſt.* Maimonides: *Scriptura loquitur ſecundum linguam filiorum hominum.* Rivetus: *Apoſtoli errori publico voluerunt aliquid indulgere ad tempus.* Paræus: *Luna minores ſunt ſtella alia, non revera, ſed apparenter,* (reſpicit autem ad Geneſ. 1.) Mercerus: *Juxta opinionem vulgi Scriptura ſæpe loquitur:* Piſcator: *Reperiuntur in Scriptura dicta*

ὄτα κατὰ δόξαν: *dicuntur luminaria magna reſpectu noſtri ſenſus & judicii oculorum*, (ad Geneſ. 1.) Polanus: *dicuntur talia quoad δόξαν ſeu communem opinionem vulgi, quod de rebus loquitur, non ut ſunt, ſed ut videntur eſſe, & ad cujus captum Sp. S. in his talibus ſe accommodare dignatur.* Alſtedius: *Dici quædam in ſacris literis non ſecundum rem, ſed ſecundum ſpeciem & virtutem.* Belgæ Interpretes: *Dici quædam talia ſecùndum apparentiam coram hominibus, non ſecundum rei veritatem coram Deo.* Marloratus: *Captiva turba juſti dicitur, quia juſta eorum præda exiſtimatur.* Cartwrightus: *Scriptura nominat hos vel illos tales, quia pro talibus ſe venditant.* Junius: *Hebræi loquuntur populariter cœli extremitates nominando.* Muſculus: *Appellatur Euangelium quod verè tale non eſt.* Scultetus: *Scriptura vocat aliquid tale δοξαστικῶς non ἀληθῶς.* Urſinus: *Vocatur aliquid tale, quia videtur, aut videri vult tale.* Leydenſes: *Nomen Dei tribuitur falſis Diis δοξαστικῶς ex opinione & errore.* Perkinſius: *Scriptura ſæpenumero de rebus loquitur, non quemadmodum in ſe ſunt, ſed prout nobis videntur.*

DCLXXV. Adduco nunc aliud teſtimonium Paræi, quod ſuperioribus adjungo. Is Geneſ. I. ad v. 1. quando diſquirit, quare Moſes mentionem nullam fecerit explicitam creationis Angelorum, reſpondet, *ſimplicior eſt ratio Chryſoſtomi, hom. 2. in Geneſ. quam & Baſilius attingit, hom. 1. in Hexam. Moſen hiſtoriam ſuam ruditati Judæorum accommodaſſe, erant enim homines terreni, tantum SENSIBILIA ſapientes.* Item Junii in Parallelo quarto: *Res omnes in Scripturâ ex vulgi uſu duobus modis appellari ſolent; alia quidem ἀληθῶς ἢ κατὰ τὴν τῆς οὐσίας ἀλήθειαν, id eſt, prout res ipſæ ſunt ex veritate, ſive propria ſive tranſlata ſint earum nomina: alia verò ἐνδόξως vel δοξαστικῶς id eſt ex opinione, ſive quod ita habeantur quamvis non ita ſint, ſive συγχωρητικῶς quod ita haberi velint: quemadmodum idola gentium magi & gaſtrologi appellationem Deorum vel ſapientum obtinent, cùm nihil ſint minus, quàm quod dicuntur eſſe.* Sed & Rivetus Exercit. in Geneſin p. 595. *Hîc locum*, inquit, *habent regulæ in ſcripturarum interpretatione obſervandæ, quarum prima eſt: Aliquando Scriptura ſe accommodat hominum opinioni. Altera, huic gemina: Aliquando res ab hominum exiſtimatione falſâ nomen aſſumunt. Sic ſapientes in Scriptura dicuntur, quos vulgus tales judicat, licet alioqui ſint inſipientes ut Matth. XI. 25. Qui abſcondiſti hæc à ſapientibus &c.* His Theologis adſocio Rainholdum virum eruditum, qui in Cenſurâ librorum Apocryphorum prælect. 90. p. 1103. ita inquit: *Animadvertendum eſt, ut in Sacris Scripturis attribuuntur rerum nomina, rerum imaginibus, ita etiam in actibus verba accipi ſolere, non ex Veritate, ſed ex opinione*; ubi etiam conſentientem citat Aben

Eſræ

Eſræ in Exod. xx. & paulò poſt: *Apparet ex circumſtantiis S. Scripturæ, rectè ab eo,* (ſc. Aben Eſræ) *eſſe obſervatum, non* rei veritatem *, ſed* opinionem *à Scriptura eſſe ſpectatam, cum dicitur Saul intellexiſſe, quod eſſet Samuel, quia opinabatur eum eſſe.* Cum his jungo Glaſſium Theologum Lutheranum, qui Rhet. ſacra, p. 62. ſtatuit eſſe metonymiam adjuncti, quando opinio hominum pro ipſa re ponitur, quam ſic porro declarat, *Rei denominatio fit quandoq; ab externo adjuncto opinionis hominũ; Alii ita: in ſacris literis res ſæpe nominatur & deſcribitur uti eſt* φαινομένως καὶ κατὰ δόξαν, *non* κατὰ τὸ εἶναι, καὶ ἀλήθειαν, *ſeu qualis hominibus* videtur eſſe, non qualis eſt, in ſua natura. Exempla quædam ex ipſo hauſimus, & uberius declaravimus. Claudat agmen Finckius, Profeſſor dum viveret Gieſſenſis, qui in centuria canonum Theologicorum hunc facit quartum: *In Scriptura Sacra ſæpe res deſcribitur, ut eſt* φαινομένως *&* κατὰ δόξαν *non* κατὰ τὸ εἶναι.

DCLXXVI. Adſocio his Jeremiam Dycke, pium Theologum Practicum, qui in ſuo *Noſce te ipſum* cap. 5. ad objectionem ex Luc. VIII. 13. deſumtam ſic reſpondet; *Quod ſi ita eſt,* (nempe quod temporarii non ſint vere fideles.) *quare ergò Luc.* VIII. *dicitur, quòd tales homines credant, ſi id non faciunt? Reſponſio, ſic ſæpe loquitur Scriptura de rebus, ſecundum id quod communiter de iis judicatur. Sic Luna dicitur unum ex duobus maximis luminaribus, cum tamen omnium Planetarum ſit minima. Sic Satanas vocatur Samuel, quum ſub forma Samuelis Sauli apparebat, ab eoque pro Samuele habebatur. Ita etiam temporaria fides vocatur fides, quia in multis veræ fidei eſt ſimilis & tam à temporariis, quam ab aliis pro vera fide habetur.* Accedit Ravanellus ſupra ad Gen. I. 26. citatus. Item Chamierus tom. 3. lib. 9. cap. 9. art. 13. *Quia poſitum eſt loqui Scripturas de reprobis illis, qui admixti ſunt electis in externa fidei profeſſione, obſervare debemus, illos* ὁμωνύμως *dici Chriſtianos, nimirum, quia externa aut omnia aut fermè omnia eadem habent cum electis, nec nos poſſumus judicare, niſi ex iis quæ apparent. Quare* κατὰ τὸ φαίνεσθαι, ἀλλ' οὐ κατὰ τὸ εἶναι *ſic ſolent appellari.* Et lib. 13. cap. 21. art. 18. ad Gal. 5. reſpondet. *Ergò juſtificari inquit Benedictus Juſtinianus non pro re ipſa, ſed pro opinione juſtitiæ accipitur. Nempe quia quæ videntur eſſe,* NB. *appellantur quaſi eſſent.* Parkeius de Deſcenſu Chriſti ad inferos Lib. II. p. 122. Καταχθόνια *nonnunquam in ſacris populariter accipiuntur, pro iis quæ in aquis ſunt, quia vulgi ſententia eſt, aquas ſubeſſe Terræ, eò quòd è littore atque è ripâ in aquam deſcenditur.* Spanhemius Dub. Euangelicorum Part. II. p. 525. *Atqui Scriptura id* αὐτολεξεὶ *ediſſerit illi (nempe Herodi) fuiſſe illuſum.*

Digitized by Google

illuſum. Reſp. Solemne Scriptura loqui de rebus interdum quales ſunt, interdum, quales apparent, interdum ſecundum rei naturam, interdum ſecundum opinionem vel noſtram vel aliorum. Exempla obvia, ſic Sol & Luna luminaria magna dicuntur præ omnibus aliis, Dii Damaſcenorum dicuntur percuſiſſe Achabum. Sic Chriſtus non venit vocatum juſtos, aufert ab habente, ſolvit Sabbathum, qui invenit animam, perdit eam, qui invenit, perdit. Sic Apoſtolus ſe ἄφρονα appellat, commemorat τὸ μωρὸν τοῦ θεοῦ ſapientiam mundi. Sic ſtellæ decidunt de Cœlo. Innumera talia ubique obvia. Idem p. 313. ad Objectionem eorum, qui putabant, Stellam, quæ apparuit magis, fuiſſe ſtellam *fixam*, vel *erraticam*, deſumtam ex nomine, *quòd conſtanter ſtella vocatur*, ſic reſpondet; *Nomenclationem Scripturæ ſæpe rebus tribui κατ' ἀλήθειαν ſecundum earum* veritatem, *ſæpe κατὰ φάσιν, ſecundum earum* apparentiam, *ſæpe κατὰ δόξαν ſecundum* hominum *de iis* opinionem. *Vocatur itaque hoc φαινόμενον ἀστήρ. 1. Ob figuram, quia corpus rotundum erat & ſphæricum. 2. Ob* lucem, *quia lucidum. 3. Ob* ſitum, *quia in loco ſuperiori. 4. Ob* motum, *quia movebatur, inſtar aſtri cujuſdam. 5. Ob* opinionem magorum, *quia illis videbatur ſidus. Et revera magis accedebat ad ſideris, quàm ad corporis alius naturam. Sic* Angeli *ſæpe vocantur* Viri: *Sic φαινόμενα, quæ in manibus Chriſti,* ſtellæ *Apoc. I. 16. Sic illud, quod videbatur cecidiſſe è cœlo,* ſtella magna *Apoc.* XIII. 10, 12. *Sic* Luna *luminare* magnum *præ aliis ſideribus Gen. I. 16. Multi* juſti, ſapientes *ſuâ, vel aliorum opinione. Euangelium & ejus prædicatio μωρία τοῦ κηρύγματος 1 Cor. I. 21. Tota Scriptura id genus exemplis referta.* Capellus ſpicileg. ad Matth. v. 18. *Hyperbolica omnino eſt locutio, qua Chriſtus abſolutiſſimæ legis complementum ſignificavit, phraſi accommodata ad Judæorum de legis myſteriis opinionem & ſententiam NB. at non qua comprobet tamen uſquequaque illam ſententiam &c.* Item Critic. ſacra p. 674. *Scriptura non raro de rebus loquitur, non prout ſunt, in ſe revera, ſed ex hominum de illis opinione & ſententia.*

DCLXXVII. Dignæ quoque conſideratu Reſponſiones Piſcatoris, quibus Vorſtii Objectiones, homogeneas objectionibus meorum adverſariorum, ſolvit. Sic autem Parte tertia reſponſionis ad amicam duplicationem Vorſtii, p. 55. *Cavillaris & calumniaris, dum ex verbis meis, quæ de ſanctificatione Apoſtolorum ſcripſi, infers, me arguere Apoſtolum mendacii, ac proinde blaſphemare; ſcripſi ego ex Apoſtoli verbis illis concludi non poſſe Apoſtatas illos verè fuiſſe per ſanguinem fœderis ſanctificatos. Hinc tu infers, me eadem opera dicere potuiſſe, Apoſtolum non vera, ſed falſa hic ſcripſiſſe. Item me nihil aliud hic facere, quam quod Apoſtolo re ipſa in os contradicam: dum quod ille magno cum zelo de Apoſtatis pronunciat, id ego non verè ita ſe habere*

Digitized by Google

audacter accipiam. Reſp. 1. *Non ſequitur, Apoſtolus dicit, Apoſtatas illos fuiſſe ſanctificatos per ſanguinem fœderis: ergo intelligit ac ſignificare vult, eos fuiſſe vere ſanctificatos: & per conſequens, qui hoc negat, is Apoſtolo in os contradicit, eumque mendacii arguit &c.* Et p. 56. 2. *Sed pergis cavillari & argutari, ſic porrò diſputans; ſi non verè ſanctificati fuerunt Apoſtata illi: ergo falſo. Nam alterum ex duobus immediate oppoſitis hic locum habere oportet. Si falſo: igitur falſum dicit Apoſtolus, qui illos ita fuiſſe ſanctificatos ſcripſit.* Reſp. *Fallis ex homonymia phraſeos. Nam cum dicitur, Apoſtatas illos non fuiſſe verè ſanctificatos, hac phraſi non innuitur diſtributio: quaſi ſcilicet ſanctificatio fiat aut vere aut falſo: ſed hoc tantum intelligitur, non eſſe verum, quod illi fuerint ſanctificati proprie loquendo. Neque Apoſtolus hoc dicit: ſed ſimpliciter & indefinite dicit, eos fuiſſe ſanctificatos: non autem adjecit vocem verè vel falſo.*

DCLXXVIII. Notatu etiam digna ſunt, quæ habet Flacius in Clave Scripturæ, qui parte ſecunda ex Auguſtino primo de Trinit. cap. 12. hanc ponit regulam: *Nullo locutionis genere utitur Sacra Scriptura, quod in conſuetudine hominum non inveniatur, quia utique hominibus loquitur*, quam confirmat teſtimoniio Hilarii, ſuper Pſalmum CXXVI. *Sermo enim divinus ſecundum intelligentiæ noſtræ conſuetudinem naturamque ſe temperat communibus rerum vocabulis ad ſignificationem doctrinæ ſuæ & inſtitutionis aptatis: nobis enim non ſibi loquitur: atque ideo noſtris utitur in loquendo.* Item ex Hieronymo in Jerem. cap XXVIII. & Matth. XIV. hæc verba citat: *Multa in Scripturis ſanctis dicuntur juxta opinionem temporis, quo geſta referuntur, & non juxta id quod veritas continebat.* Ita Flacius ad verba Hieronymi in epiſt. ad Gal. cap. 3. *Paulus ſermone trivii utitur nonnunquam in Epiſtolis,* ſic annotat p. 203. *Quod dicitur:* O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinavit? *digne Paulo (qui etſi imperitus eſt ſermone, non tamen ſcientiâ) debemus exponere: non quod ſcierit eſſe faſcinum, quod vulgo putatur nocere, ſi uſus ſermone ſit trivii; ut in cæteris, item in hoc quoque loco, verbum quotidianæ ſermocinationis aſſumſerit &c. Dicitur* Faſcinus *propriè infantibus nocere & ætati parvulæ, & his qui firmo veſtigio figant gradum. Unde & quidam ex gentilibus:* Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos. *Hoc utrum verum ſit, necne, Deus viderit: quia poteſt fieri, ut & dæmones huic parato ſerviant, & quoſcunque in Dei opere vel cœpiſſe vel profeciſſe cognoverint, eos à bonis operibus avertant. Nunc illud in cauſâ eſt, quod ex opinione vulgi ſumtum putamus exemplum: ut, quomodo tenera ætas noceri dicitur faſcino, ſic etiam Galatæ in Chriſti fide nuper nati & nutriti lacte, & non ſolido, veluti quodam faſcinante ſit laſi, & ſtomacho fidei accuſante, Sp. S. cibum evomuerint. Quod ſi aliquis contradicat, exponat, quomodo*

Digitized by Google

modo de communi opinione ſit ſumtum; vallis Titanorum in regum libris, Sirena & Onocentauri in Eſaiâ, Arcturus & Orion & Plejades in Job; & cætera his ſimilia: quæ utique vocabula Gentilium fabularum & cauſas & origines habent. Idem p. 283. *Vocabula ſingula phraſes & dicta aut ſententiæ integræ accipiuntur aliàs ſecundum communem quandam opinionem, apparentiam aut exiſtentiam Joh. V.* 31. Si ego de me ipſo teſtor teſtimonium meum non eſt verum. *i. e. Sic omnium hominum more ac opinione receptum eſt, ut, cùm omnes ſint mendaces & ſui nimium amantes, nulli de ſe ipſo glorioſè aut in ſuum commodum teſtanti credatur. Huc poſſis referre, quod Chriſtus dicit Joh.* XV. 22. Si non veniſſem, & locutus eſſem eis peccatum non haberent, *i. e. poſſent aliquam ſpeciem inſontium ſuâ excuſatione ſibi acceſſere. Alias ſecundum hominum opinionem eamque uſitatam quidem ſed plerumque falſam. Sic Chriſtus dicitur* filius Joſephi, & ille ipſius Pater *Joh.* VI. 42. Chriſtus eſt ſcandalum & ſtultitia 1 *Cor. I.* 23. & quod ſtultum eſt Dei *ibid. verſ.* 25. *ſcil. ut ab hominibus habetur ac vocatur. Joh.* VII. 28. Vos noſtis quis ſim & unde ſim, *ſc. ut vos falsò opinamini & jactatis &c. Aliàs ſecundum ſolam quandam externam ſpeciem. Sic* accedit regio *Act.* XXVII. 27. *ut illud,* Provehimur portu, terræque urbeſque, recedunt. Sic columnæ terræ, lingent pulverem pedum tuorum *Eſ.* XLIX. 23. *i. e. incurvabunt ſe, ut videantur lingere &c. Sic exponunt quòd montes concurrerint navigantibus Miniis in Argo: quia navigantibus inter anguſtias promontoriorum anteriora ad quæ accedunt videntur à ſe invicem digredi, & poſteriora loca denuo videntur congredi. Sic Pilatus vocat Jeſum in inſcriptione* Regem Judæorum *Matth.* XXVII. 37. *&c.* Idem p. 285. *Cratylus apud Platonem diſputat: res tales eſſe, quales hominibus videantur.* Sic quoque p. 409. *Sermo Hebræus ſæpe admodum ſecundum cognitionem, judicium aut opinionem præſentium hominum de rebus magis loquitur, quàm ſecundum ipſius rei exiſtentiam; ſive rei veritas conveniat cum illa hominum cognitione ſive non. Loquor autem non de articulis aut dogmatibus religionis, ſed de communibus phraſibus.* Et poſt adducta exempla inquit: *Talia ſunt multa apud Poëtas cum profanos, tum ſacros. Sic Debora canit Jud. V.* 20. Stellas pugnâſſe cum Siſerâ *ſc. quia talis quadam ſpecies viſa eſt, dum Deus grandinem immiſit ſuper ejus exercitum. Sic Æneid.* 1. Mirantur Julum *i. e. Cupidinem, quem putabant eſſe Julum, &,* Magnis exterrita monſtris, *i. e. quæ putabat Andromacha eſſe monſtra & ſpectra.* p. 410. Sic etiam p. 413, 414. *Non tantum profanus ſermo & ſacer, non tam rei ipſius veritatem, quàm auditorum de rebus cogitationes, ſeu res, ut ſunt in auditorum animu concepta, reſpicit. Ut cum Baptiſta negat,* ſe eſſe Heliam aut Prophetam, *ſc. talem, qualem Sacerdotes animo*

Digitized by Google

mo conceperant. Sic dicit Chriſtus, ſe in proverbiis locutum eſſe Apoſtolis *Joh.* xvi. 15. *non indicans doctrinæ obſcuritatem, ſed Apoſtolorum ruditatem, quibus ejus dogmata ſæpe mera ænigmata erant.* Et p. 415. *Falſa aut ſimulata aliquando verorum nomina obtinent, ut Auguſtinus annotat c.* 11. *de Mirabilibus Scripturæ.* Addimus his omnibus ſeqq. adhuc Theologos, quorum omnium hanc ſententiam duriſſimis verbis expreſſit Twiſſus lib. I. Vindic. Gratiæ &c. pag. mihi 194. b. *Plurima in ſacris literis enunciantur ad ſenſum vulgarem accommodata, etiam ad judicium humanum, quamvis erroneum,* NB *ut de duobus luminaribus magnis.* Sic Mollerus in Pſ. lxix. 29. *Sæpe enim Scriptura ſermonem magis accommodat ad ſenſum & opinionem hominum quàm ut revera id ita eſſe affirmet.* Chamierus tomo 3. p. 174. fine: *Nam quod Bellarminus excipit, morem eſſe Scripturæ, ut loquatur de multis quaſi de omnibus, frequentiſſimum eſſe non negaverim, quandoquidem ita vulgo ſolent homines, quorum vocibus contexta eſt Scriptura.* Coccejus in Pſalm. cxxxix. verſ. 10. *In his autem Scripturam ſe accommodare ſermonibus humanis, ad indicandum, quod vulgo tali ſermone exprimebatur, planum eſt. Significabatur res difficillima &c.* Grotius in Jerem. xviii. 7. *Non propriè Deus aut pœnitentiam agit ſuorum decretorum, aut ea mutat, ſed ita agit quaſi mutet, cùm mutatio ſit in re non in ipſo. Sic dicimus navigantibus terras recedere.* Claudat agmen Arriaga Philoſophus p. 382. *Reſpondeo, in eo Chriſtum locutum more humano & vulgari, quia vulgariter cenſetur cibus abire in excrementa &c. Nec tamen propterea Chriſtus quicquam decidit, an aliquando exiguum alimentum naturæ valde conforme convertatur in ſubſtantiam aliti; unde non eſt putanda de Fide hæc opinio de nutritione.* Plures attento lectori auctores ubivis occurrent. Et vix credo, eſſe Interpretem Scripturæ extra partes poſitum, qui non pedibus in illam ſententiam planè eat.

DCLXXIX. Exc. B. p. 122. *Eſſent adducendi Theologi, qui loca Scripturæ, quæ de motu Solis & quiete Terræ loquuntur, ſic interpretentur, ut tu fuiſti interpretatus, ſi illa ſententia debeat à novitate liberari.*

Reſp. Ad meum ſcopum ſufficit, generalem iſtam ſententiam, quam hîc defendo, à novitate vindicaſſe. Si enim non ſit blaſphemum, Scripturam loqui ſecundum opinionem non accuratam ſemper veritatem, hoc eſt, ut interpretor, ſi utitur formulis receptis veritatem præjudiciis involutam referentibus: ſi certum ſit in genere, tales locutiones in Scriptura ſæpe reperiri, uti teſtantur tot Theologi, quæſtio tantum erit: *An etiam in locis pro Solis motu adductis ſint agnoſcenda?* propter quod ſolum, ſi generalis ſententia conſenſu tot Theologorum eſt confirmata, tot fluctus non fuiſſent movendi ab adverſariis.

Digitized by Google

DCLXXX. Exc. 2. B. p. 123. *Cum quæſtio noſtra principalis quoad loca ſpectantia motum Solis, ſit de terminis complexis, ſi te in hiſce phraſibus conſentientes habere magnos illos viros probare velis, produc talia loca, in quibus non de voce aliqua, ſed de tota ſententia Scripturam ita loqui dicant.*

Reſp. Supra oſtenſum, parem hic eſſe rationem terminorum complexorum, atque incomplexorum; ſed & multi loci ſunt adducti continentes terminos complexos originem habentes ex præjudicio vel falſa opinione, ac Theologi citati promiſcue loquuntur de terminis complexis & incomplexis, ut lectori patebit, ſi inſpicere libeat & hoc capite & ſuperioribus capitibus citatos: ut mirum valde ſit, hunc hominem tota p. 124. & 125. me provocare ad producendum conſenſum Theologorum, qui ſuperabundanter eſt adductus. Sed hæc eſt conſuetudo iſtorum Bellatorum, ut victi & proſtrati magnis clamoribus contrarium velint ſpectatoribus ridicule perſuadere.

DCLXXXI, Exc. 3. B. p. 126. Ad teſtimonium Paræi dicendo: *Paræum ſtupiditatem Judæorum, tantum ſenſibilia ſapientium cauſam facere, cur Moſes ſiluerit de creatione Angelorum, me verò præjudicià ſenſuum cauſam facere, cur Sacra Sriptura in iis quæ refert, non locuta fuerit ex rei veritate, ſed ſecundum erroneam opinionem vulgi.*

Reſp. Paræus dicit, Moſen hiſtoriam ſuam ruditati Judæorum accommodaſſe, quod eſſent homines terreni, *ſenſibilia* tantum ſapientes: unde omnino conſequitur, Sp. S. phraſes uſurpaſſe referentes veritatem ad ſenſus relatam & ſenſuum præjudiciis involutam.

DCLXXXII. Exc. 4. B. p. 126. ad teſtimonium Rainholdi. *Eum non dicere attributa ſubjectis attribui, non ex veritate, ſed ex erronea opinione, ſed tantum de terminis ſimplicibus dicta intelligere ut rerum imaginibus, rerum nomina, ſic etiam actibus verba ex vulgi opinione aliquando tribui &c.*

Reſp. Quid dicatur his verbis ipſum excipientem ignorare pro certo habeo. Plenius Rainholdi locum adſcribam: *Nam animadvertendum eſt, ut in ſacris literis attribuuntur rerum nomina rerum imaginibus, ita etiam in actibus verba accipi ſolere, non ex veritate, ſed ex opinione. Quod recte obſervavit in hunc locum Aben Ezra, ubi ait, Scripturam cum mentionem facit Dei alieni, loqui ſecundum cognitionem ſervientium illis; hujuſmodi autem locutionis producit tria exempla, ex illo ipſo loco Exodi, primum ubi dicuntur Dii gentium, qui putabantur eſſe Dii, alterum ex Joſ. 11. &c. Tertium eſt hoc loco, 1 Sam.* XXVIII. *de Samuele à Pythoniſſa excitato &c. Quod ex circumſtantiis S. Scripturæ apparet recte ab eo obſervatum, non rei veritatem*, NB *ſed opinionem à*

Digitized by Google

Scriptura eſſe ſpectatam cum dicitur, Saul intellexit, quod eſſet Samuel, quia opinabatur eum eſſe, nā obſerventur ipſa verba contextus &c. Ex iis apparet manifeſte, quod ſtatuat, Scripturā loqui ex opinione, nō ex rei veritate, quod ſive in terminis ſimplicibus fiat, ſive in complexis, perinde eſt, ut ſuperius demonſtratum. 2. per actus intelligit hic ſcientiam, cognitionem, curſum &c. adeoque actum ſciendi, cognoſcendi alicui tribui, circa hoc vel illud, ex opinione, non ex rei veritate ſtatuit, & ſic actionem hanc, *ſequi poſt* exploratores vult convenire Hierichuntinis, non ex rei veritate, ſed opinione. Similiter actum cognoſcendi, quod Diabolus Samuel eſſet, non ex rei veritate tributum Sauli, ſed ex ejus opinione. Et tamen adhuc quis ſomniabit, iſtam phraſin eo ſenſu, quo ego antehac adhibueram, à Rainholdo non uſurpari.

DCLXXXIII. Ut hoc concludam caput obſervandum, reliquorum citatorum Thologorum teſtimonia intacta relinqui, quæ ipſa tacita eſt confeſſio eos mecum conſentire.

CAPUT XXXII.

Objectiones contra hanc ſententiam examinantur, quarum prima urget, quod ex eâ ſequatur, Scripturam falſum docere.

DCLXXXIV. Prima Objectio: *Qui adhibet formulas vulgares, veritatem quidem aliquam referentes, ſed ad homines relatam, & præjudiciis involutam, ſub quibus latet, ille falſum docet: Atqui Spiritus Sanctus; Ergo.*

Reſp. Neg. Maj. propoſitio abſolute ſumpta, niſi velis eodem modo inferre, omnes formulas vulgares uſu receptas, quæ præjudiciis ſunt involutæ, eſſe tollendas, novamque linguam inveniendam, in qua verba rem nude exprimunt, ſine præjudiciorum involucro, quod eſt ſermonis uſum è mundo tollere. Tali enim formula utitur Scriptura, quia eſt recepta, non omne illud, ad quod illa ab aliis adhibetur, per eam ſignificando; ſed tantum id quod communiter ſignificatur, & quod verum eſt; idque non ex nuda illa formula eſt intelligendum. Sed ex circumſtantiis ſermonis & perſonâ ejus, qui loquitur. Si ergo ad ſcopum Sp. S. non ſit neceſſarium, ut doceat in locis contra nos objectis, Solem circa Terram realiter moveri, ergo per talem formulam tantum Sp. S. indicat hanc veritatem,

Digitized by Google

tem, nempe quod variationem ſitus Terra accipiat reſpectu Solis, vel Sol reſpectu Terræ. Si plus tali formula doceat, id ex circumſtantiis textus demonſtretur. Nec infrequens eſt, ut eâdem formulâ vel ſignis aliis arbitrariis utentes alii aliis plus vel minus ſignificent. Ita Baptiſmo, quo à Judæis proſelytus initiabatur, ſignificabatur tantùm receptio in gentem & religionem Judaicam; ſed à Chriſto præter iſtam receptionem ad Chriſtianiſmum regeneratio per Spiritum Sanctum. Sic per Coronæ impoſitionem ab aliis lætitia tantùm, ab aliis etiam victoria vel aliud quid præterea ſignificatur. Utimur nominibus dierum Solis, Lunæ, &c. non omne id quod primi inventores Ethnici cogitârunt ſignificantes, ſed tantùm diſtinctionis dierum cauſâ. Vox Canonicorum apud Ultrajectinos olim deſignabat homines Eccleſiaſticos cultui ſpirituali Idololatrico deſtinatos, quibus adjuncta erat poteſtas politica, ut primum Reipubl. Ultrajectinæ membrum conſtituerent, nunc per eam merè Politici deſignantur. Talia plura afferri poſſent exempla. 2. Hoc tantùm ex illo antecedente inferre licet; ergo Scriptura non emendat locutiones vulgares, eas mutando in accuratas, & ſic fundamenta iſtarum locutionum vulgarium non refutat; vel: Ergo de eo loquitur Scriptura, quod eſt falſum, illudque in medio relinquit, quorum neutrum eſt abſurdum, adque neutrum Scriptura tenetur; imò ſi prius faceret, crucem figeret animis plebejis, quibus talia incredibilia viderentur. Ita plebejis iſtis animis non facilè perſuadebis, *quod Luna ſit minor quavis ſtella fixa, quod Terra non ſit corpus maximum, imò cœli reſpectu puncti inſenſibilis habeat rationem*, cùm ſenſus ipſos videantur aliud docere, nec poſſit præjudicium eximi iſtud, niſi per accurrtiſſimas demonſtrationes, quarum iſti non ſunt capaces, nec ſatis præparati ad illas percipiendas. Quæ ergo ſupra vidimus de verſione LXX. Interpretum, ex Riveto & Voetio ea etiam hic applicari poſſunt. Et ſanè rectè faciunt Concionatores & prudenter, ſi Scripturæ exemplum ſequentes in concionibus ſuis vulgo ſeſe accommodent. Ita enim v. g. de Terra debent loqui tanquam de maximo aliquo corpore, cum tamen illa reſpectu Cœli puncti habeat rationem, quod coram vulgo dicere ἀπροσδιόνυσον foret. Ita poſſunt ſæpe Concionatores ſuas adhortationes ſuperſtruere opinioni vulgi ex. gr. dicendo: *Deo obedit mare, cum dicit, conſiſte; Deo obedit Terra, cum dicit: Aperi os tuum & degluti impios; Deo obediunt montes, cum eos tranſponit: Quare ergò vos homines rationales eſſetis tam immorigeri? &c.* cum propriè & accuratè loquendo obedientia non poſſit attribui, niſi Creaturis rationalibus, & reverâ communis ſit error, quo omnibus rebus communis quidam ſenſus & appetitus attribuitur. Simili modo in aliis fieri poteſt.

DCLXXXV.

Digitized by Google

DCLXXXV. Inſtant. 1. B. p. 129. Probatur major negata. *Qui de ſubjecto prædicat, quod ei non competit, vel negat quod ei competit, falſum docet: at qui adhibet formulas vulgares &c. Ergo: ſive, quod eodem redit, qui dicit rei ineſſe quod non ineſt, peccat: At Sp. Sanctus dicit rei ineſſe &c. Ergo.*

Reſp. Negando minorem propoſitionem utriuſque ſyllogiſmi, cum ſit ipſa inter nos quæſtio, an dicat, id eſt, teſtetur Spiritus S. ineſſe Soli ex, gr. Motum realem; an prædicet aliquid per formulas vulgares de ſubjecto quod ei non competit? cum, quid prædicet, quid non, qui utitur formulis receptis ex ipſâ perſonâ utente iis & circumſtantiis textûs ſit intelligendum. Illud ergò prædicat Scriptura de ſubjecto, illud dicit Spiritus Sanctus ſubjecto ineſſe, non quod verba primo aſpectu præ ſe ferunt, ſed quod ſenſus verborum per media interpretandi legitimè demonſtratus infert. Itaque negamus, Spiritum Sanctum teſtari vel docere per illa loca Scripturæ, in quibus ſunt formulæ præjudiciis involutæ, ipſa præjudicia, ſed ea in medio relinquere dicimus.

DCLXXXVI. Inſt. 2. M. p. 190. *Hoc modo procedere iſtam objectionem. Quicunque loquens non loquitur ex veritate, ille loquitur ex falſitate &c. ſed forte negaveris, Deum loquendo falſum docere falſum, quod nihil aliud eſt quàm nugari; cùm dicere vel eloqui rem aliquam nihil aliud ſignificet, quàm auditorem de re aliquâ docere &c. ſic omnia poterunt elidi, ſi dicas, Scripturam errorem tantùm non refutare, ſed ſimpliciter referre hoc falſum &c.*

Reſp. Major non rectè proponitur, non enim dixi ſimpliciter, Scripturam non loqui ex rei veritate, ſed *ex rei veritate accuratâ*, cui non opponitur falſitas, ſed veritas non accurata ſeu præjudiciis involuta. Quid autem Scriptura dicat vel doceat locis pro Solis motu objectis ſuis locis oſtendemus. Non omne id dicit, quod homines præjudiciis obſiti imaginantur ſe in eâ reperire, ſed id demum dicit, quod verba rectè intellecta inferunt. Verbum Dei demum eſt ſenſus verborum legitimus. Illa verò inſtantia, *poſſe nempe hoc modo omnia elidi*, ſi dicatur, Scripturam errorem tantum non refutare, tum demum valeret, ſi diceremus, nullis verbis Scripturam docere, cum è contrario dicamus, illis formulis referri & doceri veritatem aliquam, ſed non nudam, verum ad homines relatam, quam quouſque doceat ex accuratâ inſpectione quorumvis locorum poteſt facile cognoſci. Supra vidimus Theologos dicentes, dum Sp. S. in N. T. citat verſionem LXX, etiam in illis locis ubi erronea eſt, eum errorem non refutare, qui tamen tuam conſequentiam, *ſic omnia poſſe elidi*, non admittent.

DCLXXXVII.

Digitized by Google

DCLXXXVII. Inſt. 3. M. p. 192. *Uno eodemque modo dicit Scriptura, Sol currit, & ſanguis Chriſti purgat à peccatis, quaritur ergo, quare poſterior iſta phraſis vim habeat majorem aſſerendi quàm prior.*

Reſp. Quando Scriptura dicit, ſanguinem Chriſti nos purgare à peccatis 1 Joh. I. 7. ex ſcopo & circumſtantiis textus apparet doceri, communionem noſtram cum Chriſto fieri per ſanguinis ipſius ablutionem à peccatis, ſive per remiſſionem peccatorum. At quando dicit Pſal. x ix. 6. Sol lætatur tanquam robuſtus decurſurus viam, circumſtantiæ textûs tantùm requirunt, ut his verbis doceatur, Soli variationem quandam ſitûs obtingere reſpectu terræ, ut cùm tempore nocturno latuerit, manè iterum appareat & conſpiciatur, adeoque variaverit ſitum ſuum, & porrò celerrimè ſit variaturus, non verò ut realis motus ei tribuatur, ut etiam realis lætitia ei non competit, prout id apparebit manifeſtiùs in iſtius loci examine.

DCLXXXVIII. Inſt. 4. B. p. 130. *Sic poterunt excuſari etiam falſiſſimæ locutiones, ex. gr. dicam, Papa eſt caput Eccleſia, Chriſti vicarius &c. ſi accuſer falſitatis, excipiam tantùm, non loquor ex rei veritate, quia eſt locutio in Papatu vulgaris, quam non muto in accuratam, videl. quòd ſeſe venditat eſſe talem &c. ſic ſi quis in foro ita agat verberibus eſſet excipiendus* M. item p. 191. inquit: *Sic Jeſuitarum technas poſſe excuſari.*

Reſp. Si utar his locutionibus incidenter inter Pontificios neq; ex circumſtantiis ſermonis appareat, me per illas teſtari vel docere velle, niſi aliquid generale, ſed eam controverſiam jam nolle tractare, nemo poterit me falſæ doctrinæ accuſare: ex. gr. ſi ità quis dicat, Greg. Magnus caput Eccleſiæ, & vicarius Chriſti dixit, Eum qui ſe vocaverit univerſalem Epiſcopum eſſe vel Anti-Chriſtum vel ejus præcurſorem. Ergò quoniam hoc fecit Bonifacius & faciunt omnes Romani Epiſcopi, meritò pro Anti-Chriſto ſunt habẽdi; nemo poterit inferre me docere per illa verba, Papam eſſe caput Eccleſiæ, vel eſſe verum vicariũ Chriſti: verũ ſi quis abſolutè ita loqueretur, & ex circumſtantiis pateret, eum hoc velle ſignificare & teſtari, vel ad effugiendum martyrium, vel ad oſtendendum conſenſum ſuum cum Papatu, ei hæc excuſatio eo ipſo ademta eſſet, ut non poſſet dicere, ſe id docere non voluiſſe, adeoque hâc formulâ non locutum ex rei veritate, ſed tantum rem falſam in medio reliquiſſe. Unde verò illud, quod ſæpius ſolet dici? *Hac verba in ore Orthodoxi poſſunt legitimum ſenſum habere adeoque vera eſſe: at in ore Arminiani Socinianiſmo litantis vel Sociniani falſa ſunt.* Sic Heydanus ad primam quæſtionem Catech. Armin. Sic ſæpe Calvinus lib. 4. Inſtit. cap. 7. Romanum Pontificem

Digitized by Google

vocat Epiſcopum, quem tamen poſtea, quando ad ipſam illam quæſtionem deventum eſt §. 24. Epiſcopum negat expreſsè. Ergone inferes: falſum locutus eſt vel falſum docuit Calvinus. Et quid crebrius in uſu eſt, quàm tales loquendi formulæ? 2. Ineptiſſimè exemplum reorum in judicium vel mendaciis vel æquivocationibus Jeſuitarum utentium huc adducitur, cum coram judicio teneantur illam ipſam veritatem, de quâ quæritur, teſtari vel profiteri. At Spiritus Sanctus ſemper teſtatur veritatem aliquam, ſed non omnibus neceſſariò verbis, non omnem quam quis ſe putat colligere ex formulis receptis, cum ab eo ſine animo aſſentiendi & præjudicia per eas confirmandi proferantur.

DCLXXXIX. Inſtit. 5. B. p. 132. *Quaſi verò tam pernicioſa fuiſſet doctrina, ſi Spiritus veritatis populum docuiſſet, non Solem ſed Terram moveri. cùm non minùs incredibilia referat, ut aquas quondam ſtetiſſe inſtar murorum &c. 2. Nulla etiam figitur crux ei, qui ſemetipſum totum Dei ſubjecerit, & Deus potuiſſet æque per demonſtrationem præjudicia tollere, ut nos caperemus.*

Reſp. Crux eſſet ſatis pernicioſa ſi Scriptura formulas adhiberet veritatem nullam & ad hominum captum non accommodatam referentes; ſic enim difficultatem intelligendi pareret præter neceſſitatem. Alia ratio eſt miraculorum; in quibus aliquid præter naturam extraordinariè factum eſſe teſtatur, quod neceſſarium eſt relatu, & quia docetur à Scripturâ propterea eſt credendum, ſed ſi Scriptura adhiberet formulas correſpondentes accuratæ rerum notitiæ eam ab hominibus omnibus requireret, quod ſanè magnam difficultatem inferret. 2. Hoc etiam poſſet oggeri ſententiæ eorum qui exiſtimant, ideò uſurpâſſe Apoſtolos verſionem Græcam, ne crucem figerent in rebus non neceſſariis. 3. Omne quod Deus teſtatur credimus, & ſic ei nos libenter ſubjicimus, ſed negamus, eum per has formulas teſtari aliud, quàm veritatem generalem, præjudiciis, quoad ipſas formulas loquendi, involutam. 4. Quæritur, non quid Deus facere potuerit, ſed quid fecerit: an nempè, cum noluerit uti demonſtrationibus, debuerit & voluerit doctrinam de motu Solis reali credendam proponere, quod nos negamus.

DCXC. Inſt. 6. B. p. 132. cui conſentit M. p. 209. *ſi formulæ iſtæ impedirent intellectum vulgi, poterant ergo in totum præteriri & ſileri, quid neceſſe erat eo uti argumento ad probandam Dei gloriam in Cœlis conſpicuam* Pſalm XIX.

Reſp. Realis motus Solis, de quo nihil docetur Pſalm. XIX. non eſt argumentum ad probandam Dei gloriam, ſed illa viciſſitudo dierum & noctium,

noctium, Soliſque influentia, quæ efficitur per variationem ſitûs ſui cum Terrâ, quæ debebat formulâ receptâ exprimi, quâ quidem iſta veritas denotabatur, ſed obtecta involucris præjudiciorum, propter hoc ipſum, quia iſta formula erat recepta.

DCXCI. Inſt. 7. B. p. 133. *Si fuit hac Spiritus Sancti prudentia, ut utatur iſtis formulis, unde jam iſta Carteſianorum audacia, quod doctrinam hanc in vulgus ſpargere auſint?*

Reſp. Nihil hîc ego vel alii qui Carteſii ſententiam hîc defenderunt, agunt, ad quod non veſtrâ importunitate fuerunt adacti. Ego non coram vulgo defendi ſententiam meam, ſed coram orbe erudito, tum adhibitis demonſtrationibus, tum reſpondendo ad veſtras objectiones. At cum vos eam doctrinam vulgo inviſam redderetis veſtris ad populum declamationibus motus eſt Dn. Velthuyſen, ut & coram vulgo, quod vos concitare conabamini, cauſæ hujus defenſionem ſuſciperet. Itaque ſi quid hîc peccatum, ab adverſariorum importunitate eſt commiſſum.

DCXCII. Inſt. 8. M. p. 210. *Spiritus Sanctus rerum naturalium accuratam veritatem uſque adeò perſpicuè potuiſſet tractâſſe, ut vel ipſi plebeji eam perſpexiſſent: ſin minus, eorum intellectum eò potuiſſet elevare, ut non minùs accuratam rerum naturalium veritatem comprehendiſſent, quàm quidem veritatem rerum cœleſtium captu multò difficiliorum actu comprehendant.*

Reſp. Si voluiſſet uti demonſtrationibus & agere Philoſophum, atque docere ſapientiam mundi potuiſſet concedo, ſed nego voluiſſe, vel id neceſſe fuiſſe, quod patebit ex ſequentibus. 2. Veritatem rerum cœleſtium intelligunt ſalutariter fideles per illuminationem Spiritus Sancti, at ad intelligendum veritatem naturalem ea non requiritur. 3. Quæritur, quidnam convenientius fuerit Spiritui Sancto, omittere ne locutiones de rebus naturalibus, quod non potuiſſe fieri manifeſtum, an uti accuratis, ac ad eas intelligendas illuminare intellectum hominum, quod exiſtimat adverſarius, an verò uti formulis vulgaribus? nos poſtremum exiſtimamus, cum illæ ſufficere poſſint Spiritus Sancti ſcopo, neque accuratarum formularum uſus ad ſalutem ſit neceſſarius.

DCXCIII. Inſt. 9. B. p. 134. *Boni Paſtoris non eſt talibus uti phraſibus quæ per ſe & ſuâ naturâ tales conceptus ingenerant, qui rei veritati repugnant, prout auctor noſter vult Spiritum Sanctum docere motum Solis, cùm ejus quies ſit intelligenda. 2. Non eſt neceſſe falſitatibus Eccleſiam paſcere.*

Reſp. Paſtor debet uti formulis receptis, etiamſi ſciat, eas apud imperitiores, non quidem præjudicium ingenerare, quod potius jam factum eſſe præſupponunt, vide cap. I. ſed non refutare, non rejicere; quo

 modo

Digitized by Google

modo tamen falſitatibus Eccleſiam abſurdiſſimè paſcere diceretur, niſi putes falſitatibus paſcere alios eos omnes, qui formulis in præjudiciis fundatis utuntur. 2. Nego, quòd ego velim, per loca Scripturæ pro motu Solis adducta quietem debere intelligi, cum neutrum iis determinare Scriptura velit, & ſæpius dixerim, Spiritum Sanctum per ſuas formulas non docere motum Solis, ſed iſtum in medio relinquere; unde colligere eſt, quòd quietem quoque non doceat.

DCXCIV. Inſt. 10. B. p. 136. *Negamus tales locutiones, (quibus dicitur, Deo obedit Terra &c.) fundatas in communi errore vulgi, ſed metaphoricas dicimus.*

Reſp. Id verò probatum exinde, quod communis ſit error, quo omnibus rebus communis quidam ſenſus & appetitus tribuitur: Illas phraſes primo intuitu quivis adſpiciens diceret, per eas obedientiam mari attribui, cum tamen iis nihil aliud doceatur, quàm quod, ſicut ad nutum Dei ſequitur in creaturâ irrationali effectus, ita debeat etiam ſequi in rationali.

DCXCV. Atque hæc fuit prima ratio Negatæ Majoris in objectione propoſitâ, nimirum, quod ex illo antecedente tantum ſequatur, Scripturam non refutare fundamenta erronea vulgarium locutionum. Altera ratio eſt, quemadmodum in viſionibus ecſtaticis aliud videtur & narratur, aliud intelligitur, ex. gr. videtur ſenex ſedens in throno excelſo &c. & intelligitur Deus Judex Terræ, non tamen propterea dicendum, in talibus viſionibus falſitatem hærere: ita etiam Spiritus Sanctus ubi formulis receptis cum vulgo loquitur, aliud verbis efferre videtur ei, qui præjudiciis eſt occupatus, nempe prout res apparet, aliud intelligit, prout res reverâ ſe habet. Et ſic is, cui rei veritas eſt cognita, etiam Spiritum Sanctum loquendi formulis vulgaribus utentem intelliget, nimirum, quòd iis veritatem tantùm generalem & ad homines relatam, non nudam & ſpecialem doceat: nec tamen alii, qui cum vulgo ſentit & errat, is error oberit ſaluti. Sicut ergò is, qui ſe repræſentat formâ viri &c. non docet ſe eſſe virum, ita non ſequitur, qui utitur formulis receptis, ex quibus alicui videtur præjudicium ſignificari, ille docet id ipſum. Itaque omnino illa appoſitè adhibetur comparatio, quicquid adverſarii oggänniant. Simile quidem non eſt idem, ſed tamen eſt ſimile, & ſufficit ad infringendam vim Majoris Propoſitionis in objectione. H. hîc pag. 24. aliquanto plus dicit, quàm ego, *Falſitas nulla eſt in viſione rei, ſed in modo viſionis, qui fuit œconomia divina,* quod ſecundùm meam explicationem ut dicatur non eſt opus.

DCXCVI.

Digitized by Google

DCXCVI. Inſt. 1. B. p. 138. *In viſionibus ad rem ſignificatam eſt argumentum comparatorum, & quidem ſimilium : at in motu Solis ad ejus quietem eſt argumentum contradicentium.*

Reſp. Quænam ſit convenientia inter viſiones ecſtaticas & inter locutiones receptas jam indicavi, eaque mihi hîc ſufficit, nec ad meum ſcopum ulterior requiritur : nullibi vero docui, in locis quæ pro motu Solis adducuntur, ſignificari Terræ quietem, adeoque nec eam à nobis intelligi oportet, cùm ſæpiùs dixerim, illis locutionibus non exprimi vel ſignificari vel doceri, niſi veritatem relatam ad homines, non nudam, qualis eſt, Terram moveri, ſive potius, cum ſuo vortice gyrare circa ſuum axem.

DCXCVII. Inſt. 2. M. p. 197. *Contradictio eſt manifeſtiſſima, ſi dicas, aliud videri, aliud intelligi.*

Reſp. Si eſt contradictio, ergo falſum erit in viſionibus illis videri virum ſenem ſedentem in throno, & intelligi Deum ab æterno in æternum omnia regentem, quod cum omnium Interpretum expoſitione pugnabit.

DCXCVIII. Inſt. 3. B. p. 139. *Typi & figuræ ſunt umbra, quæ ſuam habent obſcuritatem &c. at in locis referentibus motum Solis verba tam ſunt clara & rem ipſam ita nude proponunt, ut nulla veritas ullis terminis clariùs proponi queat.*

Reſp. Claritatem verborum non negamus, & ſatis clarè ſignificari mutationem aliquam & variationem ſitus Solis reſpectu Terræ dicimus, ſed negamus, quod in illis claris verbis motus Soli realis clarè attribuatur, cùm planè non tribui certi ſimus ; & in eo quæſtio inter nos & adverſarios conſiſtat.

DCXCIX. Inſt. 4. *At etiamſi Spiritus Sanctus non doceat errorem his phraſibus, tamen fiet, ut alius, qui veritatem aliunde non habet cognitam in errore confirmetur.*

Reſp. Hoc ſibi imputet, non Spiritui Sancto, cùm ex circumſtantiis ſcripturarum colligere debuiſſet, quid Sp. S. iis voluerit teſtari: quemadmodum, ſi quis imperitus ex ſermone Aſtronomi, loquentis de phænomenis vulgari modo, exiſtimat, eum etiam modo vulgari judicâſſe, & ſuum teſtimonium expreſſiſſe, fallaciam non Aſtronomo & ſapienti, ſed ſibi ipſi debet imputare; ita ſi quis ex his Scripturæ verbis errorem colligat, non Scripturæ, ſed ſuæ inconſiderantiæ adſcribat oportet. Attendere enim debuiſſet, iſtas phraſes, quas Scriptura uſurpat, è trivio deſumtas, eſſe de rebus à ſenſu longè remotis, quæ ob hanc remotionem ideas rebus

rebus valdè ſimiles repræſentare non poſſunt, atque ita ſermonem rebus non ſic eſſe convenientem, ac is, qui de rebus magis propinquis, quæ non uno, ſed multis ſenſibus ſimul uſurpari poſſunt, inſtituitur. 2. Ille error non oberit ſaluti, cùm doctrina iſta ſit philoſophica, de quâ ſalvâ fide diſſentire licet, niſi omnes errores velis facere fundamentales; itaque non mirum, quod Spiritus Sanctus non refutaverit in Scripturâ, vel occaſionem eum refutandi præbuerit.

DCC. At inquit B p. 139. *Egregiè vero. Ergo non erit, quod impoſterum carpamus eos, 1. quorum verba tantùm ſecundum apparentiam ſunt vera. 2. quæque per ſe & genuino ſenſu rei veritati repugnant. 3. falſum docent, & 4. quorum ſenſus ex doctrinâ contrariâ hauriri debet, 5. quibuſque vulgus in errores inducitur, modo is error non obſit ſaluti &c.*

Reſp. *Ad primum.* Imo vero non ſunt carpendi, qui formulis receptis utuntur, etſi præjudiciis innitantur five obvolutæ ſint, quamvis alii qui præjudiciis ſunt occupati ſibi falſo videantur præjudiciorum ſuorum reperire in iis confirmationem. *Ad ſecundum & tertium*, Calumniæ ſunt, quod doceam, per ſe & genuino ſenſu Scripturæ verba repugnare veritati, vel falſum docere, neque poſſum, quin eum qui talia mihi affingit pro peſſimo calumniatore habeam & proclamem. *Ad quartum.* Verborum locorum Scripturæ, quæ utuntur formulis receptis &c. ſenſus debet hauriri ex textûs circumſtantiis, non ex doctrinâ contrariâ, qualem nullam eſſe dico, cùm negemus, verba Scripturæ pro motu Solis adducta contrariari doctrinæ de Terræ delatione. *Ad quintum.* Neminem per ſe à Scripturâ in errores induci dico, ſed per ſuam ignorantiam, putando ſe convenientia in Scripturâ cum ſuo errore reperire, cùm tamen verba Scripturæ ultra ſcopum ejus extendere non deberet.

DCCI. Tertia ratio negatæ Majoris eſt, quòd tantùm ex antecedente inferri poſſit, Scripturæ locutiones eſſe exotericas, quòd de rebus naturalibus acroamatice agere ejus non ſit inſtitutum. Illa autem diſtinctio eſt communis inter locutiones vulgares ſive exotericas & acroamaticas, inter probationes didaſcalicas & dialecticas, per quam ſæpè multa falſa ab auctoribus prolata excuſantur, ſi dicatur, librum in quo hæc vel illa continentur eſſe exotericum, non acroamaticum, uti videre eſt apud Peripateticos, qui quando urgentur iis, quæ Ariſtoteles habet in Problematibus, ſæpe confugiunt ad hanc diſtinctionem, dicendo, librum hunc eſſe exotericum, non acroamaticum. Ita Voſſius de origine Idololatriæ lib. 3. p. 848. *ſcio Philoſophum* (de Ariſtotele loquitur) *in exotericis, atque ubi obiter & perfunctoriè aliquid dicendum vulgares ſequi opiniones ſoli-*

ſolitum: quomodo & hoc loco Ariſtotelem excuſant Alexander Aphrodienſis & Auguſtinus Niphus. Cùm itaque Scriptura de rebus ſenſibilibus & naturalibus nolit acroamaticè, ſed tantùm exotericè agere, non mirum, ſi & hîc ſectetur exotericas locutiones, non accuratè veritatem exprimentes, ſed præjudiciorum involucris veſtitam.

DCCII. Inſt. 1. B. p. 141. *Notam quidem eſſe diſtinctionem librorum Ariſtotelis in libros Exotericos & Acroamaticos, ſed non locutionum.*

Reſp. Locutiones Acroamaticæ mihi ſunt eæ, quæ accuratè rem exprimunt, quibus nuda veritas & accurata docetur: Locutiones verò exotericæ ſunt communes & vulgares, reſpondentes notitiæ communi, atque propterea veritatem ad homines relatam & præjudiciis involutam exprimentes. *Exoterica* locutio eſt eadem quæ popularis, Dialectica; *Acroamatica*, quæ Analytica. At popularis locutionis meminit Scaliger Exerc. 313. *Populariter*, inquit, *locutus eſt in quinto Politicorum Philoſophus.* Dialecticam locutionem diſtinguit ab Analyticâ Neldelius in Prato Logico p. 418: *At*, inquit, *in 8. Topicorum cap. 3. Ariſtoteles ἐπιστήμην ſeu ſcientiam non analytice, ut in Ethicis, ſed Dialectice tantum accipit.* Idem pag. 361, 362. Analytico tribuit ſuam οἰκείαν γλῶτταν, contradiſtinctam à communi & receptâ loquendi conſuetudine, quam Dialectico aſſignat; illam non convenire, inquit, cum ſermone imperitæ multitudinis, eamque adhibitam ab Ariſtotele in libris Analyticis, quod pateat eos cum Topicis conferenti.

DCCIII. Inſt. 2. B. p. 142. *Sic dicendum erit, utilem eſſe eam diſtinctionem ad excuſanda multa falſa in Scripturâ: aliàs non poteſt applicari.*

Reſp. Quaſi verò aliqua diſtinctio non poſſit diverſis modis applicari. A me quomodo ad Scripturæ loca applicetur ex ſuperioribus eſt manifeſtum, nimirum ad oſtendendum, in locutionibus exotericis in Scripturâ uſurpatis non omnia verba Scripturæ ad vivum reſecanda, quaſi ſingulis veritas aliqua doceretur, ſed tantùm ea, quæ ex circumſtantiis ad ſcopum directè facere colliguntur.

Digitized by Google

CAPUT XXXIII.

Objectio ſecunda, quòd per iſtam ſententiam omnis certitudo ſignificationis Scripturæ evertatur, eaque in naſum cereum commutetur, proponitur & refutatur.

DCCIV. Secundo loco contra ſententiam noſtram ſic objicitur: Si Scriptura circa res naturales utitur formulis receptis, non accuratam veritatem, ſed ad homines relatam & præjudiciis involutam referentibus: Ergo nihil certi ex Scripturâ poterit concludi; adeoque ſtatuendum erit cum Pontificiis, Scripturam eſſe cereum naſum qui pro lubitu poſſit flecti. Hanc objectionem urget B. D. p. 14. *Eo modo agendi ſemel conceſſo, nihil tandem certi ex Scripturâ colligi & concludi poterit: imò ne quidem in materiis fidei. Nam ſi in Phyſicis & Aſtronomicis pro lubitu verba in ſeſe facilia & propria ut tropos vel phraſes loquendi noſtro modulo accommodatas exponere nobis liceat, cur non & in Theologicis & materiis fidei?*

Reſp. Neg. Conn. Majoris. Nam 1. ex circumſtantiis textûs ſemper patet, quid Scriptura his vel illis formulis doceat & ſignificet, quidque propterea ex iis ſit colligendum: itaque nunquam pro lubitu exponendæ, ſed ex circumſtantiis textûs & ſcopo Spiritus Sancti declarandæ. 2. poſito, non tamen conceſſo nec concedendo, quòd circa res naturales nihil certi ex locis Scripturæ de iis, formulis vulgaribus loquentibus, poſſet colligi, alia tamen ratio eſt materiarum fidei, hoc eſt, eorum, quæ ſolâ revelatione ſunt cognoſcibilia, cùm de talibus Scriptura loquens formulis accuratam eorum veritatem referentibus ſoleat uti, neque circa præjudicia ſenſuum ſint formata, utpote ſub eos non cadentia, imò nec ſub lumen naturæ, quod ejus ſphæram activitatis longe excedant. 3. Res fidei & Theologicas debet Scriptura accurate docere, cum pertineant ad ejus ſcopum, non ita res naturales, circa quas ſatis eſt aſſumere ea, quæ per vulgarem notitiam de iis ſunt cognita, eaſque formulis receptis exprimere. Itaque debet ita loqui de rebus fidei, ut non tantum formulas adhibeat, deſignantes veritatem aliquam generalem, prout circa res naturales contingere oſtendimus, ſed etiam tales, quibus ſpecialem veritatem doceat opponendam erroribus Ethnicorum & ἀπαιδεύτων Scripturæ.

DCCV. Inſt.

DCCV. Inſt. 1. B. p. 144. *Probari Majorem Propoſitionem ex eo poſſe, quod alibi dicam,* Loqui Deum cum Vulgo, ſed non cum eo ſentire. *Nam,* inquit, *ſi Deus loquitur cum vulgo, ſed non ſentit cum eo, hoc eſt* (ſi utitur formulis à vulgo inventis & communiter receptis, quibus exprimitur veritas relata ad homines & præjudiciis involuta, ſed non præjudiciis ipſis aſſentitur, neque docet) *Ergo cum quæritur de ſenſu verborum Spiritus Sancti nulla poterit dari determinatio, cum quibus ſentiat Spiritus Sanctus, an cum ſapientibus, & cum quibus, num cum Ptolemaicis, Tychonianis, an Copernicanis & Carteſianis. Ergo Scriptura eſt naſus cereus.*

Reſp. Cum quæritur de ſenſu verborum Spiritus Sancti, ex textûs circumſtantiis & mediis interpretandi ſufficienter poterit intelligi, quid ſentiat Spiritus Sanctus, nempe id, quod hoc vel illo textu docere intendit, quid vero de ipſâ illâ formula, per quam veritatem aliquam exprimit, Deus ſentiat, num ſit accurata, num vero ex præjudiciis ortum habeat, non eſt Spiritus Sancti determinare in Scripturâ, ſed ex ipſâ naturâ & inventione vocum eſt diſcendum. Si enim ex rectâ ratione conſtet, aliquem ſermonem originem debere præjudiciis, atque homines, qui præjudiciis illis ſunt imbuti, utentes iſto ſermone ſolere præter veritatem generalem etiam præjudicia ſignificare: certum eſt, Spiritum Sanctum, quippe qui eſt auctor rectæ rationis, tantum veritatem generalem ſignificare, non etiam ipſa præjudicia. 2. Scriptura eſt verbum Dei quoad verum & legitimum ſenſum, non quoad verba quocunque modo intellecta. Cum ergo ille ſenſus unicus certo & infallibiliter poſſit colligi ex Scripturâ, non obſtante noſtrâ ſententiâ, non ex eâ ſententiâ ullo modo naſus cereus eſt dicenda.

DCCVI. Inſt. 2. B. p. 145. *Si verba Sacra opinioni meæ conſentiant, dicam, loquitur Spiritus Sanctus ex rei veritate, ſin repugnent, non loquitur ex rei veritate, Ergo denuo naſus cereus.*

Reſp. Si hæc argumentatio valeret, ergo ſimiliter inferre poſſent Lutherani & Pontificii, ex noſtrâ ſententiâ, quâ ſtatuimus in verbis his, *Panis eſt corpus Chriſti,* eſſe tropum, ſequi, Scripturam eſſe cereum naſum. Sic enim quis dicet: ſi verba ſacra opinioni meæ conſentiant, dicam, loqui Sp. S. proprie, ſi repugnent, loqui tropice. At ut non ſufficit hoc dicere, ſed oſtendendum ex textu per interpretandi regulas, ea verba tropice accipi debere, ita etiam hîc non ſufficit dicere, Spiritum Sanctum non per omnia ea verba, quæ in formulâ uſitatâ & præjudiciis innitente reperiuntur, docere aliquam veritatem, ſed videndum, an textûs natura & ſcopus Spiritus Sancti requirat, ut omnibus præciſe verbis aliqua

Digitized by Google

veritas doceatur, an non: quod ſi pateat, non requirere id ſcopum & naturam textus, & præterea conſtet, formulam eſſe vulgarem, ſatis manifeſtum erit, Spiritum Sanctum non per omnia præciſe verba docere voluiſſe.

DCCVII. Inſt. 3. B. p. 146. *Stante veſtrâ ſententiâ veritas ex textu ſacro hauriri non debebit, ſed verborum ſenſus ex cognitâ veritate formandus erit, qui modus quidem exponendis textibus obſcurioribus eſt convenientiſſimus, cùm alibi rei veritatem clarè explicat idem ſpiritus, ſed in naturalibus controverſiis eſt peſſimus, cùm nemo non jactitet rei veritatem; & ſic nemo non dicet ſeſe rectè intelligere, & pro ſuâ opinione verbis hunc vel illum ſenſum attribuet.* Item, *quilibet poterit dicere, Scripturam loqui exotericè, non acroamaticè.*

Reſp. Verborum ſenſus formandus eſt ex circumſtantiis textus, quouſque nempe iis aliquid Spiritus Sanctus voluerit teſtari. 2. An verò reliqua verba, quæ non ad ſcopum directè faciunt, ortum habeant ex præjudiciis, ex naturâ & origine ſermonis eſt deducendum. 3. Non quæritur, quo quis queat effugio uti, quidque excipere poſſit ad ſcripturæ loca, contra ſe objecta, ſed quid verè quid ſolide reſpondeat, nec ſufficit ſi dicat, ſe intelligere veritatem, ſed opus eſt ut eam demonſtret, quod à nobis circa Terræ motum factum exiſtimamus. Nos autem non dicimus, verborum ſcripturæ ſenſum ex cognitâ veritate naturali formandum, ſed tantum, poſtquam verborum Scripturæ ſenſus ex ipſius Scripturæ inſpectione eſt cognitus, ex ratione debere cognoſci, num formula adhibita præjudiciis innitatur. Sic ergo clariſſime liquet, ex noſtra ſententia non ſequi, Scripturam eſſe cereum naſum, niſi dicas, quaſvis reſponſiones & modos interpretandi Scripturam quibuſvis locis applicari poſſe, quod oppido quàm abſurdum.

DCCVIII. Inſt. 4. M. p. 199. *Relinquitur ſaltem, majorem partem Scripturæ nobis eſſe inutilem, quoniam nihil certi ex eâ concludere poſſumus, quod in naturalibus plerunque loquatur contra veritatem ex captu vulgi.*

Reſp. Meam ſententiam non eſſe, *Scripturam loqui contra veritatem*, ex toto tractatu puto liquere: quomodo autem & quid certi ex locutionibus Scripturæ de rebus naturalibus colligi poſſit, hoc ipſo capite oſtendi jam aliquoties. Hominibus verò iſtis, niſi calumniis ſæviſſimis contra propriam conſcientiam prolatis, onerent proximum, nihil eſſe præſidii, & hinc & ex aliis infinitis locis conſtat.

DCCIX. Inſt. 5. B. p. 15. *Quamvis Scriptura Sacra tantùm incidenter ageret de rebus naturalibus & Aſtronomicis, tamen de illis vere loqui credit anima pia, quæ totam Scripturam ut veram recipit.*

Reſp.

Reſp. Et ego id credo, & concedo, vere loqui Scripturam de rebus naturalibus. Quomodo enim phraſis mea prius adhibita ſit intelligenda, ex cap. xx. patet; nempe, quicquid docet, quicquid teſtatur, vere teſtatur Scriptura, atque hoc ſenſu vere loquitur de rebus naturalibus, hocque ſenſu non alio pia anima Scripturam ut veram recipit: ſed ad hanc veritatem non requiritur, ut eam exprimat verbis iis, quæ nullis præjudiciis innituntur, cum poſſit uti formulis receptis, ut tamen omnibus verbis κρίσιν ſuam non interponat.

DCCX. Inſt. 6. B. p. 16. *Negamus, ſacras literas merè incidenter Phyſica & Aſtronomica referre, quia licet ad ſpecialem ſcopum non faciant, tamen faciunt ad generalem, videlicet gloriam Dei, quam etiam in Phyſicis & Aſtronomicis oſtendit, cum ex illis argumenta elicit, quibus gloria divina manifeſtatur.* Sic M. p. 201. *omnia quæ in Scripturâ exſtant faciunt ad proprium ejus inſtitutum, quia omnis Scriptura eſt utilis ad doctrinam, præterquam quod è diametro repugnet enti ſumme rationali, quale Spiritus Sanctus in Scriptura loquens, aliquid proferre quod ad inſtitutum ſuum non faciat.*

Reſp. Ad hanc Inſtantiam reſponſio ſufficiens habetur capite tertio, quod vide.

DCCXI. Inſt. 7. B. p 17. *Hominum præſumtio non poteſt eſſe juſta ratio infringendi hanc objectionem. Nam etiam multi ſunt opinati, in materiis fidei Scripturam loqui ſecundùm apparentiam, ut Marcionitæ.*

Reſp. Non præſumo, quod de materiis naturalibus utatur formulis receptis, ſed id ex ipſis formulis manifeſte cognoſco, & ex ſacro textu perſpicio, non neceſſarium eſſe ad ſcopum ejus, ut quælibet verba præciſe urgeantur, quod Marcionitæ non poſſunt dicere, & facile contra ipſos oſtendi poteſt ex Scripturâ veritas Chriſti humanæ naturæ, & in ſpecie corporis ejus. Vide ea quæ dicentur uberius cap. 37. art. 752, 753.

DCCXII. Inſt. 8. M. p. 202. *Ergo in ſolis iis, quæ abſque revelatione cognoſci non poſſunt, Scripturæ infallibilitas agnoſci debet: in reliquis non neceſſarium eſt accuratam ſectari veritatem, adeoque ex iis nihil certi poteſt concludi.*

Reſp. Negatur hæc ſequi, cum antea oſtenderim, illas formulas, quæ quidem veritatem exprimunt, ſed non nudam, non accuratam, verum præjudiciis involutam, non repugnare Scripturæ infallibilitati, quia id, quod per illas vult Scriptura teſtari, verum eſt & infallibile.

DCCXIII. Inſt. 9. M. p. 202. *Etiam circa articulos fidei poſſunt fo-*

veri præjudicia. Sic de creatione omnium ex nihilo, & de ſacroſanctâ Trinitate foverunt Ethnici præjudicia.

Reſp. 1. Non tamen præjudicia infantiæ & ſenſuum, quibus ſermo communis innititur, de quibus hîc agitur, & eo modo quo cap. 1. ſunt deſcripta. Quòd enim circa revelationem poſſint foveri errores non nego. 2. omnia ex nihilo creata etiam ex lumine naturæ poteſt cognoſci & demonſtrari eſtque res non ex ſola revelatione cognoſcibilis, quâ de re articulo 704. fui locutus.

DCCXIV. Inſt. 10. *Jam docuimus Sacræ Scripturæ ſcopum eſſe, docere, quomodo gloria divina in creaturis ſit manifeſta, quo arguuntur errores malè cogitantium de rebus naturalibus.*

Reſp. Et nos jam ad id cap. 1. reſpondimus, nec enim requiritur ad gloriam Dei manifeſtandam ex creaturis, ut tota natura rerum explicetur, ſed aliquis creaturarum effectus ſufficit, qui ad ſenſum cognoſcitur. Sic Pſ. XIX gloriam Dei deducit Pſalmiſta, ex hoc Solis effectu, quod Terram illuminet & calefaciat per variationem ſitus, quod quidem ſine motu Solis reali ſufficienter fieri potuit.

DCCXV. Inſt. 11. B p. 141. *Sic tamen non parum derogas auctoritati Scripturæ & doctrinæ Eccleſiarum reformatarum. Multi ſunt nobis adverſarii, quorum alii divinitatem & auctoritatem Scripturæ ſacræ in totum negant, alii pro lubitu Scripturæ affingere volunt, ut Pontificii: Qui ſacrarum literarum auctoritatem negant, ſatis habent, ſi illas multis in locis falſitatis arguere poſſint, quod ex tuâ ſententiâ habebunt.*

Reſp. Negatur, quod ex mea ſententia ſequatur, Scripturam falſum docere, & ſatis me ab illa ſequela puto liberaſſe, coram omnibus rerum æquis æſtimatoribus, qui citra affectum judicare volunt; alios non moror, cum vix aliquid dici poſſit tam clarum, quod verborum captatores non in alium ſenſum trahere poſſint. Atque ita nihil habebunt Ethnici, quod contra auctoritatem Scripturæ uſurpare poſſint.

DCCXVI. Inſt. 12. B. p. 148. *Si dicas Scripturam quidem in naturalibus uti formulis, quæ præjudiciis innituntur, non in materiis fidei, audies, qui in minori eſt mendax, nec in majori fide dignus. 2. Deus eſt totus verax.*

Reſp. At ego nego & pernego, ſequi ex mea ſententia. Deum eſſe mendacem: vide iſtam ſequelam planè refutatam in ſequentibus; qui verò id tanquam meam ſententiam conatur mihi attribuere, cum non poſſum non columniæ atrociſſimæ reum habere.

DCCXVII. Inſt. 13. B. p. 149. *Si diſtinctione locutionum in Acroamaticas*

Digitized by Google

maticas & Exotericas in medium procedas, riſum movebis adverſario, illam non recipienti.

Reſp. Imò riſum movebit adverſarius eam rejiciens, cum ſit manifeſtiſſima, uti ſuprà demonſtratum.

DCCXVIII. Inſt. 14. B. p. 149. *Si ad probandum dogma aliquod Anti-Pontificium urgere velis verba Scripturæ ſacræ, audies ſenſum verborum illorum à cognitione rei ipſius dependere, veritatem autem cognoſci judicio Pontificis Romani, plane ut hîc ſenſum verborum ſacræ Scripturæ in naturalibus vis dependere à veritate Philoſophicâ, quam Carteſius docet.*

Reſp. Ineptiſſimè Pontificii ſic eſſent excepturi, cum ſtatuam cum noſtris, ſenſum Scripturæ verborum debere per media interpretandi cognoſci, qualia ſunt ſcopi conſideratio, antecedentium & conſequentium collatio &c. nec ullibi dixerim, ſenſum verborum Scripturæ dependere à veritate Philoſophicâ.

DCCXIX. Inſt. 15. B. p. 149. *Alios adverſarios auctoritatem Scripturæ quidem admittentes, ſed in materiâ fidei errantes, poſitâ hâc ſententiâ, quomodo ſis conſtricturus videre nequeo.*

Reſp. Hoc ſimili ratione fiet, quâ ſuperiores conſtrinxi, oſtendendo, eos prave ex mea doctrinâ concluſiſſe, quod ex eâ nullatenus educi poteſt; nimirum, Scripturam falſum docere in rebus naturalibus, vel mentiri &c. adeoque malè ea tanquam certa ſupponere, cum à me planè rejiciantur. Sic ergo nihil periculi erit contra adverſarios, quando indubitata auctoritas Scripturæ in omnibus retinetur, quod ego facio, cum inter nos de ſenſu locorum Scripturæ ex ipſo textu colligendo ſit quæſtio, non de auctoritate & veritate Scripturæ. Atque hoc eſt πρῶτον ψεῦδος adverſariorum, ſi non πρώτη διαβολὴ, *agi de auctoritate & veritate Scripturæ*, ſtentoreâ voce clamantium.

DCCXX. Inſt. 16. M p. 250. *Et ſecundum te, Scriptura loquitur ſecundum erroneam opinionem vulgi de rebus moralibus & practicis cap. 7. art. 1. de articulis fidei ratione aliquomodo cognoſcibilibus cap. 10. art. 1. de veritate Chriſti cap. 7. Joh. V. 31. de redemtione per ejus ſanguinem cap. 7. art. 14. Itaque verborum proteſtatio diſerte contradicit factis.*

Reſp. 1. Ipſe adverſarius dicit, *quatenus Sp. S ſalvâ veracitate ſuâ falſas opiniones aliorum poſſit referre, & ad tempus abſque ſpeciali refutatione præmittere, ſæpius ni fallor, dictum eſt.* Ergo apparet, poſſe id fieri ſalva veracitate, quod eſt illud ipſum quod ego intendo; ergo non hîc negavi ſimpliciter, Scripturam etiam circa res morales &c uti phraſibus innitentibus apparentiæ & opinioni erroneæ ſuper eâ fundatæ, quod ſuis locis ex-

plicui, ſed nego iſtius Maj. Connexionem: Si Scriptura circa res naturales adhibet formulas præjudiciis ſenſuum & infantiæ innitentes, Ergo idem facit circa res fidei. Hæ enim conſequentiæ quidem ſunt legitimæ: Si de rebus moralibus & practicis loquentes Scripturæ ſæpe uſurpant locutiones correſpondentes vel ſimpliciter opinioni, vel externæ apparentiæ aut opinioni, quæ ſuper externâ apparentiâ fundata eſt, ergo Scripturę non repugnat, ut utatur formulis receptis circa res naturales etiam in præjudiciis fundatis. Item: ſi Scriptura loquens de Deo multas adhibet phraſes, quæ præjudiciis infantiæ & ſenſuum innituntur, atque veritatem relatam ad homines & præjudiciis involutam referentes, Ergo multò minus ejus auctoritati & veritati repugnabit, ſi idem faciat circa res naturales; quia per ſe patet, ſi harum formularum uſus læderet auctoritatem Scripturæ, maximè læderet in rebus fidei, ubi maximè ea neceſſaria, adeoque minus eſſent ibi uſurpandæ: ſed non vice verſa poſſum colligere: ſi Scriptura de iis, quæ non pertinent ad inſtitutum formulis vulgaribus utitur, Ergo ſimiliter de iis quæ ad inſtitutum pertinent. Hoc ex priori illo ſequi nego: quia non licet dicere, ſi minus non lædit, Ergo nec majus; ſed ſi majus non lædit, quod maxime videbatur læſurum, ſequitur etiam minus non lædere. Et de iis, quæ ad inſtitutum pertinent debet ita loqui, ut quamvis alicubi utatur formulis vulgaribus, tamen, (ut loquuntur adverſarii,) alibi ſe explicet, de rebus verò naturalibus tali explicatione accuratâ non eſt opus.

DCCXXI. Inſt. 17. M. p. 203. *Si Spiritus Sanctus errores Ethnicorum circa Scriptura veritatem tenetur eximere, non tenetur ponere obicem, quod faceret res multas falſas aſſerendo.*

Reſp. Omnino hunc obicem eſſe futurum concedo, ſed nego, hanc meam eſſe ſententiam, cum integro capite hanc ſequelam ex meâ ſententiâ non fluere ſatis manifeſte oſtenderim.

DCCXXII. Inſt. 18. M. p. 203. *Anne propterea, quod Scriptura non tenetur eximere errores, qui de rebus naturalibus cogitantur, quando loquitur ſecundum erroneam opinionem hominum, non erit naſus cereus? quomodo iſta cohærent?*

Reſp. Argumenta fuerunt duo artic. 704. propter affinitatem conjuncta, ad quorum poſterius, (quod tale erat: *ſi in Phyſicis verba facilia, ut tropos vel phraſes loquendi noſtro modulo accommodatas exponere nobis liceat, Ergo etiam hoc licebit in rebus Theologicis & materiis fidei*) recte oſtenderam, negari conſequentiam ob rationem diſparem hanc: quia Scriptura tenetur eximere errores circa res Theologicas & fidei, adeoque ita loqui, ut

ut,quamvis aliquando formulas vulgares adhibeat, tamen ex aliis locis cognoſcatur accurata veritas, ſecùs ſe res habet in naturalibus.

DCCXXIII. Inſt. 19. M. p. 206. *Si Scriptura alicubi de Deo & attributis ejus utitur formulis accuratis, nihil morans captum vulgi, tum alicubi animus plebejus crucem figeret, aut in iis locis, in quibus de Deo & ejus attributis minus accurate loquitur, id præter neceſſitatem agere cenſendum erit; quoniam ſi neceſſitas compelleret, in uno loco æque ac in alio faciendum fuiſſet.*

Reſp. Dixi equidem, Sp S. de rebus naturalibus loquentem voluiſſe uti formulis vulgaribus, ne crucem vulgo figeret, recedendo à receptâ loquendi conſuetudine, ubi accuratam veritatem ſignificari non erat neceſſe: at alia eſt ratio Dei & attributorum ejus; ibi etſi Scriptura etiam locutionibus vulgaribus utatur, quando accuratam veritatem ſignificari non eſt neceſſe, tamen quoniam aliquando eſt neceſſe accuratam veritatem ſignificari, opus etiam eſt, ut Scriptura formulis accuratis utatur.

DCCXXIV. Inſt, 20. M. p. 206. *At etiam res morales & practica articulos fidei concernunt, de quibus tamen dicis, uſurpari formulas innitentes opinioni ſuper externa apparentia fundatæ: ſi enim nullos fidei articulos concernunt, tum omnis tractatio de vivendi ratione, de virtutibus & vitiis ex fidei doctrinæ limitibus planè exterminabitur.*

Reſp. Per fidei articulos intelligo ſtricte ſic dictos, hoc eſt, ſola revelatione cognoſcendos, uti ſatis explicatum, cùm aliàs non neſciam, omne quod docetur in Scripturis eſſe fide acceptandum, adeoque etiam qua virtutes & vitia concernit, quoniam omni illi propter divinæ auctoritatis teſtimonium aſſentimur, quod tamen quatenus ex lumine rationis cognoſcitur & per eam demonſtratur, ſcientiæ ſive certæ cognitionis nomen ſortitur.

DCCXXV. Inſt. 21. B. p. 147. *Eundem modum exponendi ſacras literas, etiam in materiis fidei, ut in attributis Dei, Melchiſedeco, verbis Chriſti Joh. V. 31. 1 Pet. II. introducere conaris, nec te mere intra terminos naturalium contines.*

Reſp. Quomodo illis argumentis utar ſalvâ Scripturæ auctorit. & verit. videat lector ſuis in locis. Hîc tantum dixi, de rebus Theologicis ita debere loqui Scripturam, ut, etiamſi non omnibus formulis accuratam & ſpecialem veritatem deſignet, id tamen faciat aliquibus, cum ejus ſit ſcopus eas docere.

Digitized by Google

Caput XXXIV.

Objectio tertia deſumta ex Joh. xvi. 13. cum inſtantiis proponitur & refutatur.

DCCXXVI. Sequitur Objectio tertia contra noſtram ſententiam, quam deſumimus ex S. p. 402. *Cùm Apoſtolis Chriſti, & in eorum perſona omnibus amanuenſibus Sp. S. hæc promiſſio facta fuerit Joh.* xvi. 13. *Spiritus ille veritatis dux via vobis erit in omnem veritatem: quis eſt qui exiſtimet citra blaſphemiam in Sp. S. dici poſſe, quod ſuos amanuenſes, quotieſcunque aut ex profeſſo, aut incidenter de rebus naturalibus verba facturi erant, non erudierit de ipſa veritate, ſed ſolummodo monuerit, quid ab errante vulgo ſtatueretur?* Similia habet p. 406. *Accommodat ſe quidem Scriptura noſtro captui & infirmitati, ſic tamen, ut non deſinat eſſe veritatis Spiritus, quo elogio ſane condecorari non poſſet, ſi ſic ſeſe demitteret ad noſtram infirmitatem, ut cum mentientibus mentiretur, cum errantibus erraret.*

DCCXXVII. Reſp. Verba Chriſti Joh. xvi. 13. ſunt intelligenda ſecundum ſubjectam materiam, & vox *omnis* ſecundum illam reſtringenda. Dixerat Chriſtus verſu præcedenti, *ſe habere multa dicenda ſuis diſcipulis*: at an illa erant veritates Phyſicæ? non utique; ſed veritates cœleſtes de Euangelio Chriſti, quod debebant annunciare per totum mundum. Illa ergo Sp. S. erat ſuppleturus, & reipſa ſupplevit, habemuſque in ſcriptis Apoſtolicis conſignata, in quibus rerum naturalium ſcientificam explicationem non reperimus. Et ita Belgæ Interpretes: *in alle waerheyt*] *namelijck die u noodigh ſal zijn te weten tot uytvoeringe van u ampt, Matth.* xxv. 19. *alſoo dat ghy de ſelve niet alleen ſult weten, maer oock in het leeren der ſelve niet en ſult konnen dwalen*, id eſt, *in omnem veritatem quæ vobis ſcitu erit neceſſaria ad muneris veſtri functionem, Matth.* xxviii. 19. *ita ut illam non ſolum ſciatis, ſed etiam in ea docenda errori non ſitis obnoxii futuri.* 2. Non ergo eſt ulla inter hæc connexio: Sp. S. vos ducet in omnem veritatem cœleſtem: Ergo ubi incidenter agit de rebus naturalibus, formulis utetur talibus, quæ earum nudam veritatem proponant, nullis involucris opinionum à fallaciis ſenſuum obtectam. Sed potius, quia hic erat Sp. S. ſcopus, veritatem cœleſtem docere non tantum eruditos, ſed etiam plebejos homines, de rebus naturalibus vulgarem & communem notitiam tantum habentes, noluit ſe occupare in rerum natura-

lium

Digitized by Google

lium explicatione philoſophica, ſed ad ſcopum ſuum collimans, dum incideret in res naturales, ſatis habuit uti formulis ex vulgari notitia ortis, etiamſi ea aliquando erronea eſſet. 3. Quare nulla blaſphemia in Sp. S. committitur, cum non negetur, id Sp. S. potuiſſe, ſed tantum aſſeratur, id illum pro ſingulari ſapientia noluiſſe, uti ſuperius ex Calvino & Paræo vidimus. 4. Nihil veracitati Sp. S. detrahitur per noſtram aſſertionem; non enim, ut ſupra notavimus, etſi cum vulgo loquatur, etiam cum eo ſentit, nec errat cum errantibus, ſed uſurpando formulas dictas, veritatem generalem per eas docet, de præjudiciis verò quibus innituntur κρίσιν ſuam non inſtituit.

DCCXXVIII. At inquit: *Si tua obtineat ſententia, ſequetur Sp.S. cum mentientibus mentiri & cum errantibus errare.*

Reſp. Negatur iſta ſequela, cujus infirmitas ſufficienter poteſt cognoſci ex cap. 30. in quo oſtendimus, Scripturam per formulas tales vulgares errorem non teſtari; ſed tamen ut evidentius id hic appareat, conſideremus tantum, quid ſit mendacium, ex quo apparebit, ejus definitionem non poſſe Sp. S. ſermonibus ex noſtra ſententia applicari. Mendacium ab Auguſtino libro contra Mendac. ad Creſcentium ita deſcribitur: *Mendacium eſt falſa ſignificatio cum voluntate fallendi*, & à Wollebio lib. 2. cap. 13. *Mendacium eſt, quo falſum animo fallendi verbis factiſque ſignificatur.* At per illas locutiones à Sp. S. adhibitas nec falſum ſignificatur, nec animus fallendi adeſt: Ergo. Quid per eas ſignificetur, & jam dictum & porrò dicetur, nempe verum, ſed generale & latens ſub involucro præjudicii, quod non conſignificatur, ſed à vero eſt devolvendum.

DCCXXIX. Inſt. 1. M. p. 207. *Meas reſponſiones ad hoc argumentum, ad unum omnes ne vim ejus quidem attingere.*

Reſp. Id judicandum relinquimus lectori.

DCCXXX. Inſt. 2. M. p. 208. *Promittitur Spiritus Sanctus qui eos ducturus ſit in omnem veritatem & conſequenter in nullam falſitatem, quod fit locutione falſi.*

Reſp. Promittitur Sp. S. qui eſt ducturus in omnem veritatē, hoc ſenſu, ut nullā non veritatem cœleſtem & ſalutarē ſit docturus. 2. Ex mea ſententia non ſequi, Sp. S. in falſitatem homines deducere cap. 32. oſtendi.

DCCXXXI. Inſt. 3. M. p. 209. *At dum probare allaboras, Sp. S. non debere plebejis crucem figere, ſive obſtaculum cognitioni objicere, ipſe Spiritui Sancto crucem manifeſte figis, dum illum huc adigis, ut non poſſit ullibi ex ſtricta rei veritate loqui, ubi quidem illa opinioni vulgi repugnat, niſi velit audire, plebejorum cognitioni obſtaculum objeciſſe.*

Digitized by Google

Reſp. Negatur, me hîc velle quicquam præſcribere Spiritui S. Id agit ipſe pro ſapientia ſua, ut ſeſe accommodet ad captum, &, ubi non opus eſt, nullam difficultatem injiciat, uſurpando formulas inuſitatas, ad veritatem ſcopo ſuo convenientem ſignificandam, & proinde non intelligibiles.

DCCXXXII. Inſt. 4. M. p. 210. *Blaſphemia ſaltem proximum eſt, ſtatuere: Sp. S. in omnem veritatem ducturum cœleſti veritati propugnandæ falſa naturalia admiſcere debuiſſe. 2. Spiritum veritatis ex veſtrâ hypotheſi non potuiſſe in naturalibus ſemper accuratam veritatem loqui.*

Reſp. At calumnia eſt, hoc mihi affingere, quum ſatis oſtenderim, non ſequi, quod illis formulis voluerit falſitatem docere, vel teſtari: videatur cap. 32. in quo prolixè hæc objectio refutata. 2. Negamus, ex noſtrâ hypotheſi ſequi, non *potuiſſe* veritatem accuratam loqui, ſed tantum, *noluiſſe* uti formulis accuratis, idque ſapienter & convenienter ſuo inſtituto.

DCCXXXIII. Inſt. 5. M. p. 211. *Mendacium nihil aliud eſt, quàm Enunciatio falſa ſcienter facta, hujus enunciationis effectum eſt decipere, hoc autem ſive proferens intendat, ſive non, definitionem mendacii non mutat.*

Reſp. Intentionem fallendi ad mendacium requiri ex Auguſtino & Wollebrio ſupra vidimus. Quod ſi hęc M. ſit ſufficiens definitio mendacii, etiam ironiæ mendacia erunt dicendæ, cum ſint enunciationes falſę ſcienter factæ: Effectus verò decipiendi nihil quicquam ad rationem formalem mendacii facit, cum ille merè ſit eventualis, nec ſemper, nęc neceſſariò mendacium conſequatur. Sic ſunt mendacia in Deum, qui tamen decipi nequit, ſic mentitur qui coram ſapiente, vel aliter de re informato rem falſam contra animi ſententiam animo decipiendi, ſive fide ſuâ interpoſita narrat, etſi talis actu non decipiatur.

DCCXXXIV. Inſt. 6. M. p. 9. *Si Spiritus S. iſtis formulis loquendi aliud proferat, aliud intelligat, & ſentiat, tum incurrit in formale vitium mendacii.*

Reſp. Qui ita loquitur, ut per ſuam loquelam aliquid ſignificet, cujus contrarium ſentit, intentione decipiendi, eum mentiri dicimus, ſed negamus, id facere eum qui utitur formulis receptis. Sp. S. ergo per iſtas formulas profert, hoc eſt, ſignificat veritatem generalem, quam etiam in mente concepit, non verò præjudicium, quod in medio relinquit.

CAPUT

CAPUT XXXV.

Objectiones quarta & quinta, quarum illa deſumitur à potentia & voluntate Dei, hæc à comparatione Dei cum artificibus manuariis, proponuntur & refelluntur.

DCCXXXV. Sequitur Objectio Quarta S. p. 402. *Si ſtatuendum ſit, Spiritum Sanctum de rebus naturalibus loqui ex mente vulgi, aut non potuerit ſuos erudire de veritate rerum naturalium, aut ſi potuerit noluit. At neutrum dici poteſt. Prius ſi ſtatuatur, deſinit Sp. S. verus eſſe Deus, eo ipſo, quod non ſit omniſcius & omnipotens: Poſterius autem adverſatur titulo conſolatorio, quem paſſim in Scripturâ fert: nam ut præ invidia (abſit blaſphemia) videri poſſet nobis ſubduxiſſe, quod ad naturalia, veritatis patefactionem; ſic eo ipſo deſinit eſſe conſolator, quod menti ad veritatem anhelanti, videatur deſtinato voluiſſe crucem figere.*

DCCXXXVI. Reſp. Hoc dilemma nos non ſtringit, aperta enim eſt adhuc via, quâ ſine omni violentiâ facile poſſimus evadere. Concedimus libenter, potuiſſe Spiritum Sanctum quam accuratiſſimè enucleare naturam rerum naturalium. Quis enim verè Chriſtianus hoc audeat negare? cum enim ab illo res omnes habeant exiſtentiam & eſſentiam, eas utique cognovit, etiam antequam eſſent, in ſuis æternis ideis, ſecundum quas eas in tempore produxit: Et quî fieri poſſet, ut Sp. S. qui auctor eſt omnis luminis & dator omnis ſcientiæ, ipſe quædam ignoraret? 2. Dicimus itque, Sp. S noluiſſe per Scripturas nos erudire de rebus naturalibus, quoad ipſarum naturam interiorem, & attributa; cum & ad illarum rerum intelligentiam hominibus lumen naturę conceſſerit, ad quod cui vacet attendere, is poſſit exinde ſufficientem cognitionem naturæ rerum haurire, dummodo eo rectè utatur; & noluerit in Scripturis per formulas accuratas de rebus naturalibus adhibitas mentes rudiorum turbare, ne dicere poſſent, altiora hæc eſſe captu ſuo, uti ſuperius ex Calvino & Paræo didicimus. 3. Non ergo vel titulus conſolatoris Sp. S. propterea ſubtrahendus, vel invidiæ nota ipſi inurenda. Quid enim quæſo conſolationis ad homines redit, ſive putent, Terram moveri, ſive Cœlum; (niſi fortè dicas, ut jocóutar, ſi putent Terram quieſcere, metum illis hunc eximi, ne fortè unà cum Terra in Cœlum ruant,) ſive ſciant, ſtellas majoris eſſe quantitatis, & lucem quoque in ſe habere, quàm Lunam,

nam, ſive contrarium exiſtiment. Eſt equidem Spiritus S. conſolator, ſed hoc ſuo officio fungitur, dum mentes miſeras ſenſu iræ divinæ dejectas erigit, ipſis dicendo: *Conſide fili mi, remiſſa ſunt tibi peccata tua*; dum moleſtias, quæ ipſis in hâc terrâ ſunt exhauriendæ, lenit, ſpe & exſpectatione vitæ æternæ, ex cujus conſideratione erumpunt cũ Paulo in has voces: *Reor, minimè pares eſſe præſentis temporis paſſiones gloriæ in nobis revelandæ*; dum luctantes cum metu, ne iterum excidant ſua ſalute, certos reddit, *nihil eſſe quod poſſit eos ſeparare à dilectione Dei quæ eſt in Chriſto Jeſu*. His & ſimilibus modis Sp. S. officio conſolatoris fungitur. Inſt. *At menti ad veritatem anhelanti crucem deſtinato videtur figere voluiſſe*. Reſp. Verum equidem eſt, quod omnes homines naturaliter ſcire deſiderent, ſed hoc deſiderium in his vel illis variè reſtringitur, dum vident, ſe non ad ſcientiam niſi multo ſudore & vigiliis pervenire poſſe, quas ſuſtinere vel nolunt, vel etiam non poſſunt, propter corporis vel mentis imbecillitatem, curam rei familiaris, aliaſque cauſas, ut non multum ſint ſolliciti, qui fiat, quod magnes trahat ferrum, quæ cauſa æſtus marini, unde ſalſedo maris oriatur &c. imò vix unquam de iis cogitationem ſuſcipiant, aliis negotiis impediti: etſi autem in quibuſdam remaneat deſiderium cognoſcendi viam ſalutis, illis ſufficienter ſatisfit in Scriptura ſacra; cui verò præterea volupe eſt opera Dei accuratè cognoſcere, ei lumen naturale eſt conceſſum; quo ſi rectè utatur, ut judicium ſemper ſequatur perceptionem, ſaltem ab errore poteſt eſſe immunis, & ad multarum rerum naturalium cognitionem accuratam pervenire.

DCCXXXVII. Objectio quinta S. p. 403. *Sententia hac*, inquit, *è diametro pugnat cum intentione cujuſcunque doctoris, abjectiſſimi quoque, atque ex tribu mechanicorum; quis enim ex omnibus illis, qui non quemcunque ex ſuis diſcipulis, ſaltem nitatur manu ducere ad eam veritatem, quam in arte ſua cenſetur exploratam habere? ſecus qui faciunt, invidi, ſi non malefici haberi debent. Sed, ſi audiantur illi, quos obiter hîc notamus, ſpiritus Sanctus hac in parte inferior cenſendus fuerit viliſſimo aliquo artifice?*

DCCXXXVIII. Reſp. 1. Si hoc argumentum aliquam vim habere debeat: Ergo pariter inferet, debere omnes veritates Phyſicas, Mathematicas &c. in Scriptura doceri, quod quàm abſurdum ſit nemo non videt. Si enim Spiritus Sanctus debet docere omnem veritatem, quam cenſetur exploratam habere, cum omnes habeat exploratiſſimas; nulla erit, quæ in Scriptura non ſit quærenda. Sed ſi hoc ſit intelligendum de veritate, quæ facit ad ſcopum Artificis & quæ propria eſt iſtius artis, quam profitetur: Ergo cum ad ſcopum Spiritus Sancti ſufficiat

veritas.

Digitized by Google

veritas Euangelica de reconciliatione gratuitâ hominis peccatoris coram Deo, & quæ ei ſunt connexæ, ſufficit, illas veritates à Spiritu doceri, quod ab eo fieri quàm pleniſſimè, ſtatuimus: quid verò faciant ad iſtum ſcopum veritates Phyſicæ ex. gr. *Terram moveri, Lunam eſſe minorem ſtellu* &c. & cur non ſine iis ſcopum ſuum obtinere poſſit, equidem non video. Quemadmodum enim ſufficit artifici Mechanico, ſi uſum inſtrumentorum, in artis exercitio neceſſariorum diſcipulo ſuo monſtret: ex. gr. fabro ferrario, ſi uſum mallei, incudis & aliorum inſtrumentorum, dexteramque eorum applicationem oſtendat, etiamſi non doceat, quæ ſit natura ferri, quænam ejus generatio &c. quamvis etiam ſciat fortè, diſcipulum erroneas de materiâ, formâ & conſtitutione inſtrumentorum fovere opiniones: ita etiam ſufficit Spiritui Sancto ſi oſtendat, quomodo res naturales nos ducant ad cognitionem Dei, ſapientiæ ejus, bonitatis & potentiæ, ad quod ſufficit cognitio, quæ de iis per ſenſus haberi poteſt, quamvis errores quoſdam habeat adjunctos. Inſt. At dicas: *ſaltem nihil falſi debet tradere.* Reſp. Concedo, non debere docere aliquam falſitatem, quod cum non facere cap. 32. oſtendi; at nego, propterea non poſſe aſſumere locutiones vulgares ab opinione falſâ deſumtas, iiſque incidenter uti: non enim tenetur falſitatem ubique refutare, ſed poteſt eam in medio relinquere, & interim cum vulgo loqui, ne ille turbetur, & rem quam principaliter Scriptura tractat, intelligere queat. 2. Non ergo inferior erit cenſendus Spiritus Sanctus hâc in parte quovis viliſſimo artifice, cum veritates cœleſtes, quæ propriæ ſunt iſtius artis, voce artis generaliter accepta, quam in Scripturâ Sacrâ tradit, ſufficientiſſimè, dexterrimè & ſapientiſſime explicet, ita ut in illâ explicatione nihil poſſit deſiderari; de rebus naturalibus etiam tantum delibet, quantum opus ad ſalutarem rerum divinarum cognitionem.

Digitized by Google

CAPUT XXXVI.

Objectio ſexta à puritate Scripturæ divinæ deſumta proponitur & refutatur.

DCCXXXIX. Sextæ Objectionis loco ſunt ea, quæ habet S. p. 403. *Quod ſcriptum cenſeri debet puriſsimum, atque ab omnibus ſordibus, nævisque defæcatum, in eo non debet notari quid falſi, aut quod ſerviat corroborando errori; Sed talis eſt Scriptura. Conſequentia eſt certiſsima. Quis enim ſcriptum illud purum & defæcatum eſſe cenſeat, in quo, ſive ſtudio ipſius auctoris, ſive per imprudentiam ejuſdem, ſive quâcunque aliâ ratione errores aliqui commiſsi notantur? Minor verò ex pluribus Scripturæ textibus probari poteſt: ex quibus hi præcipui Pſal.* XII. 7. *Dicta Jehovæ dicta pura; argentum purgatum in catino lectiſsimo Terræ. Pſal.* XIX. v. 9. *Præceptum Jehovæ purum illuſtrans oculos. Prov.* XXX. 5. *Totus ſermo Dei purgatiſsimus eſt.* 1 *Pet.* II. 2. *Lac ſermonis ſincerum. Apoc.* XIX. 9. *Verba Dei vera ſunt. Neceſſum ergo periculoſa ſententiæ Patroni, quod major propoſitio invicti ſit roboris, in dubium vocent aſſumtionem, ac pariter ipſius Scripturæ infallibilem Auctoritatem.*

DCCXL. Reſp. 1. Purum variis modis accipi poteſt: Eſt enim 1. mundum ſive, quod à ſordibus corporis eſt liberum; 2. purum eſt, in quo nihil eſt heterogenei admixtum, quod non ſit ejuſdem naturæ ſpecificæ cum eo, cui puritas tribuitur. Sic aurum & argentum vocantur pura, non tantum ſi nullas habeant ſcorias, ſed etiam ſi non ſint colliquata cum aliis metallis. 3. purum accipi poteſt pro vero, cui nulla eſt admixta falſitas. 4. pro ſancto, cui nullum vitium, nulla macula adhæret. 5. pro ſimplici, nudo: ut purus homo, qui non eſt Deus. Prior ex his ſignificationibus Scripturæ applicari non poteſt: ſecunda ſignificatione Scriptura eſt pura, non ex parte, ſed in totum, quatenus ſola Dei verba revelata proponit, nihilque traditionum vel commentorum humanorum habet admixti: tertia ſignificatio etiam locum habet, quia nihil quod in ea traditur & *docetur, credendumque proponitur*, eſt falſum, ſed pura puta veritas: de quarta ſignificatione res eſt certa; ſanctiſſima eſt Scriptura, à Deo quippe ſanctiſſimo & fonte omnis ſanctitatis profecta: quinta item ſignificatio applicari Scripturæ poteſt, quatenus eſt verbum ſolius Dei, non hominum. Diſquirendum itaque reſtat, *num ad puritatem Scripturæ requiratur, ut non proponatur linguâ aliquâ vulgari, in qua ſunt multæ locutiones vulgares à com-*

à communi loquendi uſu deſumta, erroneis opinionibus innitentes, à ſenſuum præjudiciis plerumque hauſtis? aut, ſi proponatur linguâ vulgari, an ſaltem omnes tales locutiones evitari debeant, imò, ubi occaſio fert, in contrarium ſermo vertendus, errorque vulgaris notandus & refutandus? Nos dicimus, hoc modo nihil quicquam puritati Scripturæ decedere: ſi enim ſic quicquam decederet puritati Scripturæ, non fuiſſet illa exaranda lingua aliqua vulgari recepta, qualis Hebræa & Græca & quævis aliæ; multas enim eſſe locutiones vulgares in Hebræa & Græca lingua, nimis quam clarum eſt, & ſuperius ex Junio ad Deut. III. didicimus, qui inquit, Scripturam Veteris T. loqui, *quemadmodum Hebræi loquuntur populariter.* Invenienda ergo fuiſſet nova lingua, in qua voces accuratiſſimè rebus reſponderent, omneſque vulgares locutiones fuiſſent exterminatæ. Sed à quo intellecta fuiſſet? ſaltem vulgus fidelium, cujus tamen uſui eſt tradita, vix quicquam in ea profeciſſet. Si verò debuiſſet ſemper, ubi occaſio ferret, loco locutionum vulgarium uſurpare accuratas, & errores vulgares refutare, major perturbatio fuiſſet orta, quam ſi ſcriptores N. T. à verſione vulgata 70. in omnibus debuiſſent recedere, per quam cauſam à Riveto & Voetio Apoſtolicum hoc factum defenſum fuiſſe ſuperius cap. 30. art. 660. vidimus, quemadmodum hoc jam aliquoties monuimus. Diſtinguamus ergo hic res enunciatas & modum enunciandi. Res enunciatæ in Scripturâ à Deo nobis credendæ & faciendæ propoſitæ, ſunt purum Dei verbum. Modum enunciandi etiam quod attinet ipſarum linguarum originalium reſpectu, eatenus Scriptura etiam eſt verbum Dei, quatenus omnia & ſingula verba cenſemus à Spiritu S. eſſe inſpirata: ſed ſi in illo modo enunciandi conſideres, reperiri formulas loquendi vulgares & receptas, etiam innitentes opinionibus erroneis, dicimus, eo ſenſu non eſſe purum Dei verbum, ſi ſpectes tantum Dei naturam, quomodo ab ipſo proficiſci potuerit & debuerit conformiter divinæ naturæ, ſi forte Angelis tantum loqui voluiſſet, cum ſe accommodare voluerit ad hominum naturam, quibuſcum ipſi eſſet negotium. Sed abſolutè loquendo hoc nihil de puritate decerpit; ſi enim concionatorum verba dicantur purum Dei verbum, quatenus conſentiunt cum Sacrâ Scripturâ, etiamſi modus proponendi planè ſit humanus, multo magis purum Dei verbum dici poteſt id, quod tum quoad res ennnciatas, tum quoad modum enunciandi à Deo eſt profectum, quamvis locutionibus utatur vulgaribus, quæ commodè evitari non poſſunt. Major itaque Objectionis propoſitæ, quæ invicti habetur roboris, hoc modo limitata non procedit: ſi Scriptura habet quaſdam locutiones vulgares ab

errore

Digitized by Google

errore deſumtas, quem non refutat, eoque refutato veritati convenienter loquitur: Ergo non eſt pura. Oſtendimus enim, hoc puritati Scripturæ nihil detrahere.

DCCXLI. 2. Quod ſi ſpeciatim loca allata conſideremus, videbimus ea parum ad rem facere. Pſal. XII. verſ. 6. præcedente, Dominum ipſum induxerat dicentem: ſe jam ſurrecturum & populo ſuo vaſtato & afflicto ſalutem allaturum, id v. 7. confirmat, oſtendendo, verbo Dei omni dubitatione rejectâ, quam firmiſſimè & ſecuriſſimè eſſe credendum & innitendum. Sermo eſt ergo de veritate promiſſionum divinarum: unde non ſequitur, verbum Dei in locutionibus de rebus naturalibus & aliis nullam formulam vulgarem errori vulgi innitentem adhibere debere. Pſal. XIX. v. 9. oſtenditur, ex verbo Dei regulam vitæ poſſe hauriri, ut non opus ſit commentis & figmentis humanis; cui non adverſatur, ſi verbum Dei circa alia loquatur populariter ſenſu ſæpius dicto Proverb. XXX. 5. quia præcedenti verſu oſtenſum fuerat, ſapientiam & viam ad ſalutem cognitu eſſe difficilem, hoc verſu remedium huic difficultati docetur eſſe paratum per verbum Dei, quod ſit purum & immaculatum & ab omnibus commentis liberum; atque inde nihil magis contra nos infertur, quam ex præcedenti loco. Similiter 1 Pet. II. 2. nihil aliud indicatur, quam, ſi velimus augeri & creſcere incremento Spirituali, nos non alio nutrimento debere uti, quam verbo Dei ab omnibus humanis commentis ſejuncto. Apoc. XX. 9. dicitur, quod verba illa præcedentia, quibus vocatis ad cœnam ſpiritualem ſalus promittitur, ſint vera & firma, ut tuto quis iis inniti poſſit, & ad cœnam illam ſpiritualem ſine metu accedere. Cui veritati nihil decedit, etiamſi verbum Dei per occaſionem in declaratione iſtius vocationis & ſalutis, quæ continetur in toto Canone V. & N. Teſtamenti, aliquando incidat in locutiones vulgares, atque adeò minùs accuratas, quemadmodum ſatis oſtenſum in reſponſionibus noſtris ad objectionem primam.

DCCXLII. Inſt. 1. M. p. 113. *Si concedas in ſecunda, tertia, quarta, & quinta ſignificatione Scripturam eſſe puriſſimam & purgatiſſimam, tuam ipſius ſententiam jugulas: quod ſic patet 1. quod ita purum, ut nihil commenti humani ſibi admixti habeat, illud non poteſt dici ullas falſitates ad captum vulgi compoſitas continere. Quid enim iſtæ falſitates ſint aliud quam commenta ingenii vulgaris. Item. Saltem non poſſet dici puriſſimum.*

DCCXLIII. Reſp. Hæc rectè ſe habent bene intellecta, ſed nobis non repugnant. Commenta humana admiſcentur divinis verbis, quando ea docentur tanquam divinum verbum, quando aſſeruntur, quando

quis

Digitized by Google

quis ea conatur perſuadere, quod non facit Scriptura, ſed utitur tantum formulis, quæ originem habent ex commento humano, eas quia receptæ ſunt, non immutando; unde nihil commenti humani admiſcetur, niſi velis dicere verba hominum recepta non debuiſſe uſurpari in ſacris literis, quod abſurdum.

DCCXLIV. Inſt. 2. M. p. 213. *Si ſecundum tertiam puri ſignificationem omnia quæ in Scripturis docentur & ad credendum proponuntur, ſint pura puta veritas, tum omnia quæ in ea traduntur ſunt talia &c. omnia itidem quæ in ea traduntur etiam docentur 2 Tim. III. 16. Rom. XVI. 4.*

Reſp. Omnia quæ traduntur in Sacrâ Scripturâ ſunt vera & pura ſine omni falſitate: atqui ea demum poſſunt dici tradi in ſacris literis, quæ Sp. S. vult in iis ſignificare; ſenſus Scripturæ legitimus eſt id, quod tradit Scriptura, in quo nihil falſitatis reperiri dicimus.

DCCXLV. Inſt. 3. M. p. 213. *Si juxta quartam ſignificationem Scriptura ſit ſanctiſsima, eſt etiam veriſsima.*

Reſp. Hoc nihil contra me, cùm Scripturæ veritatem nullatenus in dubium vocem, & hunc totum laborem ſuſceperim ad conciliandam ejus veritatem cum ſententia Carteſii.

DCCXLVI. Inſt. 4. M. p. 215. *Statum controverſiæ eſſe: An ad Scripturæ puritatem requiratur, ut nullas locutiones contineat in ſe quidem falſas, ſed opinione tantum vulgi veras. Item p. 219. Quæſtionem eſſe an Scriptura poſsit loqui quod in ſe erroneum eſt, quod nego.*

Reſp. Hunc ſtatum controverſiæ non eſſe, oſtenſum 20. capite, adeoque toto Cœlo aberrat adverſarius.

DCCXLVII. Inſt. 5. M. p. 216. *In Hebræâ & Græcâ linguâ omnia tam accurate poſſunt exprimi, quàm nova Philoſophia Carteſiana omnia potuit accurate exprimere lingua Latina multo his imperfectiori.*

Reſp. Vaniſſimum effugium, quis enim hoc neget? aut quis non concedat, ſi Spiritus S. voluiſſet philoſophiam conſcribere, quin potuerit Græcâ & Hebræâ linguâ, imò quâvis aliâ, omnia non tantùm tam accuratè, ſed longè acuratiùs exprimere quàm Carteſius, ſed quia non voluit ultra cognitionem vulgarem procedere, non etiam opus habuit aliis phraſibus quàm ei convenientibus. 2. Non tamen poſſunt ullâ in linguâ res accuratiùs exprimi, quàm ejus phraſes à vulgo inventæ permittunt; unde & Carteſius non ſemper potuit reperire verba ſatis philoſophica, ſive accuratè rerum veritatem exprimentia, ſed coactus fuit interdum loqui cum vulgo.

DCCXLVIII. Inſt. 6. M. p. 217. *Res enunciata proprie non eſt verbum*

Digitized by Google

bum Dei, ſed ipſa rei enunciatio; modus enuntiandi & verba ac phraſes enuntiata ſub verbi divini appellatione veniunt.

Reſp. Imò verò propriiſſimè. Nonne enim id eſt verbum Dei quod à Deo pronuntiatur: at tale procul dubio eſt res enunciata. Nonne id eſt verbum Dei quod Deus nobis ſignificat? Quòd ſi hic verborum debeat eſſe ſenſus, non ſolùm rem enunciatam, ſed etiam modum enunciandi, quatenus omnia & ſingula verba à Spiritu S. ſint inſpirata, eſſe à Deo, nihil mihi contradicitur, cùm hæc expreſsè docuerim art. 740.

DCCXLIX. Inſt. 7. M. 219. *Πάρεργα ſunt iſta explicationes locorum in objectione adductorum; niſi minorem velis negare.*

Reſp. Si πάρεργα ſunt atque nihil faciunt ad rem, quid opus fuit ut contra ea inſtantiæ formarentur? Sed ſi conſideretur, quomodo oſtenderim, ex illis dictis non ſequi, Scripturam non poſſe uti formulis vulgaribus in præjudiciis fundatis, apparebit non πάρεργα fuiſſe quæ de iis à nobis fuerunt adducta.

DCCL. Inſt. 8. M. p. 220. ad Pſal. XIX. *Ne gry quidem eſt in iſthoc textu de commentis humanis.*

Reſp, Ne gry quidem ergo vidit Calvinus, qui in Commentariis ad hæc verba ſic inquit: *In fine verſus, regulam divinæ legis puram eſſe & oculos illuminare, tradens ſubindicat, perperam aliunde peti boni & mali diſcrimen, quia vitæ puritatem inquinet ſuis ſecibus, quicquid ex ſe comminiſcuntur homines. Deinde cum toto ſuo acumine cæcos eſſe & ſemper in tenebris errare, donec ad cœleſtis doctrinæ lucem convertant oculos.* 2. Sed nonne hoc infertur ex illis verbis? Non enim poſſe verbum Dei eſſe certum & purum, ut ſimplices poſſit reddere vere ſapientes, ſi commentis humanis eſſet inquinatum.

DCCLI. Inſt. 9. M. p. 220. *Dato haberi quid de commentis humanis, fortiùs tamen ſententiam refellet. Si enim verbum regulam vitæ ita contineat, ut non opus habeamus commentis atque figmentis humanis; Ergo non opus habemus falſitatibus ad captum vulgi compoſitis.*

Reſp. Ad illud jam ſatis fuit reſponſum. Neque enim attingitur ſtatus controverſiæ. Tandem, dum M. p. 220. & p. 221. vindicare vult reliqua loca in objectione adducta, pugnat cum ſuâ umbrâ, ſumens ſibi oppugnandam ſententiam hanc, ac ſi mea eſſet, *Scripturam habere in ſe falſitates*, ſive falſa loqui, tradere, teſtari, vel ſignificare, quod ego non ſecus ac ipſe rejicio.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT .XXXVII.

Septima Objectio inde deſumta, quod poſitâ noſtrâ ſententiâ ſufficiens habeant hæretici fundamentum negandi, Chriſtum eſſe hominem.

DCCLII. Septimam Objectionem habet S. p. 404. *Si quid tribui mereatur ſententiæ, quam recentiores quidam mordicus tuentur in theſi quaſi, ſed pro hypotheſi Pythagoreo-Copernicana, vicerint Valentiniani, Marcionitæ, Baſilidiani, Anabaptiſtæ, Weigeliani, & quotquot negant Chriſtum Dei filium, veram humanam naturam aſſumſiſſe, ſi quidem, ut libro proximo vidimus, Marcion jam olim dicere ſolet, carnem & ea quæ ſunt hominis Chriſto in Scriptura tribui duntaxat ſecundum externam ſpeciem.* Homogeneæ ſunt his quæ habet B. D. p. 14. quando ſic inquit: *Marcion ejuſque Aſſeclæ negabant, Chriſtum fuiſſe verum hominem & eum hominem vocatum volebant, quia videbatur homo, non quod revera talis eſſet. Nemo noſtrum non abhorret ab illo modo interpretandi S. literas. At quomodo poßibile eſt tutari Orthodoxam S. Scripturæ interpretationem, contra illos, alioſque ſimilis farinæ hæreticos, niſi fundamentum jam poſitum, de non recedendo à proprio verborum ſenſu, abſque neceſſaria ratione firmiter retineamus? Et quis tandem abſurditatum finis, quæve porta hæreſibus quibuſcunque non aperietur?*

DCCLIII. Reſp. Non ita facilem concedimus his hæreticis victoriam, neque enim in Majori ulla connexio antecedentis cum conſequente, ob magnam diverſitatem dogmatum fidei & naturæ: nam 1. de Chriſto ejuſque naturâ humanâ agit Scriptura non incidenter, ſed ex inſtituto, eſtque illa doctrina propria Scripturæ, cum directè faciat ad ſalutem illam; ergò accuratè in Scripturâ explicari, negari non debet: at de rebus naturalibus agit incidenter, non ut earum naturam explicet, cum hoc ad ſalutem non requiratur, ſed ut per earum cognitionem, quamvis παχυλὴν ſive craſſam, nos ad Dei, ſive divinarum rerum cognitionem deducat. Adeoque 2. non tantum ſemel Scriptura carnis & oſſium Chriſti mentionem facit, ſed ejus conceptionem, nativitatem, educationem, converſationem diuturnam cum hominibus, ejus partes, animam & corpus, proprietates humanas &c. tam accurate deſcribit, ut hæc omnia attente conſideranti, mente à Sp. S. illuminatâ, non poſſit talis hæretica cogitatio in mentem venire; at non ſimiliter ex textuum circum-

Digitized by Google

ſtantiis, in quibus formulas vulgares dicimus uſurpari, patet, ea dogmata, quæ adverſarii ibi putant tradi, reperiri; quod ſi tam clare poſſit oſtendi, ut veritas humanæ naturæ Chriſti ex ſacris literis poteſt, nos his aſſenſum præbere non retragabimur. 3. In exemplis, quæ de rebus naturalibus adduximus, non tantum circumſtantiæ textus non requirunt, ut formulis, quæ præjudiciis innituntur, ipſa illa præjudicia doceantur, ſed & ſanior Philoſophia vel ipſa Scriptura oſtendit, præjudiciis involutam eſſe veritatem, quæ his formulis docetur; at ſimile quid hæretici circa loca humanam Chriſto naturam tribuentia dicere non poſſunt. Imò Philoſophia ſana ſupponens ea, quæ Scriptura de Chriſto tradit, ut, cum dicitur, quod nobis eſſe ſimilis quoad omnia debuerit, excepto peccato, elicit & concludit: Chriſto ergo veram naturam humanam, corpus finitum, locale & circumſcriptum competere.

DCCLIV. Inſt. B. p. 21. multa affert ad hoc argumentum Marcionis defendendum, ac inquit: *Quid ſi Marcion illam diſtinctionem non admittat. 2. Quid ſi neget in illis, in quibus ſacra literæ tantum incidenter agunt, magis licere abſque ratione recedere à proprietate verborum. 3. Quid ſi neget, illas tantum incidenter Phyſica & Aſtronomica referre ſine peculiari ſcopo. 4. Quid ſi probet ſacras literas etiam in materiis fidei tropicis loquendi modis uti, quod facile efficiet, ſi abſque cogente neceſſitate in Phyſicis liceat tropos effingere.*

Reſp. Ad primum & tertium. Quid ſi verò ego firmiter probaverò (ut factum cap. 3. & ſeq.) Scripturam rerum naturalium eſſentiam & interiorem conſtitutionem non explicare, nec propterea cognitionem earum accuratam ex ſacris literis hauriendam, nonne eo ipſo hæc diſtinctio ſatis cenſenda firmata? Ad ſecundum & quartum dico; quid ſi verò attulerim rationes, ex quibus appareat, non ſingulis verbis & phraſibus Scripturæ præciſe inſiſtendum, ſed ſcopum & circumſtantias textus inſpicienda, ut de mente Sp. S. certus eſſe queas? habebitne quicquam B. pro Marcione ad me ſolide refutandum?

DCCLV. Inſt. 2. B. p. 22. *Argumentum meum quod pro veritate carnis Chriſti adduxi, in ſeſe eſſe optimum, hoc fundamento poſito, de non recedendo à proprio verborum ſenſu abſque neceſſaria ratione.*

Reſp. At hoc ego fundamentum ſuppono: itaque optimum hoc eſt meum argumentum.

DCCLVI. Inſt. 3. B. p. 21. *At ferè Carteſiani infinita loca Scripturæ, quæ beſtiis vitam, ſenſum, cognitionem tribuunt, impropriè volunt intelligi, & vitam & ſenſum & cognitionem in ipſis negantes. Et tu ipſe vis cor ſumi pro*

Digitized by Google

anima per metonymiam ſubjecti propter errorem vulgi, credentis animam eſſentialiter reſidere in corde, cum illa phraſeologia plus centies in ſacris literis reperiatur.

Reſp. Carteſiani vitam & ſenſum non negant in beſtiis, ſed recte ea explicant. Videat lector D. Velthuſii *Naeder Bewijs &c.* pag. 105. & ſeqq. Cognitionem verò non aſſerunt in iis, quia vident omnes earum actiones ſufficienter per materialia principia poſſe explicari. At ego exinde non ſimpliciter argumentor, quod Scriptura non ſemel carnis & oſſium mentionem faciat, ſed quod ejus conceptionem, nativitatem, educationem &c. accuratiſſime deſcribat, quodque ex ſcopo & circumſtantiis textuum appareat, veram naturam humanam Chriſto attribui. An verò ſimpliciter & proprie cogitationem beſtiis Scriptura tribuit & an ſimiliter longe lateque cordis compoſitionem, functiones & proprietates deſcribit & ea occaſione ſedem animæ ſtatuit? Nihil ergo hoc meæ ſententiæ obeſt, quod cum inſignibus Theologis & Medicis, *Cor non eſſe ſedem animæ præcipuam*, defendam.

DCCLVII. Inſt. 4. B. p. 23. *At etiam attentè conſideranti loca Scripturæ, quibus motum Solis diurnum docent, non poteſt talis cogitatio in mentem venire, vid. quod non Sol, ſed Terra moveatur.*

Reſp. Imo verò attentè conſideranti circumſtantias textuum, non poteſt aliud in mentem venire, quam formulis receptis viciſſitudinem dierum & noctium exprimi; de præjudicio iſto, cui iſtæ formulæ innituntur Scripturam κρίσιν ſuam non inſtituere.

Caput XXXVIII.

Octava, nona, decima, undecima & duodecima Objectiones refutantur.

DCCLVIII. Objectionis octavæ loco eſſe poſſunt ea, quæ habet S. p. 406. *Verum quidem eſt, per Scripturam nos à rebus inanibus ad cœleſtia & perennia invitari, interim tamen propterea non debuit loqui de rebus naturalibus cum errante vulgo: ſic enim oſtenderet ſeſe delectari rebus inanibus, quid enim errore vulgi inanius cenſeri poteſt?*

Reſp. 1. Scriptura Sacra deſcendendo ad captum vulgi, ita ut uſurpet formulas à vulgo inventas & præjudicio innitentes, non propterea oſtendit, ſe delectari rebus inanibus, ſed tantum, ſe eo uſque etiam velle

Digitized by Google

demittere, ut, quemadmodum pater cum ſuis infantibus loquitur & balbutit, etſi ſciat iſtas formulas loquendi infantium non exacte quadrare ad veritatem, ita pariter nobiſcum balbutire velit: *ſapientia divina lætificat deliciis ſuis filios hominum.* Prov. VIII. 31. Is qui ſe accommodat alterius infirmitati, non propterea iſta infirmitate delectatur; ſed eam quidem vellet mutatam, ſi fieri poſſet: Sed Deus, quia alia media conceſſit, per quæ error circa res naturales tolli poſſit, lumen nempe naturæ, quo ſi quis rectè utatur certum eſt, non futurum erroribus obnoxium, eo ipſo velle cenſendus eſt, ut errores circa res naturales, quatenus ſunt quædam imperfectiones, tollerentur, attamen quia talis error, talis imperfectio ſaluti non obeſt, non vult eum per Scripturam tollere, quod aliàs proculdubio eſſet facturus, ſed tamen propterea non gaudet, non delectatur eo, ſed fert, tolerat. Et quemadmodum Deus ferendo divortium, & certas formulas ei præſcribendo, videbatur condeſcendiſſe Judæorum duritiei, ita hîc loquendo cum vulgo, ejus ruditati ſeſe accommodaſſe dicendus eſt; at inde vel divortio vel ruditate & erroribus eum delectatum fuiſſe non cenſendum. Sic Deus etiam tollere poſſet peccatum, an verò quia non tollit, cenſendus eſt eo delectari? Inſt. At dices; *ſic etiam confirmaret errorem.* Reſp. Ad hoc reſponſum peti poteſt ex primæ objectionis refutatione; nam etſi loquatur Scriptura cum vulgo, eam tamen cum eo ſentire, dici non debet.

DCCLIX. Nona objectio eſt, quâ utitur Valleſius in ſuâ Philoſophiâ ſacrâ, quæ tali modo proponi poſſe videtur: *Si Scriptura de rebus naturalibus loqueretur ex vulgi opinione: Ergo videretur velle nobis celare rerum naturalium cognitionem. At nulla eſt cauſa ob quam debeat celare. Ergo.*

Reſp. Hoc tantum colligi ex noſtrâ ſententiâ poteſt; quia Scriptura de rebus naturalibus loquitur, non accuratas formulas adhibens, ſed è trivio deſumptas & præjudiciis innitentes, nolle Deum, ut ex Scriptura petamus explicationem, non verè, velle Deum eas nobis abſolute eſſe incognitas; nam ad eas inquirendas lumen naturæ conceſſit, uti jam ſæpe eſt ingeminatum. Cauſæ etiam, ob quas eas in Scripturâ nolit explicare, jam ſunt datæ, quod accurata earum explicatio non conveniret auditoribus promiſcuis Scripturæ, quorum imbecillitas eas non caperet, quique facile turbarentur, ſi in Scriptura reperirent, quæ tam manifeſtè pugnarent cum ſenſuum præjudiciis, quæ ipſi habent pro veritatibus per lumen naturæ cognitis.

DCCLX. Hiſce ſubjungamus Objectionem decimam ex R. St. p. 47. deſumtam: *Si Scriptura loquatur aliquando ex opinione erroneâ vulgi,*

Ergo

Ergo nemo certus erit, an non ea quæ de Cœli & Terra creatione &c. docentur, ſint ejuſdem naturæ.

Reſp. Regula, per quam quis ſcire poſſit, quid Scriptura doceat, eſt data, nimirum, ad ſcopum & circumſtantias textus eſſe attendendum, ex quibus patere poſſit, quid phraſibus adhibitis docere velit, quâ regulâ applicatâ ad deſcriptionem Creationis Cœli & Terræ, cuilibet facile patebit, ea, quæ de iis reperiuntur conſignata in ſacris literis, talia eſſe, ut ex iis ſufficienter poſſit cognoſci, Deo vero Creationem Cœli & Terræ verè & realiter competere, item, ordinem eum obſervatum, qui in Hexaëmero deſcribitur.

DCCLXI. Objectio undecima peti poteſt ex verbis L. pag. 84. *Hanc ſententiam vel ad Dei contemtum vel ad purioris religionis negationem ſtadium aperire.*

Reſp. Nullum eſt periculum, nam res fidei ſemper excepimus, in iiſque Scripturam hominibus veritatem nudam, quantum ea ad ſalutem cognitu eſt neceſſaria, proponere dicimus, ut quod in uno loco obſcurius eſt dictum, vel ubi Scriptura ſeſe ad intellectum infirmiorum accommodavit, in altero plenius nihilominus explicetur. Scimus puriorem religionem non aliunde petendam, quam ex revelatione; illam autem poſſe haberi ſine accuratâ rerum naturalium cognitione, æque novimus.

DCCLXII. Objectionis duodecimæ loco eſſe poſſunt verba L. p. 177. *Sententiam noſtram inſignem eſſe non magis novitate, quam impiâ arrogantiâ.*

Reſ. 1. Quod ad novitatem attinet, ſciendum eſt, à novitate non debere alicui ſententiæ præjudicium creari, niſi eâdem operâ omnia, quæ homines ſentiunt de rebus quibuſcunque, velimus rejicere: omnia enim hæc aliquo tempore fuerunt nova, tum nempe quando primum inventa ſunt. Et per talem ratiocinationem, omnia quæ habet Ariſtoteles contra veterum Philoſophorum placita ab ejus ſequacibus eſſent rejicienda. Id quod nunc eſt novum, aliquando fiet antiquum, & quod eſt antiquum, aliquando novum fuerit neceſſe eſt. 2. Si ſpectes lumen naturale menti inditum, illud ſatis eſt antiquum, ſed cum per illud aliqua veritas eruitur, ea quidem quatenus tunc demum detegitur, nova dici poteſt, ſed tamen quoniam eſt veritas, antiqua ſat eſt, utpote quæ ab æterno in mente Dei fuerit. 3. Quemadmodum novas terras detexiſſe glorioſum eſt, & Veſputio, Columbo & aliis inſignis gloria inde acceſſit; ita novas veritates detegere, proculdubio ſi rem ipſam ſpectes, gloriâ & laude eſt dignum, quam-

quamvis ab invidis antiquariis, qui verentur, ne ipſi tandem cum ſuis veteramentis exſibilandi ſint, dente Theonino rodatur. Sic novas veritates in Matheſi detexiſſe quovis tempore fuit glorioſum: ſic ex Scripturâ novas obſervationes depromſiſſe multis in laudem ceſſit, qui etiam librorum titulos his Epithetis condecorare non erubuerunt, uti patet ex. gr. ex libello *d'Eſpagne*; qui inſcribitur *Nouvelles obſervations ſur le ſymbole de la Foy* & ſimilibus. 4. An verò ea ſententia pro nova ſit habenda, quæ calculo tot Theologorum nititur, uti ſuo loco eſt demonſtratum, judicent lectores: quanquam non diffiteor his hominibus videri novam, ut & multa alia, quæ ab ipſis non ſunt cognita, ſed nos hoc illorum judicium parum curamus. 5. Quomodo verò impiâ arrogantiâ hæc ſententia ſit inſignis, oſtendat, ſi poſſit, adverſarius. Nihil in eo impietatis, ut patet ex objectionum ſuperiorum refutatione: Nihil arrogantiæ ſi aſſeras, id quod ipſa res docet, firmiſque rationibus comprobes, niſi fortè nimis magna ſit arrogantia ab iſtis Patronis veritatis ſcilicet in omnia alia abire.

Caput XXXIX.

Objectio tertia decima à comparatione rerum naturalium cum myſteriis prophetiis & Chronologicis deſumta proponitur & refellitur.

DCCLXIII. Si Scriptura tradit alias res multo difficiliores, de iiſque loquens adhibet formulas nudam & accuratam veritatem referentes, nihil morans imbecillitatem & captum hominum: Ergo ſimiliter non fuit opus, ut de rebus naturalibus loquens, habitâ ratione captûs & imbecillitatis humanæ, utatur formulis è trivio deſumtis innitentibus præjudiciis: Sed verum eſt prius, quod exinde apparet, quia myſteria omnem rationis captum excedentia tradit; item manifeſtum eſt ex prophetiis, in quibus multa, quæ à vulgo non intelliguntur, multa, quæ ne quidem à doctiſſimis Interpretibus explicari potuerunt ante eventum; liquet etiam ex Chronologicis & aliis non paucis in Scriptura intellectu difficilibus.

DCCLXIV. Reſp. 1. Magna hîc eſt diverſitas, quæ facit, ut Majoris Propoſitionis nulla ſit connexio. Nam primo, ſi ſpectemus myſteria, quæ nec ratio humana, poſtquam revelata ſunt, intelligere poteſt, de

de iis antehac nulla præjudicia ſenſuum ſunt formata, cum quibus pugnent, adeoque ſermonem iis non accommodavit, imo nihil quicquam de iis cogitavit; itaque quando proponuntur à Scripturâ, ab hominibus idiotis τὸ ὅτι illorum myſteriorum creditur propter auctoritatem & veracitatem divinam, de τῷ διότι vix NB ab iis cogitatur. Sic circa myſteria Trinitatis & Incarnationis &c. vulgares homines vix cogitarunt de Perſonalitate, an ea multiplicatâ individua etiam debeant multiplicari, an vero fieri poſſit, ut uni eſſentiæ individuæ plures perſonalitates conveniant. Similiter non cogitarunt, an individua eſſentia poſſit carere perſonalitate & ἀνυπόστατον fieri? Hæc & ſimilia ne quidem in mentem ipſis veniunt, ſed ſufficit iis credere, quod ſint tres perſonæ, quarum quælibet ſit Deus, nec tamen ſint tres dii, quoniam hæ perſonæ ſunt unum eſſentia. Quod autem Philoſophos Ethnicos attinet, illi in Lumine rationis nihil inveniunt, quod his verè contradicat, quemadmodum à noſtris contra Socinianos oſtendi ſolet. At de rebus naturalibus vulgus contrarias ſententias veritati ſæpe concepit, illaſque tam firmiter habet radicatas, ut putet, à natura ſe de iis eſſe edoctum, adeoque quicquid eis repugnat, pro commento ſoleat habere; quod ſi ergo Scriptura formulâ accuratâ uti debuiſſet & per eam ſignificare veritatem Philoſophicam ſine demonſtratione, facile etiam ab aliis credendis populum rudem avertiſſet. Circa Chronologica, prophetias & ſimilia, quia hæc non ſunt cognitu ad ſalutem neceſſaria, non ita verſatur vulgus, & quando hîc in Scriptura difficilia quædam invenit, ea prætermittit, tanquam captum ſuum ſuperantia, nihil de iis judicando. Quibus adde, quod cùm Chronologica & prophetiæ ante revelationem non fuerint ab infantia cognita, non potuerint circa ea præjudicia infantiæ & ſenſuum formari, quibus propterea ſermo fuerit accommodatus.

DCCLXV. 2. Altera ratio diverſitatis eſt, quod myſteriorum cognitio ſit fidei, quæ propterea debebant in Scriptura tradi, & quamvis eſſent difficilia, tamẽ fide admitti ea oportebat; at res naturales pertinent ad ſcientiam, & citra ſalutis periculum poſſunt ignorari. Omittuntur ergo, ne, ſi earum veritas accurata, quæ ſenſuum cognitioni & apparentiæ ſæpiùs adverſatur, ac proinde incredibilis videtur, vulgo doceretur, homines, qui de rebus naturalibus vix aliam quàm ſenſualem habent notitiam, turbarentur, & ita etiam ab aliis, quæ in Scriptura traduntur revelata, averterentur. Itaque noſtra mens hæc eſt, ſapientiſſimè Sp. S. egiſſe, quod omittendo ea quæ ſunt levioris momenti, vel contentus notitia vulgari noluerit ab omnibus revelatis homines avertere. Cùm autem dicimus,

mus, Sp. S. propter res fidei non declaraſſe res naturales, nemo hoc applicare debet ad ipſas res fidei, cùm Scripturę ſit has tam accurate tradere, quàm ad ſalutem adipiſcendam requirebatur.

DCCLXVI. Inſt. 1. M. p. 30. *Deus infallibili ſuâ veracitate facilè potuiſſet retundere & reprimere hujuſmodi præjudicia de rebus naturalibus, quemadmodum in rebus fidei actu videmus fieri, adeò ut non neceſſe fuerit propter iſta præjudicia veritatem deſerere. Item p. 32. Debebant homines ut circa res fidei, ita circa res naturales captivare intellectum.*

Reſp. Non deſeruit Sp. S. veritatem, quando uſus eſt formulis receptis, ſed, ut præjudicia non docuit, verùm tantùm veritatem aliquam generalem ſub iis latentem, ita etiam ea per uſum formularum accuratatarum noluit rejicere. Cùm autem falſo hoc fundamento adverſarius nitatur, ac ſi ex mea ſententia *Deus veracitatem deſeruiſſet, falſum locutus fuiſſet, errores admiſcuiſſet*, apparet ea, quæ p. 31. ad iſtam Dei veracitatem probandam affert, nihil quicquam contra me facere. 2. Intellectûs captivatione opus non eſt, quando nihil docetur, quod eum excedit. At per iſtas formulas vulgares tantum docetur generalis veritas, quæ à quovis notitiâ communi utente poteſt intelligi.

DCCLXVII. Inſt. 2. M. p. 32. *Si vulgus per Philoſophos de veritate edoctus deprehendiſſet, Scripturam neglectâ veritate errores vulgi ſectari, nonne totam Scripturam ut ſcriptum erroribus ſcatens rejeciſſet?*

Reſp. Si vulgus errores in Scripturâ tradi, doceri & teſtimonio approbari vidiſſet, omninò id ſequeretur, ſed hanc meam eſſe ſententiam nego. Non autem erat, quòd propter formularum receptarum uſum Scripturam rejicerent, quia ſi ad textûs circumſtantias attenderent, poterant cognoſcere, iis veritatem quidem generalem doceri, & Scripturam obtinere munus ſignificandi iſtam veritatem generalem, ſed non etiam errorem, quem à præjudiciis nondum liberati per eas formulas ſignificarent.

DCCLXVIII. Inſt. 3. M. p. 32. *Homines etiam circa res pura puta fide cognitas præjudiciis capiuntur, quia ex 1 Cor. II. animali homini ea quæ ſpiritus ſunt ſtultitia. Nonne Judæi præjudicia formarunt de juſtificatione ex operibus, de exacta obſervatione legis, de comeſtione carnis & bibitione ſanguinis Chriſti &c.* Conſentit H. p. 216.

Reſp. Concedimus, quòd circa res quaſdam fide cognitas præjudicia quædam formentur, ſed negamus, ea eſſe præjudicia ſenſuum & infantiæ, adeoque ſimiliter communem ſermonem iis eſſe involutum, ut propterea utens eo Scriptura ad veritatem aliquam generalem ſignificandam,

Digitized by Google

eandam, non potuerit formularum præjudiciis innitentium uſum evitare.

DCCLXIX. Inſt. 4. H. p. 218. *Vulgus circa myſteria etiam de τῶ Διότι cogitare manifeſtum eſſe exemplo B. Virginis, quæ myſterium Incarnationis ſecundùm τὸ ὅτι crediderat quidem, veruntamen τὸ διότι non intellexerat.*

Reſp. Hæc mihi non obſunt. Nam ego locutus ſum de Idiotis in communi, & dixi, quòd *vix* de τῶ Διότι cogitent, non quòd nunquam id contingat. Sunt quidam ex Idiotis curioſi, ſed plurimi aliis rebus intenti non inquirunt ulteriùs.

DCCLXX. Quæ porrò objicit M. p. 34. & init. 35. ea obſervatis ſequentibus cadunt. Nam 1. nituntur iſta objecta hâc ejus opinione, quâ putat me ſtatuere, Scripturam de rebus naturalibus loquentem falſum docere vel teſtari, quam ſententiam toto hoc tractatu à me ſum amolitus. 2. falſo etiam ſupponit, potuiſſe Sp. S. abſtinere ab omnium iſtarum rerum mentione, circa quas vulgus præjudiciis fuiſſet occupatus, cujus contrarium ſuo loco eſt oſtenſum. Similiter ad ea quæ hîc objicit H. p. 220. ex dictis ſufficiens poteſt haberi reſponſio, prout lectori conferre volenti patebit. Omnia enim exinde procedunt, quod mentem meam non rectè fuerit aſſecutus.

DCCLXXI. Ad ea verò quæ habet H. p. 221. noto ſequentia, 1. nos non dicere, quòd Sp. S. contrarium loquatur veritati, quod hîc ſupponitur. 2. qualis metus turbandi indoctiores eſſet futurus, jam antehàc eſt dictum, nimirum, turbarentur idiotæ, ſi locutionibus abſtruſis & à communi uſu remotis veritatem nudam ſub cognitionem vulgarem non cadentem referentibus Sp. S. fuiſſet uſus; quod non fit, quando in Scripturis mentio fit aquarum, quæ in ſuperâ parte ſunt expanſi, quales ſunt nubes, item, quando dicuntur flumina ex mari fluere, & eodem rurſus refluere & ſimilibus.

DCCLXXII. Inſt. 5. M. p. 35. *Si vulgus circa prophetias non verſatur, quare ergò Deus juſſit Eſ. VIII. 1. Prophetam exarare prophetiam ſtylo hominis? id eſt, ſtylo falſo ad placitum vulgi compoſito?*

Reſp. 1. Nego ſtylum humanum, hoc eſt, formulis è trivio deſumtis conſtantem & ſtylum falſum ad placitum vulgi compoſitum mihi eundem eſſe. 2. non dixi, quòd vulgus planè non verſetur circa prophetias, ſed dixi, quod non *ita* verſetur circa eas ac circa res fidei, & ea, quorum cognitio ſimplex & quoad τὸ ὅτι ad ſalutem eſt neceſſaria. Non enim ita inquirit nec inquirere tenetur in prædictiones, in quibus multa ante even-

Digitized by Google

tum ſunt obſcura, quam in ea quæ ſcire tenetur ad ſalutem. Circa prophetiam autem Eſaiæ vulgus illius temporis debuit verſari, ut ad pœnitentiam excitaretur, quæ ideo ſtylo humano, modo, quo ſuo loco eſt dictum, debuit exarari,

Caput XL.

Objectio quarta decima à fide Spiritui Sancto debitâ.

DCCLXXIII. Conſideremus nunc verba S. p. 405. *Fruſtra ſunt, quicunque exiſtimant, Spiritum Sanctum de rebus naturalibus loqui ex mente errantis vulgi potiùs quàm ex rei veritate: quod ſi hoc modo loqueretur, minùs fidem promereretur. Hoc enim ſi verum foret, pariter ſequeretur, homines de rebus naturalibus philoſophantes magis ſufficere ad ingenerandam fidem in aliis quàm ipſum Spiritum Sanctum*, quæ nobis ſuppeditare queunt objectionem quartam decimam, cujus hæc vis eſſe poteſt. Si homines de rebus naturalibus accuratè philoſophantes & formulis accuratis eas exprimentes fidem merentur. Ergo, quamvis Sp. S. non uteretur formulis loquendi vulgaribus ex præjudiciis ortum habentibus, fidem in omnibus mereretur: Sed verum eſt priùs; Ergo.

DCCLXXIV. Reſp. Ad eam objectionem quoniam M. conqueſtus eſt me antehàc obſcuriùs reſpondiſſe, operam dabo, ut clariùs meam reſponſionem exprimam. Dico ergo 1. nos non ſtatuere, Spiritum Sanctum non eſſe fidem meriturum, ſi uteretur formulis accuratam veritatem exprimentibus. Fidem enim meretur Sp. S. in omnibus quæ teſtatur, quæ docet. Fides enim eſt aſſenſus exhibitus teſtimonio divino, ubi autem teſtimonium divinum non eſt, ibi nec fides locum habere poteſt. At quando utitur formulis receptis, non teſtatur niſi generalem veritatem, cui propterea aſſenſus eſt præbendus, non vero ſpeciale præjudicium, quod homines præjudiciis obnoxii hiſque formulis utentes exprimerent. 2. Quod ſi vero voluiſſet Sp. S. loqui de rebus naturalibus formulis accuratis, perque eas ſpecialem veritatem exprimere, & teſtari, fidem quidem meritus fuiſſet, ſed tamen hominibus, quibus præjudicia nondum ablata, difficile fuiſſet fidem exhibere, propterea quia tales de rebus naturalibus plerunque contrarias ſententias conceperunt, eaſque pertinaciter fovent tanquam tales, de quibus à naturâ ſe eſſe edoctos putant: Er-

go

Digitized by Google

go ſine demonſtratione & præjudiciorum ablatione audientes contraria, iis doceri, ea aſſequi non potuiſſent, & ſic quamvis fidem adhibere *debuiſſent*, id tamen non facilè feciſſent; quam difficultatem Sp.S. voluit evitare, utendo formulis receptis, etiamſi opinionibus erroneis niterentur. Diſtinguo itaque inter fidem debitam, & inter ipſam fidem actu adhibitam. Neque vero illud eſt mirum, ſi potiùs demonſtrationibus accuratis aliquis à præjudiciis liberatus & prærequiſitis ad demonſtrationem cognitu neceſſariis rectè præimbutus aſſentiatur NB. quàm præjudiciis occupatus, & exiſtimans ea, quæ à Sp.S. dicerentur, lumini naturali contrariari, ſubſcribat teſtimonio Sp. S. Æquè quidem, imo majori jure fides Apoſtolis debita fuiſſet, ſi in citationibus V. T. nunquam ſecuti fuiſſent verſionem LXX, quàm viris doctis oſtendentibus, ei verſioni non ubique cum fontibus convenire. At antea vidimus ex Riveto, Voetio, Junio, Spanhemio, aliiſque Theologis, placuiſſe Sp. S. Apoſtolos dirigenti ſeſe hìc accommodare hominibus, ne illi turbarentur. Similis ratio eſt formularum receptarum, quas propter uſum diuturnum ab Apoſtolis dico retentas, quod obſervet H. contra ea quæ habet p. 222. 3. Nec *fides* deberetur hominibus demonſtrantibus, ſed aſſenſus propter demonſtrationem perceptam, qui aſſenſus non nomine *Fidei*, ſed nomine *Scientiæ* eſſet inſigniendus.

DCCLXXV. Ex quibus obſervatis, omnia quæ M. in contrarium affert p. 38. & 39. refelluntur. Nam 1. non dico, Sp. S. docentem non mereri fidem; vel ei fidem non debere adhiberi. 2. Sed nego, quòd per illas formulas præcisè teſtetur id, quod putant præjudiciis occupati. 3. Nego, quòd ſi voluiſſet per formulas accuratas teſtari veritatem contrariam præjudiciis ſenſuum ſine demonſtrationibus, facilè fidem fuiſſet reperturus: ſaltem non ſine magno offendiculo, & niſi ſingulari & occulta ratione mentes lectorum inſtruxiſſet & gubernâſſet, fidem inveniſſet, teſtando ea de rebus naturalibus, quæ præjudiciis ſenſuum planè adverſarentur. 4. Nullam blaſphemiam ego admitto, ſed pervertit verba adverſarius, quando mihi tribuit, quòd ſtatuam, à præjudiciis liberatum magis *debere* NB. demonſtrationibus à ſe formatis aſſentiri, quàm præjudiciis captum teſtimonio Sp. S. quod non ſomniavi. 5. Suppoſitiones, quas mihi attribuit pag. 39. duas, non admitto, nec ex meis verbis poſſunt elici.

DCCLXXVI. Inſt. p. 9. *Inſulſum eſſe, quod dicam, à vulgo homines ſupponi ea, quæ dicunt, clariſſimis & veriſſimis demonſtrationibus evincere &c.*

Reſp. Ego verò non à *vulgo* dixi *ſupponi, homines ea quæ dicunt demon-*

Digitized by Google

ſtrationibus evincere, ſed à *me ipſo* in hâc reſponſione, ſi clariſſimis demonſtrationibus homines evicerint ſua dogmata, iis aſſenſum deberi; ſi enim non faciant, nullo modo iis aſſenſus adhibendus. Quo obſervato facilè cadunt ea quæ B. objicit p. 9. & 10. ſi etiam notetur, nos loqui de veriſſimis demonſtrationibus, quibus aſſentiens tales debet percepiſſe, quod circa eorum argumenta, quæ adhibent Solis motûs defenſores, fieri non poteſt, cùm non ſint demonſtrationes, ſed paralogiſmi facilè ſolubiles, ut ſuis locis vidimus. Reliqua mera verba ſunt & clamores rem non tangentes.

CAPUT XLI.

Objectio qninta decima à Comparatione rerum naturalium cum Miraculis.

DCCLXXVII. Objectionem quintam decimam deſumimus ex verbis S. p. 403. *Nec audiendi ſunt, qui ſibi pro aſſerendo duro & periculoſo commento, humanæ rationis pariterque ſenſuum infirmitatem imaginantur. Nam, ſi omnes Scripturæ filii (Atheos & Libertinos tanquam profanos à ſacris his arcere fas eſt) qui invitantur ad conſiderationem rerum ſupernaturalium ſive miraculorum, ea intellectu ſuo apprehendere poſſunt, cur non magis apprehendant naturalia? Imò cùm Scriptura proponat ea, quæ acciderunt circa naturalia, tanquam extraordinaria & miraculoſa, cur non credendum, eam de rebus naturalibus ex præſcripto veritatis loqui; ad hoc ut miraculoſa & ſupernaturalia, imò contra-naturalia ex naturalibus intelligi poſſint?* quod argumentum ſi in formam reducatur, tale poterit eſſe. Si homines præjudiciis occupati poſſunt miracula apprehendere: Ergo etiam interiora rerum naturalium. Itàque ut illa debent doceri in ſacris literis; ita etiam rerum naturalium interiora in iis ſunt explicanda, & per conſequens Scriptura debuit formulis non innitentibus præjudiciis, ſed accuratè & ſine præjudiciorum involucris veritatem exprimentibus uti: Sed verum eſt prius, Ergo.

DCCLXXVIII. Reſp. Argumentum non procedit à tractatione miraculorum ad tractationem & explicationem rerum naturalium, ob diverſam rationem miraculornm & rerum naturalium. Nam 1. Miraculorum narratio neceſſaria eſt ad confirmandam fidem & auctoritatem verbi divini, non ita rerum naturalium accurata explicatio per formulas accu-

Digitized by Google

accuratas. 2. Miracula quando præſentia ſunt, ſenſus circa ea fidem poſſunt juvare, atque ita faciliùs creduntur & cognoſcuntur: ita ex. gr. quando diviſum fuit mare rubrum, illam diviſionem factam eſſe ſenſus cognoverunt; quando verò facta ſunt, & tanquam facta creduntur, etſi tunc ſenſibus uſurpari non queant, ſenſibus iterum ordinarium naturæ curſum percipientibus, nihil tamen impedit, quin credi poſſit, curſum naturæ aliquando fuiſſe mutatum, eamque mutationem ſenſibus perceptam fuiſſe, quinimò miracula, quando fiunt, ſenſibus ut plurimùm apparere debent; fiunt ergo quidem contra naturæ ordinem conſuetum, non vero contra ſenſuum apparentias: at cùm accurata veritas circa res naturales ut plurimùm repugnet ſenſuum apparentiæ, quæ à vulgo pro ipſâ veritate recipitur, manifeſta ſatis eſt ratio diverſitatis inter miraculorum & rerum naturalium tractationem à Scripturâ inſtitutam, hæcque repugnantia impedit, ut vulgus credere potuerit, ſi accuratis verbis ſimplex naturalium rerum veritas fuiſſet oſtenſa. 3. non tenebatur Scriptura *de rebus naturalibus ex præſcripto veritatis loqui*, hoc eſt, uti formulis nudam veritatem referentibus, *ad hoc ut miraculoſa & ſupernaturalia, imò contra-naturalia ex naturalibus intelligi poſſint*; nam ad id ſufficiebat cognitio rerum naturalium, qualis per ſenſus haberi poteſt, adeoque vulgaris & omnibus communis, & ſi quid contra vel præter curſum naturæ à ſenſibus notatum fieret, id pro miraculo habendum: ex. gr. ad cognoſcendum miraculum per Eliſæum factum, ut ferrum enataret 2 Reg. VI. ſufficiebat vulgaris cognitio, quod ferri natura ſit, ut ſub aquâ mergatur: at unde talis ſit ferri natura, & quæ ratio gravitatis, ad miraculi cognitionem noſſe non fuit neceſſarium.

DCCLXXIX. Inſtantiæ, quas M. p. 40, 41. contra reſponſionem primam affert, facilè enervantur, ſi obſervetur, *primò* Objectionem propoſitam procedere tam à tractatione miraculorum ad explicationem rerum naturalium, quàm à miraculorum intellectione ad intellectionem rerum naturalium, quod patet, ſi quis attendat ad artic. 777. 2. Me hîc non agere opponentem argumentando, ſed reſpondentem defendendo, adeoque ſufficere, ſi dederim rationem, propter quam Major propoſitæ Objectionis ſit inconſequens. 3. Non neceſſariam eſſe ad confirmandam fidem rerum naturalium accuratam explicationem, ſed ſufficere ſuperficialem, atque talem, qualis per communem notitiam poteſt haberi, prout initio hujus tractatûs eſt inculcatum. 4. Non opponi explicationem falſam accuratæ, ſed minùs accuratam, falſam vero opponi veræ, prout ſæpiùs dictum.

DCCLXXX.

Digitized by Google

DCCLXXX. Inſt. 1. contra ſecundam reſponſionem M. p. 42. *quid fiet de illis miraculis quæ ſenſus non incurrunt?*

Reſp. Circa illa prior reſponſio, quæ generalis eſt, ſufficit.

DCCLXXXI. Inſt. 2. M. p. 42. *Miracula judicio intellectus præſertim vulgaris & ab ipſo miraculo remoti è diametro ſæpè repugnant, adeoque intellectui captu multò ſunt difficiliora, eò quòd ordinem totius univerſi ſemel conſtitutum tranſcendant, & ſuperent, quod capere ſine dubio intellectu difficillimum eſt.* Similiter B. p. 8. *Præſerim cùm multò incredibiliora narret, quæ non ſimplici judicio ſenſuum, ſed omnium avorum experientiæ contraria &c.*

Reſp. Imo vero faciliùs credi poteſt, curſum naturæ aliquando eſſe mutatum, quàm ut credatur, ſemper aliter ſe eum habere, quàm ſenſus eum iis videntur repræſentare, qui ultra vulgarem notitiam non adſcenderunt.

DCCLXXXII. Contra tertiam reſponſionem inſtat M. p. 43. & 44. Ad quæ obſervet lector, cui eà ibi inſpicere licet 1. ut cognoſcam mutationem eſſe factam, ſufficere, ſi habeam cognitionem per ſenſus rerum ipſarum naturalium: ſed ut cognoſcam ipſum miraculum, utrum falſum, alia requiri non nego; neque dixi unquam, ad eam differentiam percipiendam ſufficere judicium ex ſenſuum apparentiâ deſumtum, cùm Diabolus etiam ſuis præſtigiis ſenſus deludere poſſit. 2. ex naturalibus ita perſpectis, ut fit à communi notitiâ, quatenus vera eſt, ſufficienter poſſumus cognoſcere ſupernaturalia, quia comparationes inter hæc inſtitutæ non in notitiâ Philoſophicâ, ſed notitiâ communi fundantur. Quòd autem hoc modo, quo proponit adverſarius, miracu'a fidem verè confirment, libenter concedo, nempe ſi, prout dicit, judicio intellectus verè perſuaſus fueris, illud à potentiâ divinâ eſſe profectum.

CAPUT XLII.

Objectio ſexta decima deſumta à comparatione rerum naturalium cum rebus gravibus, & captum noſtrum excedentibus.

DCCLXXXIII. Objectio ſexta decima deſumi poteſt ex verbis B. D. p. 13. *Probandum eſſet, non dicendum tantùm, S. Scripturam tam ruditer & tam craſsè loqui, ut rei ipſius veritas ex verbis erui non poſſit. Sit ita, ut in mate-*

materiis quibuſdam ad modulum noſtrum ſe nobis accommodans, nobiſcum balbutiat, id ſit in materiis gravibus, & conceptum noſtrum excedentibus, non autem in Phyſicis, non in Aſtronomicis. Licet enim Sacra Scriptura ſubtiles Aſtronomiæ quæſtiones non tractet, in iis tamen quæ de Aſtronomia profert, ita loquitur, ut niſi præconceptâ opinione ſententiæ contrariæ laboremus, impoſſibile ſit alias ex iis formare cogitationes. Ex quibus verbis tali modo objectio poteſt formari: Si ad ſummum Scriptura eſt dicenda balbutire in rebus gravibus & conceptum noſtrum excedentibus: Ergo non debet dici ſeſe demittere ad noſtrum captum per formularum non accuratarum uſum in Phyſicis & Aſtronomicis: Sed verum eſt prius: Ergo.

DCCLXXXIV. Reſp. 1. Dedimus rationem, ob quam fiat, quòd Scriptura de rebus naturalibus ſæpè tam craſſè loquatur, ut rei ipſius veritas ex verbis erui non poſſit ſpecialis, hoc eſt, ut quando ex. gr. per formulam hanc, *Sol currit*, oſtendit variationem ſitus corporis ſolaris velocem, non poſſit ex illâ hæc veritas erui, *iſtam variationem ſitus pendere à Terræ gyratione*, nec tamen etiam contrarium, quia his præcisè verbis nihil aliud quàm illa variatio ſitus doceatur: atque τὸ διότι protulimus, quod requiſivit hæc methodus Elenchtica: τὸ ὅτι etiam teſtimoniis quibuſdam Scripturæ ſupra manifeſtum eſt redditum. 2. ſi concedatur, Scripturam Sacram in rebus gravibus ad modulum noſtrum ſe accommodare & nobiſcum balbutire, atque inde nullum periculum imminet Sp. S. arguendi (abſit blaſphemia) mendacii & falſitatis, multò magis hoc credendum eſt de rebus Phyſicis & Aſtronomicis, cùm hæ non ita ſint cognitu neceſſariæ, ut materiæ graviores. Et quamvis res Phyſicæ & Aſtronomicæ captum hominis abſolutè non excedant, attamen excedunt captum hominis idiotæ, præjudiciis multis mentem habentis occupatam, & non per prævias doctrinas ad ea capienda ſufficienter inſtituti, quod cùm Scriptura noluerit facere, non mirum eſt, ſi dicatur, eam etiam ipſam veritatem circa res Phyſicas & Aſtronomicas noluiſſe explicare. 3. an in iis, quæ de Aſtronomia profert ita loquatur, ut niſi præconceptâ opinione ſententiæ contrariæ laboremus, impoſſibile ſit alias ex iis formare cogitationes, videbimus in ſequentibus. 4. Invertimus potiùs hoc argumentum & dicimus: Quæ non ita ſunt neceſſaria cognitu ad ſalutem, in iis minùs opus eſt, ut accuratè loquatur Scriptura Sacra; quæ verò magis ſunt neceſſaria de iis magis accuratè debet loqui: quoniam quo magis accurate de iis Scriptura loquitur, eò magis accuratè cognoſcuntur. Unde tamen non ſequitur, quod exiſtimat H. p. 226. *Oracula Dei ſine veritate concipienda*, prout ſæpiùs demonſtratum.

Digitized by Google

DCCCLXXXV. Inſt. 1. H. p. 227. *Si naturales res homini minùs neceſſariæ ſunt, quare condeſcendit Deus? Cur proponit quæ neceſſaria non ſunt?*

Reſp. Cognitio earum accurata non eſt neceſſaria ad ſcopum Sp. S. ſed cognitio communis & vulgaris, igitur prior quia minus eſt neceſſaria, non etiam utitur Sp. S. formulis accuratis eam exprimentibus, ſed formulas, quibus homines notitiam communem ſectantes utuntur, uſurpat.

DCCLXXXVI. Inſt. 2. H. p. 227. *Res Phyſicæ & Aſtronomicæ captum hominis Idiotæ excedunt tantùm per accidens.*

Reſp. Quamvis per accidens excedant, nempe propter mentem præjudiciis occupatam, tamen quia illa præjudicia Sp. S. noluit tollere, omninò hîc debuit formulas receptas retinere, neque uſurpare formulas, quæ vulgi captum excedant; præſertim cùm per res naturales voluerit eos deducere ad ſpiritualia: Ergo formulas maximè captui accommodatas debuit uſurpare, ne obſcurum per æquè obſcurum illuſtraret.

DCCLXXXVII. Reliqua, quæ H. p. 227. & 228. habet inania ſunt, affinia iis quæ B. p. 113. & jam refutata, cùm res naturales in Scripturis non ita tradantur, ut ex iis philoſophice quis poſſit inſtrui; & quid per idiotam hîc intelligatur ſatis eſt manifeſtum, nempe omnino privative ignarus, qui præjudiciis eſt occupatus &c. cujus ſano captum excedit rerum naturalium accurata doctrina, non præmiſſâ demonſtratione & præjudiciorum exemptione, qualis ex mente adverſariorum in Scriptura deberet reperiri.

DCCLXXXVIII. Inſt. 3. B. p. 4. *Hanc eſſe argumenti ſui vim, quòd citra cogentem neceſsitatem à proprietate verborum ad tropicam & figuratam expoſitionem verborum deflectendum non ſit, quod negare non fuerim auſus, nec tamen potuerim dare rationem.*

Reſp. Hanc tamen vim argumenti hujus non præ ſe ferunt verba citata art. 783. hujus capitis, ut lectori patebit. 2. nos non recedimus à proprietate verborum in locis Scripturæ exponendis, in quibus dicimus reperiri formulas præjudiciis innitentes, ſed quid per eas Sp. S. voluerit ſignificare ex ſcopo & circumſtantiis textus colligimus, & quod circumſtantiæ textus non requirunt, illud etiam non dicimus ſignificari, itaque non tam eſt quæſtio de acceptione verborum propriâne an impropriâ, ſed quid & quouſque Spiritus Sanctus his vel illis verbis voluerit teſtari.

DCCLXXXIX. Inſt. 4. B. p. 7. *Hæc*, nempe, quod homines præjudiciis ſint obruti & veritatem exprimant formulis, quæ in præjudiciis habent:

Digitized by Google

habent ortum, quibus etiam Spiritus Sanctus voluerit uti, ne turbarentur homines, *gratis dicuntur.*

Reſp. Probatum hoc eſt ab initio, & ipſa experientia docet, talia eſſe præjudicia, talemque ſermonem, quem non immutandum fuiſſe à Spiritu Sancto in hoc libro oſtendimus.

DCCXC. Inſt. 5. B. p. 7. *Vulgus fidelis magis ſupponit, Spiritum Sanctum intimam habere cognitionem naturæ quàm homines* (quod concedo) *ac per conſequens magis certiusque loqui ſecundum veritatem* (hoc eſt uti formulis veritatem nudam exprimentibus) *quàm homines* (nempe Philoſophos, de quibus eſt ſermo.)

Reſp. Illud vero eſt inconſequens, cum mutatio non ſit exſpectanda ab eo, qui tantum propter aliud & non philoſophice rem declarat.

DCCXCI. Inſt. 6. B. pag. 11. & ſeq. *Cum Deus nobiſcum balbutit utitur phraſibus tropicis à rebus humanis deſumtis, in quibus nullum eſt periculum, quod Sp. S. mendacii vel falſitatis ſit arguendus, cum non notent contrarium vel contradictorium rei per tropum deſignatæ, ſed rem ipſam ſub tropico loquendi modo; verùm in phraſeologiâ quam Carteſiani nobis ſingunt notatur contrarium rei ſignificatæ.*

Reſp. Eſt par utriuſque ratio: falſum enim eſt, quod dicamus per iſtas formulas contrarium ſignificari, ſed dicimus, generalem veritatem ſignificari, non vero conſignificari errorem, qui quidem à præjudiciis obſeſſo ſignificaretur.

DCCXCII. Inſt. 7. B. p. 12. *Cum Sacra Scriptura nobiſcum balbutit, id ſit vel propter verborum defectum, vel propter noſtram incapacitatem ad rei ipſius conceptum, quorum neutrum in materiâ de motu Solis vel Terræ locum habet.*

Reſp. Id fit propter incapacitatem hominum, præjudiciis occupatorum, quales omnes ſunt ab infantiâ & plurimi in virili ætate manent, quam incapacitatem quoniam noluit tollere Sp. S. iis ſeſe accommodare habuit neceſſe.

DCCXCIII. Inſt. 8. B. p. 13. *Mentem habere præjudiciis occupatam non dicit, mentem non eſſe capacem ad rem apprehendendam ſi clarè doceretur.*

Reſp. Nec ego habeo iſta duo pro iiſdem, ſed dico, mentem præjudiciis occupatam & cui debito modo iſta non exemta ſunt, non eſſe capacem ad rem apprehendendam, quæ ſine demonſtratione ſimpliciter proponeretur.

DCCXCIV. Tandem non conſiſtere videntur ea quæ habet B. in

Digitized by Google

fine p. 14. *Quamvis forſan poſſes probare, verba ſacra ſecundum apparentiam ob neceſſarias rationes debere intelligi, hoc tamen maneret certum, ipſum textum ſacrum per ſe, non alios in nobis poſſe formare conceptus, quàm Terrâ quieſcente Solem circa eam motu diurno moveri.*

Reſp. Si enim poſterius ſit verum: Ergo nullæ poſſunt eſſe rationes, ob quas aliter deberet ſacer textus intelligi, niſi phraſi, *per ſe non poſſe formare in nobis alios conceptus*, intelligas, homines præjudiciis occupatos incidentes in textus, in quibus formulæ iis innitentes reperiuntur, exiſtimare primo intuitu, ea præjudicia à Spiritu Sancto deſignari, à quâ tamen cogitatione poſtquam quis circumſtantias textus rite examinavit, eſt recedendum.

CAPUT XLIII.

Objectiones à ſeptima decima uſque ad vigeſimam ſeptimam proponuntur & refutantur.

DCCXCV. Succedunt nunc aliæ Objectiones, quas de novo ex Adverſariorum ſcriptis collegi, quarum tamen quaſdam ſi potiùs inter Exceptiones velis numerare, non multum refragabor. Septima decima deſumitur ex M. pag. 8. dicente: *Hâc ratione omnium auctorum falſitates excuſavero, dicendo, auctorem quidem uti hâc vel illâ formulâ falſum ſignificante, interim ipſum verum ſentire.*

Reſp. Nullo modo, ſi id ita explices ut ego, nempe, *Auctorem uti formula quâdam veritatem generalem ſignificante, etiamſi alius quis ea utens per eam præter iſtam veritatem, etiam quandam falſitatem conſignificaret.* Id enim faciens auctor, cum tali ſermone non falſum, ſed verum ſignificet, nullius etiam falſitatis poterit accuſari.

DCCXCVI. Objectionis octavæ decimæ loco ſint ſequentia (M. p. 9.) *Quando Paulus formulam Menandri 1 Cor. XV. 33. Epimenidis Tit. I. 2. Arati Act. XVII. 28. ſuam facit, quis dicat eum ſenſum illarum & ſententiam auctorum illorum non ſuam facere.*

Reſp. Si in illâ formulâ munus ſignificandi ſit tantum unum, tum omnino is, qui eâ utitur, illum etiam unum ſenſum ſuum facit, ſi ſe non alibi explicet, ut ſuperiùs vidimus; ſed ſi munus illa formula obtineat duplex, tum tantum generalem ſenſum ſuum facit, non etiam neceſſario ſpecialem, quem cum eo auctor conjunxit, v. g. ponamus Aratum per illa

illa verba, τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμὲν, ſignificaſſe primo quidem & generaliter, nos à Deo Originem noſtram habere. 2. ſpecialiter, ita ab eo originem habere, ut etiam partem divinæ eſſentiæ ſimus conſecuti, tum proculdubio Sp. S. tantum prius ſignificavit, non poſterius conſignificavit.

DCCXCVII. Sequitur Objectio nona decima M. p. 9. *Quicunque formulis loquendi ſciens volens alio ſenſu utitur, quam is cui loquitur, is non barbarus modo, ſed & fallax eſt, quod utrumque blaſphemum eſt de Spiritu Sancto cogitare.*

Reſp. Qui in ſenſu principali & generali utitur formulis loquendi, quo utitur is, cui loquitur, ille nec barbarus, nec fallax eſt, etiamſi ſpecialem illum ſenſum non conſignificet, quem omnis is, cui loquitur, dum illis formulis uteretur, ſignificaret. At Sp. S. utitur formulis iſto ſenſu generali & principali.

DCCXCVIII. Objectio vigeſima M. p. 13. *Quæ ſententia infert, Deum aliquando eſſe falſum teſtem, ea prorſus eſt falſa & abſurda; ſed id facit veſtra ſententia*, Ergo. Min. *quia Deus loquens ſecundum falſam opinionem vulgi, (hoc eſt, utens* formulis receptis, etſi opinionibus erroneis innitantur) *profert teſtimonium à re diſſentiens.* Probatur viciſſim Minor: *quia teſtatur moveri Solem, & Terram quieſcere, cum reverâ Sol non moveatur.*

Reſp. Neg. Min. cum probationibus. Quod enim teſtatur Sp. S. formulis dictis, quod ſignificat, quod docet optimè cum veritate convenit: falſiſſimum autem eſt, ullibi teſtari vel docere Sp. S. *Solem moveri & Terram quieſcere.* Atque hæc mera eſt petitio Principii, & aſſumtio ejus, quod eſt in quæſtione.

DCCXCIX. Inſt. M. p. 15. *Cui fides eſt adhibenda, illud eſt teſtimonium: At omnibus quæ Deus loquitur eſt fides adhibenda, Ergò.*

Reſp. Concedi totum argumentum: id enim Deus loquitur formaliter & proprie, quod per verba ſignificat, eique fidem eſſe adhibendam unà cum omnibus vere Chriſtianis contendo, & propugnabo, quamdiu Spiritus hos reget artus; ſed Deum loqui formaliter, Solem motu reali moveri & ſimilia, quæ homines Scripturis tanquam nolis ſonantibus affingunt, nego.

DCCC. Objectio vigeſima prima M. p. 16. *Deus loquens ſecundum falſam opinionem vulgi* (hoc eſt, utens formulis vulgi, ex præjudiciis originem habentibus) *ſciens volens abludit à veritate, Ergo conſtituitur mendax.*

Reſp. Min. Neg. & quia ejus fundamentum (quod per illas formulas teſtetur falſitatem ex noſtrâ ſententiâ) eſt refutatum, atque de eo etiam ſuperiùs actum, non eſt quod hic plura dicamus.

DCCCI. Objectio vigeſima ſecunda M. p. 16. *Per eam ſententiam evertitur omnis fides divina*; quod evincere inde conatur, *quia ea ſententia veritatem tollit à teſtimonio.*

Reſp. Illud ſuperius refutatum.

DCCCII. Inſt. 1. M. p. 17. *At hac ſententia tollit hoc axioma, quicquid Deus dicit verum eſt*: Ergò tollit omnem fidem divinam.

Reſp. Negatur Antecedens, ejuſque falſitas ex dictis patet.

DCCCIII. Inſt. 2. M, p. 18. *At qui ſtatuit Deum loqui aliquando falſum, ſecundum opinionem vulgi, ille negat omne quod Deus dicit verum eſſe.*

Reſp. Nullibi dixi, Deum loqui falſum, ſed tantum dico, uti formulis receptis; quo nullatenus nego, omne quod Deus dicit verum eſſe; ſed quæſtio eſt, quid ſit illud quod Deus dicit? utique id quod ſignificat, quod teſtatur, quod docet; quod non eſſe falſum ex noſtra ſententia ſupra evictum.

DCCCIV. Objectio vigeſima tertia M. p. 19. *Per iſtam ſententiam, errare, ſit bonum morale*, quod ſic oſtendere conatur: *Ad quodcunque tenemur lege divinâ, id eſt bonum morale. Atqui (ex hypotheſi adverſarii ſtatuentis, Deum in naturalibus loqui quod in ſe falſum eſt &c.) tenemur lege divinâ ad errandum: Ergo.*

Reſp. Neg. hanc meam eſſe hypotheſin, Deum in naturalibus loqui quod in ſe falſum eſt, cum dixerim, quod his formulis verum loquatur.

DCCCV. Objectio vigeſima quarta M. p. 20. *Hac ſententia convenit cum Pontificiis ſtatuentibus, fidem divinam non reſolvi ultimo in Scripturam Sacram, ſed in Eccleſiam. Et cum Socinianis docentibus, quicquid repugnat rationi non eſſe credendum, in eo, quod cum illis conſtituis normam quandam extra Scripturam, ad quam Scriptura ſenſus examinari debet, quaque de eo judicare poßit.*

Reſp. Negando, me aliquam normam extra Scripturam agnoſcere, ad quam ejus veritas examinari debet; neque enim aliud quid ex mea ſententia colligi poteſt, quam id, quod adverſarius ſtatuit p. 22. *Rationem ut medium recto Scriptura ſenſui eliciendo adhiberi poſſe.* Probandum ergo contrarium ab Adverſario ex meis verbis fuiſſet.

DCCCVI. Pergit: *In hoc verò diſſentiunt, quod Wittichius ſtatuat veram*

ram aliquam falſitatem in Scripturâ exiſtere: illi vero id prorſus inficientur. 2. quod hîc tantum locutiones de rebus moralibus & naturalibus rationis judicio velit ſubeſſe, in rebus vero puris putis fidei Scripturæ ſuprematum libenter agnoſcere profitetur.

Reſp. Falſiſſimum prius, me judicare veram aliquam falſitatem in Scripturis exiſtere, idque ſæpiùs à me negatum, neque talia verba ulla in meis Diſſertationibus reperiuntur. 2. neque dico, locutiones de rebus naturalibus & moralibus debere ſubeſſe rationis judicio, ut ad eam tanquam normam examinentur, ſed tantum: rationem eſſe medium, per quod cognoſci poſſit, quales ſint locutiones illæ, num accuratæ, num vulgares, quæ præjudiciis quidem innitantur, veritatem tamen aliquam ſignificent.

DCCCXVII. Quandoquidem ergo hæc mea non eſt ſententia, fruſtrà p. 23, 24, & 25. argumenta contra me proferuntur, quibus probetur, rationem non eſſe normam, ad quam Scriptura debeat examinari, cum de eo nulla inter me & adverſarios fuerit aut unquam futura ſit quæſtio.

DCCCVIII. Objectio vigeſima quinta poteſt formari ex verbis H. p. 215. ubi dicit: *Deum ideo nobis condeſcendere, ut judicemus, non autem quia præjudicavimus* (reliqua contra me non faciunt, nam ad noſtrum captum Sp. S. deſcendere in ſpiritualibus atque myſteriis non negamus.)

Reſp. Utrumque verum eſt, adeoque hæc duo conjungenda, non ſejungenda ſunt, quia præjudicavimus & hinc iſtis præjudiciis ſermonem accommodavimus, Sp. S. voluit ſe nobis accommodare, dum utitur iſto ermone, prout ſuperius eſt demonſtratum.

DCCCIX. Objectionem vigeſimam ſextam ſuppeditare poſſunt verba H. p. 227, 228. *Ex ſancti Spiritus mente ſcripta verba ſunt: quæ altiſſimi mens ex divinarum Scripturarum ſenſu petenda omnino eſt & evincenda.*

Reſp. Hæc omnia libenter concedo, neque enim alio ſenſu dixi, Sp. S. loqui ſecundum opinionem vulgi, quam phraſes vulgi uſurpando, & per eas veritatem generalem ſignificando.

DCCCX. Tandem objectionem vigeſimam ſeptimam deſumimus ex H. p. 279. *Aut Deus ſeſe nobis accommodavit integris aut corruptis. Non prius, Ergo poſterius. At ſi corruptis, detur ratio quare aut quomodo iſtud fieri debuit, vel potuit, cum nondum conditi ad Dei imaginem, ne dicam corrupti in eâdem eſſemus.*

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Deus in Scriptura, quam curavit conſignari, ſe accommodavit nobis corruptis, in eo quod formulas loquendi, quas præjudiciis accommodaveramus, retinuerit, ob id quod receptæ erant, ita ut per eas non omne id quod nos, quatenus tales, ſed tantum id quod verum, ſignificaret, ut ex ſuperioribus patet. Quando Verbum ſuum literis exarari curavit, utique jam exiſtebant homines corrupti, quos per Scripturam voluit de viâ ſalutis & liberatione ex illa corruptione inſtruere, quibus uſque ad nos continuo ſucceſſerunt ſimili corruptione laborantes.

CAPUT XLIV.

Sententiam de Gyratione Telluris non adverſari auctoritati & veritati ſacrarum literarum oſtenditur. In ſpecie verò cum iſtâ ſententiâ conciliatur Joſuæ capitis x. verſus 12. & 13.

DCCCXI. Hactenus evicta eſt ſententiæ noſtræ generalis (ex quâ dicimus, Scripturam de rebus naturalibus uti ſermone recepto, etiamſi ex præjudiciis ſenſuum & infantiæ habeat ortum) veritas, atque oſtenſum, eam cum ſacrarum literarum Auctoritate & Veritate nullatenus pugnare. Nunc in ſpecie oſtendendum, ſententiæ Carteſii de gyratione Terræ circa axem ſuum, nullum eſſe diſſidium cum ſacris literis. Fatemur, Scripturam loquentem de viciſſitudine dierum & noctium, uti illis ipſis phraſibus & formulis loquendi, quibus Vulgus eam viciſſitudinem exprimere ſolet, quamvis Vulgus ſub illis loquendi formulis præterea errorem, quem de cauſâ iſtius viciſſitudinis adoptavit, ſignificet. Vulgus nimirum à Terræ partibus, tanquam immobilibus ſpectatis, Solis & ſtellarum loca determinat, atque Solem Stellaſque eâtenus moveri judicat, quâtenus à locis ita determinatis recedunt, atque ita ſitum ſuum ratione Terræ mutant, & per iſtam ſitus mutationem viciſſitudinem dierum atque noctium introducunt; in eo verò errat, quòd exiſtimat, Terram reverâ in medio mundi ita quieſcere, ut à Cœlo & aëre circumjacente non deferatur: Solem verò è contrario, ut & ſtellas fixas, ſingulis diebus circa Solem una cum cœlo circumferri, atque hanc Solis, ſtellarumque fixarum unà cum cœlo circumlationem vel rotationem circa Terram eſſe iſtius viciſſitudinis cauſam. Illum errorem vulgus connotat, dum Solem oriri & occidere, progredi ab unâ extremitate cœlorum

ad

Digitized by Google

an alteram &c. dicit, ſed primariò denotat variationem ſitus Solis & ſtellarum reſpectu noſtri oculi, cui ſententiæ exprimendæ hæ formulæ ſunt inventæ. Sapientes, dum de his rebus loquendũ, non poſſunt aliis loqui formulis, quàm iis, quæ à vulgo ſunt inventæ & in communi ſunt uſu, nec tamen magis iis turbantur, quàm Mathematici per ſchemata figurarum non ſatis accurata, quibus non minus commodè uti poſſunt ad demonſtrationes etiam accuratiſſimas conficiendas, quàm ſchematibus longè accuratioribus, quoniam non tantoperè ad ea, quæ per ſenſus repræſentantur, quàm ad rei ipſius naturam & eſſentiam attendunt. An ergo putabimus Sapientiſſimum Deum, non æquè poſſe uti ad ſuum obtinendum ſcopum illis formulis loquendi à vulgo inventis, etſi non ſatis accuratæ fuerint, & à vulgo quoque adhibeantur ad aliquos errores denotandos? an non Deus per has formulas poteſt veritatem denotare eam, quæ ab errore eſt ſeparata, quamvis vulgus, & ſi qui docti hâc in parte communem cum vulgo foveant errorem, dum iis utuntur, errorem cum veritate conjunctum per has phraſes & loquendi formulas deſignent; quamvis etiam hi ipſi, dum legunt Scripturam, veritatem & errorem unà ſignificari putent, adeoque illum ipſum errorem pro liquidâ veritate amplectantur. Quod ſi igitur poteſt Deus per dictas formulas loquendi veritatem hanc deſignare, quod ſingulis 24 horarum ſpatiis fiat viciſſitudo diei & noctis ob variatum ſitum Solis & ſtellarum reſpectu oculi noſtri; &, ſi circumſtantiæ illorum locorum Scripturæ, in quibus iſtæ formulæ occurrunt, etiam aſſerere cogant, per illas formulas hanc veritatem deſignari, quis dubitabit, quin Deus etiam iſtam veritatem per illas loquendi formulas reverâ voluerit exprimere? Si verò ſimilitèr circumſtantiæ illorum locorum nos eò adigant, ut præter hanc veritatem utrinque conceſſam ſimul etiam deſignari putemus, *hanc variationem ſitus oriri ex diurnâ rotatione Solis & ſtellarum fixarum unà cum Cœlo circa Terram*, & hoc ipſum erit aſſerendum, & pro veritate certiſſimâ erit habendum; ſin è contrario circumſtantiæ illorum locorum hâc de re nihil determinent, etiam à nobis non erit aſſerendum, tale quid in dictis locis denotari; quid verò de ipſâ illâ re fuerit ex rationis lumine erit determinandum. Nihil ergo nunc amplius nobis agendum reſtat, quàm ut indagemus, an loci illi ab adverſariis adducti ad probandum, *quod Sol cum Cœlo & ſtellis fixis ſingulis 24 horarum ſpatiis circa Terram quieſcentem circumvolvatur*, id ipſum revera deſignent? quod ex circumſtantiis iſtorum locorum, ex ſcopo imprimis, antecedentibus & conſequentibus &c. eſt inquirendum. Ad rem ergo ipſam nos accingentes ſingula loca ordine

Digitized by Google

examinemus. Primus locus eſt Joſ. x. 12, 13. *Tunc allocutus eſt Jehoſchuah Jehovam, quo die expoſuit Jehova hunc Emorrhæum filiis Iſraëlis, & dixit ante oculos Iſraëlis: Sol in Gibbone ſubſiſte & Luna in valle Ajalonis. Subſtitit ergo Sol & Luna ſtetit, donec vindicata eſſet Gens Iſraëlitica ab hoſtibus ſuis. Nonne hoc ſcriptum eſt in libro recti? Stabat autem Sol in medio Cœlo, neque feſtinabat ad occaſum, quaſi diem integrum.* Hunc locum B. D. p. 13. ita urget: *Quænam erit probabilitatis ſpecies, quod Joſua plenus Spiritu Sancto, tam ruditer, ſenſu rei veritati contrario, loqui voluerit.* Ad quem locum cum noſtrâ ſententiâ conciliandum obſervamus. 1. Non abſurdum eſſe, ſi dicamus, Joſuam non omnia ſciviſſe, quæ pertinebant ad res naturales, quamvis Spiritu Sancto fuerit plenus, non enim ad hoc ipſi Spiritus Sanctus erat datus. Quidni enim nobis idem liceret ſtatuere de Joſua, quod Celeberrimus Voſſius lib. 3. de Idololatria c. 99. ſtatuit de Apoſtolis, his verbis: *Nec enim,* inquit, *neceſſe eſt, credamus, Clementem ſciſſe omnia, quæ facerent ad arcana naturæ. Ne id quidem credere eſt opus de Apoſtolis; licet Chriſtus promiſerat, miſſurum ſe Spiritum Sanctum, qui in omnem eos duceret veritatem. Quippe hoc reſtringendum ad veritatem earum rerum, quæ ad ſalutis pertineant negotium; imo ne harum quidem omnium, quia Apoſtoli ipſi ex parte viderunt ac probarunt: ſed omnium, quas ſcire eſt opus alteram ad vitam conſequendam.* Nihil ergo inconvenientiæ futurum, ſi dicamus, Joſuam ibi opinionem vulgi ſecutum, & opinatum fuiſſe, quod Sol vero motu ſive rotatione circa Terram diem efficeret, & hinc petiiſſe, ut ejus motus aliquamdiu ſiſteretur.

DCCCXII. 2. Sive autem ſciverit Joſua, ſive non, *cujus motui tribuenda diei & noctis viciſſitudo, Solis ne an Terræ*, adhuc facilis eſt ſolutio. Conſideremus tantùm, quid hoc in loco Joſua à Deo efflagitaverit. Is proculdubio ex inſtinctu Sp. S, qui fidem miraculorum in corde ipſius accenderat, exoptavit, ut dies continuaretur, quo vindictam ſumere poſſet, de inimicis Dei & populi Iſraëlitici. Itaque ſuum votum expreſſit hâc formulâ, ut Solem ſtare juberet: ſi enim ſcivit, Terram gyrare, non opus erat, ut propterea alia formula loquendi uteretur, quàm vulgo erat recepta; ſi verò neſcivit, non multum intererat, neque tempeſtivum erat, ut tunc, quid ſit de cauſis viciſſitudinis dierum ac noctium accuratè examinaret, & reperto, cauſam iſtam Terræ gyrationi eſſe adſcribendam, formulâ accuratâ uteretur. Sed ſciebat, Deum intellecturum ſuam intentionem, quibuſcunque verbis eam exprimeret, modò tales illæ eſſent, quæ ad continuationem diei ſignificandam eſſent aptæ. Itaque cum porrò de exauditione ejus dicitur, Scriptura ipſius formulæ loquendi

reſpondet,

Digitized by Google

reſpondet, ut, quemadmodum ipſe diei prolongationem petiit per hanc formulam: *Sol ſta*, ita Scriptura oſtendat, ſimili formulâ, illud quod petierat factum eſſe, ut nempe dies fuerit prolongatus.

DCCCXIII. 3. Voluit ut Sol ſibi ſtaret ad ſcopum ſuum obtinendum, id eſt, ſupra ſuum Horizontem maneret, quod fieri potuit, ſive motus Solis apparens ſiſteretur, per Terræ, ſive verus per Solis quietem, quæ reſponſio eſt ex Keplero deſumta, cui ſimilis eſt Foſcarini, qui ita dicit: *Joſua imperium*, Sol ne movearis, *& miraculum immoti Solis, ab eo perpetratum ita poteſt accipi, ut non propriè corpus ſolare, ſed Solis ſplendor ſuper Terrâ ſubſtiterit, ex eo, quod non ipſe Sol (per ſe jam prius immotus) ſed ipſa Terra ejus ſplendorem recipiens motum ſuum ſtiterit: quæ ſicut ordinarium ſuum motum Orientem verſus indeſinenter perſequendo, Solis ſplendorem in Occidentem acciviſſet, ita immota manens, immotus & ſtetit Solis ſplendor in eam impreſſus.* 4. Subjungamus tandem Belgarum Interpretationem, qui ad verba *in Gibhone*, ita annotant: *Dat is, ſtaet ſtille te dier plaetſe, daer ghy nu zijt, want Joſua was te deſer tijdt te Gibeon verſ.* 10. Item ad verba, *in Convalle Ajalonis. De ſinn der woorden Joſua is, Sonne en gaet ons niet onder, ter wijle wy in Gibeon ſtrijden, ende Maene en brengt ons den nacht niet aen*, hoc eſt, *conſiſte in hoc loco, in quo nunc es, nam Joſua erat tunc temporis in Gibeone.* Item, *Senſus verborum Joſua eſt, Sol ne occidas nobis, quamdiu pugnamus in Gibeone, & Luna, ne nobis adducas noctem.* Ex quâ interpretatione hæc duo pro noſtra ſententia colligimus, 1. in eo cognoſci debere vulgarem locutionem, quod Soli tribuitur exiſtentia in Gibeone, quæ tamen conveniebat Joſuæ; inde non mirum eſſe debet, ſi etiam in illo ipſo STARE talem annotemus. 2. Joſuam petere, hancque ipſius eſſe intentionem, ne Sol ſibi occidat. Soli autem ortus & occaſus convenit & tribuitur tam ab iis, qui Copernici ſyſtema corporum cœleſtium admittunt, quàm à Ptolemaicis vel Tychonianis.

DCCCXIV. Exc. 1. B p. 152. ad Obſervationem primam, præter ſcommata in Carteſium conjecta, quas ſordes lubens prætereo; *Quamvis Joſua non omnia naturalia noverit, nullo modo tamen eſt credibile, ipſum ignoraſſe illa naturalia de quibus loquebatur: & cum precabatur ut afflatus Spiritu Sancto, ipſum neſciviſſe, an verè, an ſecundum apparentiam loqueretur.* Simile quid habet M. cap. 7. art. 4. & 6. quæ ſi ita videatur poterunt conferri.

Reſp. Quodnam verò hic habebis argumentum, quò probes, Joſuam ſciviſſe, an Terra, an Sol reali corporis ſui motu viciſſitudinem dierum & noctium cauſetur? Hoc proculdubio vis dicere; qui loquitur de

Digitized by Google

de rebus naturalibus ex afflatu Sp. S. habuit etiam illarum naturam intimè perſpectam. At Joſua; Ergo. At ambiguitas in Majori erit manifeſta, hanc enim duplici ſenſu poteris intelligere: vel hoc; qui in tantum in quantum loquitur de rebus naturalibus habet afflatum Sp. S. & ad hoc ipſum ſibi datum, ut accuratè earum naturam per iſtum afflatum diſceret, ille habet illarum naturam intimè perſpectam, quo ſenſu Maj. concedo. Min. nego. Vel hoc; Qui cum loquitur de rebus naturalibus afflatus eſt Sp. S. ad hoc, ut preces ardentes coram Deo effundat & fide de exauditione ſit certus, ille habet illarum naturam intimè perſpectam. Sic Min. conceditur, Maj. negatur: non enim afflatus Sp. S. ulterius extendendus, quàm ad id, ad quod datus fuit. Quaſi verò non poſſint preces fundi afflatu Sp. S. in quibus etiam mentio fit rerum naturalium, ut tamen illarum natura non ſit intimè perſpecta. Velim hîc Dn. du Bois in memoriam ſibi revocare, quæ antehàc ſcripſit in libro, quem vocat *Oudetijdts Tydt-threſoor* p. 55. eaque applicare ſuæ objectioni hîc factæ. Verba ſic habent: *Stephanus was wel gedreven door den H. Geeſt, ſoo dat hy in de grond van de leere niet gemiſt heeft: maer dat en ſtrijdt daer niet tegen, dat hy in eenige omſtandigheden van byſondere hiſtorien noch niet alle beſcheidene kenniſſe gehadt, of op die ſelvige ſoo nauw gelet heeft*, hoc eſt, *Stephanus erat quidem actus à Spiritu Sancto, ita ut in fundamento doctrinæ non erraverit: ſed hoc non repugnat ei, quod in aliquibus circumſtantiis ſingularium hiſtoriarum nondum habuit ſatis diſtinctam cognitionem, aut ad illas tàm præcisè attendit.*

DCCCXV. M. p. 23. ferè ſimili hîc argumento utitur, ſed præterea contra hanc primam meam obſervationem ſic argumentatur: *Joſua fuit uſus præceptore Moſe per multos annos; Ergo novit veram cauſam viciſſitudinis dierum & noctium.*

Reſp. Nonne multò magis liceret colligere, Apoſtolos omnia ſciviſſe, qui longè ſapientiori præceptore fuerant uſi ipſo Chriſto, quos tamen Voſſius negat, omnia ſciviſſe & omnes res naturales habuiſſe cognitas. Quouſque Joſuæ cognitio in rebus naturalibus ſeſe extenderit, & an circa hanc quæſtionem fuerit informatus, difficile eſt divinare. Quod verò addit, *iſthoc comma non videri multùm recedere à ſententiâ Socini dicentis, ſcriptores ſacros memoriâ labi & in levioribus errare potuiſſe*; ad id reſpondeo, videri mihi tantum recedere quantum inde receditur, ſi quis dicat, Apoſtolorum dicta quædam etiam in libros ſacros relata, qualia de regno terreno Meſſiæ, de præeminentia &c. errorea fuiſſe, quo ſane non diceretur, eos in iis, quæ tanquam θεόπνευστοι ſcripſerunt, errare potuiſſe.

DCCCXVI.

DCCCXVI. Exc. H. p. 40. ubi præcedentia ſua verba in ſummam colligit: *Qui repletus eſt ſapientiæ Domini Spiritu, ille non eſt de vulgo, ille ſapienter, ille verè cum Spiritu ſapientiæ & non falsò cum vulgo ſentit & loquitur. Spiritui quippe ejus quem dederat ei Dominus, non ideo ſapientia tribuitur, quia cum vulgo falſo loqui & ſentire, ſed quia ſupra vulgum ſapere debet. At Joſua &c. Ergo ſapientia, quæ eſt ſupra vulgum, pugnat cum opinione vulgi; ideo quippe vulgi fæcibus eximimur, ut meliora ſapiamus, meliora loquamur.*

Reſp. I. Applicetur eadem reſponſio, quæ art. 814. fuit data. Neque enim, an ad vulgus talis ſit referendus, opus eſt multum litigare: multi enim vulgi fœcibus exemti ſunt, qui tamen quatenus præjudicia quædam retinent, eâtenus ſupra vulgus ſe non extulerunt: ſufficit, ſi oſtendamus, hoc argumento non probari, Joſuam ſciviſſe cujuſnam motui debeat attribui cauſa viciſſitudinis diei & noctis: dico itaque, Majorem eſſe limitandam; Qui repletus eſt Spiritu ſapientiæ Domini in omnibus & quoad omnia, tam naturalia quam ſupernaturalia & politica, is non cum vulgo falsò ſentit & loquitur. Sic demum vera eſt Major. At nego Minorem ſic ſubſumtam, quæ non magis ex Num. XXVII. 18. probatur, quam ex Joh. XVI. 13. probari poteſt, Apoſtolos per Spiritum Sanctum cognoviſſe omnes veritates phyſicas; vide reſponſionem meam ad hunc locum capite 34.

DCCCXVII. Pergit B. p. 153. & inquit: *Comparationem inter Apoſtolos & Joſuam nihil eſſe ad rhombum: nam de illis quæ ignoraverunt nihil eſſe locutos: at de quiete Solis & Lunæ miraculoſâ locutum eſſe Joſuam & hiſtoriam facti referre hiſtoricum ſacrum.*

Reſp. Comparatio à me hactenus tantum fuit inſtituta: Si non abſurdum eſt ſtatuere, Apoſtolos afflatos Sp. S. non omnia tamen ſciviſſe; Ergo etiam non eſt abſurdum illud Joſuæ attribuere. Ex eo verò quod locutus fuerit de quiete Solis & Lunæ, hoc eſt, quod formulas uſurpaverit, quibus vulgus præter veritatem generalem etiam quietem Solis & Lunæ ſignificat, non inferri, cum veras cauſas viciſſitudinis dierum habuiſſe perſpectas, antea eſt oſtenſum.

DCCCXVIII. Addit B. p. 153. *Quando in Apoſtolis alicujus rei ignorantia percipitur, ejus certa eſſe indicia, quæ in Joſua debuiſſent etiam dari: aliàs intolerabilem eſſe audaciam, ſi rei, de quâ agebatur, inſcitiam vel lapſum ipſis tribuamus.*

Reſp. Cadet hæc Objectio, ſi quis conſideret, quodnam ſit officium reſpondentis; ei enim ſufficit argumenti adverſarii infirmitatem oſtendiſſe

Digitized by Google

diſſe per petitionem ulterioris probationis, nec requiritur ut ipſe contrarium probet, Dico igitur, ex precibus Joſuæ non poſſe inferri ſententiam oppoſitam; cum potuerit fieri, ut Joſua veram cauſam viciſſitudinis diei ignoraverit, cujus contrarium oſtendendum ei, qui huic argumento firmitatem velit conciliare.

DCCCXIX. Ad ſecundam obſervationem Exc. 1. B. p. 155. *Non tantum referri ſcopum generalem Joſuæ, reſpectu prolongationis diei, ſed etiam modum ſive remedium, quo prolongari petebat, videl. ſtationem Solis & Lunæ: abſurdum autem fuiſſet petere prolongationem diei per tale medium quod impetrari non poterat.* Simile habet M. p. 126. *In petitione Joſuæ* &c. quæ videat cui vacat.

Reſp. Unde verò probabitis, & Joſuam petiiſſe ut hoc medio, nempe per ſtationem Solis & Lunæ dies prolongaretur, & à Deo hoc medio illud factum fuiſſe? Dicetis ex illis verbis: *Sol ſta, & Sol ſtetit.* Verum ſic petetis principium & pro certo aſſumetis, quod eſt in quæſtione. Dico itaque, cùm formulæ receptæ de viciſſitudine dierum & noctium loquentium ſint: *Solem moveri, Solem progredi &c.* (quibus tamen ſapientes utentes nihil aliud denotant, quam illam viciſſitudinem & variationem ſitus corporis ſolaris, quamvis præjudiciis occupati & ex primâ inſtitutione etiam cauſam iſtius viciſſitudinis falſam connotent:) non potuiſſe miraculum circa viciſſitudinem dierum & noctium factum aliter ſermone vulgari efferri, & ut formula circa miraculum adhibita opponeretur formulæ, quâ naturalis rei conſtitutio exprimitur, quàm, ſi Sol dicatur ſtetiſſe, ad deſignandum, diem miraculosè fuiſſe prolongatum.

DCCCXX. Exc. 2. M. p. 127. *Si iſta formula falſa fuiſſet, tum in ejus locum alia à Joſua & facile potuiſſet & neceſſario debuiſſet conſtitui, potuiſſet enim eadem opera in hunc modum locutus fuiſſe: maneat nobis dies.*

Reſp. Per formulam iſtam, quatenus à Sp. S. fuit adhibita, nihil falſum fuit expreſſum, ut ſæpius dictum, ideoque nulla erit neceſſitas, quare alia iteretur?

DCCCXXI. Exc. 3. Pergit B. pag. 155. *Α'προσδιόνυσον eſſe, quod dicam, tunc non fuiſſe tempus cogitandi de motu corporum, quibus dies efficitur, & conſiderare, quorum motui ille tribui debeat, atque ita accuratè loqui, quia,* inquit, *conſiderare quid & quomodo ſit loquendum, locum quidem habet in materiis controverſis, at non in illis de quibus nulla eſt controverſia. De illa autem quæſtione nunquam fuiſſe in populo Dei.*

Reſp. His antea verbis fuerã uſus, ſed quia video, hæc verba cum vel nõ intellexiſſe, vel nodum in ſcirpo quæſiviſſe, in ipſius gratiam cùm clarioribus,

ribus,

bus, quantum potui, in *Conſenſu Veritatis* commutavi. Nemo verò niſi ſimilis adverſario dubitaverit, an etiam illæ res accuratè examinandæ, de quibus nulla eſt controverſia, ut accuratè habeantur cognitæ: poteſt enim fieri, ut illæ res, quæ ſine controverſiâ promiſcuè à quibuſvis tanquam veræ, ex præjudiciis & conſuetudine receptâ admittuntur, non minus examen requirant, quàm quæ controverſæ ſunt.

DCCCXXII. Exc. 4. M. vero p. 127. *concedit tum tempus non fuiſſe, ut quid ſit de cauſis viciſsitudinis dierum & noctium, accuratè Joſua & examinaret, ſed,* inquit, *non opus fuiſſe, cum Sp. S. inſtinctu hanc formulam protulerit.*

Reſp. Ponamus hoc, quid inde? potuit illa formula ipſi ſuppeditari à Spiritu Sancto, in quantum formula ſolita inter homines communiter deſignat prolongationem diei, quod hîc ſufficit.

DCCCXXIII. Exc. 5. B. p. 156. *Puerile eſſe quod ſequitur* (ſcil. in mea obſervatione) *ſciebat Deum intellecturum ſuam intentionem, quibuſcunque verbis eam exprimeret*: rationem affert, plane ſc. gravem, *Joſua*, inquit, *proprie non Deum, ſed Solem & Lunam eſt allocutus.*

Reſp. Quaſi vero dubitari poſſit, quin verba hæc Joſuæ tacitum votum habeant incluſum, quamvis per proſopopœian ad Solem fuerint directa. Quis neget, Apoſtolorum verba, quibus allocuti fuerunt eos, in quibus miraculum patrandum, in ſe continuiſſe precationem, v.g. quando Actor. XIV. 10. Paulus dixit, *ſurge in pedes tuos rectus*, ad virum Lyſtris pedibus captum?

DCCCXXIV. Exc. 6. B. p. 156. *Quando verò hiſtoriographus ſacer commemorat miraculum, in eo conſiſtens, quod Sol ſteterit, non tantum refert diei prolongationem, ſed etiam cauſam, videl. ſtationem Solis in medio Cœli: & quod modò de ſcriptoribus ſacris injiciebamus, hujus hiſtoriæ ſcriptori etiam eſt applicandum, vid. quod non aliter ſcripſerit quam ſecundum rei veritatem in univerſo Dei populo Prophetis incluſis receptam & creditam.*

Reſp. Meræ petitiones principii, 1. Miraculum fuiſſe Solis ſtationem realem. 2. his verbis ab hiſtoriographo referri, hoc eſt, doceri, teſtimonio firmari cauſam prolongationis diei. 3. Solis motum eſſe veritatem. 4. eſſe ſententiam in univerſo Dei populo etiam Prophetis receptam, cum de eo non conſtet; quod tamen, etſi verum eſſet, nihil nobis incommodaret.

DCCCXXV. Exc. 7. M. p. 126. *Ideo formulam petitionis Joſuæ non mutavit Sp. S. quia per eam rem veram exprimi videbat, adeoque nullam ejus mutandæ reſtare cauſam, quapropter non iiſdem modo verbis &c.*

Reſp.

Reſp. Ideo non mutavit quia formula erat talis, quâ inter homines debebat exprimi miraculum prolongationis diei, quamvis ſi ea uteretur aliquis, à præjudiciis nondum liberatus, præter veritatem illam generalem, quam ſolùm ſignficavit Spiritus Sanctus, etiam præjudicium fuiſſet conſignificaturus.

DCCCXXVI. Ad Obſervationem tertiam Exc. 1. B. p. 157. *me hâc reſponſione nihil novi adferre.* Quod lectoris judicio relinquo, qui facile perſpiciet, quantum differant inter ſe, *Hiſtoriographum per verba illa tantum ſignificaſſe prolongationem diei*, quæ eſt prior reſponſio, &, *Solem ſtetiſſe Joſua reſpectu ipſius*, nempe ſitum non variâſſe, quæ eſt poſterior Kepleri & Foſcarini, quam non adduco propter auctoritatem, utpote qui nullius hominis auctoritatem tanti putem, ut propterea aliquid in Philoſophicis vel Theologicis ſtatuendum vel negandum cenſeam, ſed quod exiſtimem, non incommodè etiam verba iſtius loci ſic poſſe exponi.

DCCCXXVII. Exc. 2. B. D. p. 23. *Bona eſſet reſponſio, dummodò rem veram eſſe comprobatum eſſet, at deficiente illâ comprobatione, verba tantum ſunt: nec aliquid in ſpecie reſpondetur, quod non ante in reſponſione generali productum fuerit; videlicet illa dici ſecundum apparentiam. Ergo etiam ad retundendam hanc exceptionem ſufficere poſſent vindiciæ generales. Sed preſſiùs urgebo hunc locum. Verba Jehoſuæ facta ſunt non tantum ad Solem, ſed ad Lunam, & miraculum duabus conſtabat partibus, videlicet in ſtatione 1. Solis, 2. Lunæ. Lunæ ſtationem realem fuiſſe & non ſecundum apparentiam Copernicanis fatentibus, certum eſt; dico ergo & Solis ſtationem talem fuiſſe; nulla enim eſt ratio, cur verba de quiete Solis magis ſecundum apparentiam debeant exponi, quàm verba, quæ Lunæ quietem tribuunt, quæque neceſſario de intermiſſione motus ſui ſumendæ ſunt.* Paria his ſunt, quæ in R. St. p. 326. exſtant. *Quam ineptum eſt, cum Scriptura & Solem & Lunam miraculo ſtetiſſe referat, hoc dictum ita dividere, ut in Sole nihil novi contigerit, ut qui ſteterit ab initio mundi & ſemper ſtaturus ſit, Luna vero ordinarie quidem moveri, miraculo autem ſtetiſſe dicatur.*

Reſp. 1. Bonum factum, quod hactenus adverſarius hanc reſponſionem acceptat, proque bona agnoſcit, dummodo rem veram eſſe comprobatum ſit. Id enim cum à nobis abundè in ſuperioribus ſit factum, promitteremus nobis eum impoſterũ veritati magis faventem, niſi contrarium ſecundo ſuo ſcripto fuiſſet teſtatus. 2. id quod in genere dictum fuerat de locutionibus vulgaribus, hîc applicatur & in ſpecie oſtenditur, quomodo hæc verba apud Joſuam cum veritate noſtræ ſententiæ non pugnent.

Digitized by Google

pugnent. Vindicias generales omnes, quaſcunque afferri vidimus à quibuſcunque, ſuperioribus capitibus retudimus. 3. Fateor, verba Joſuæ directa eſſe non tantum ad Solem, ſed etiam ad Lunam, & petiiſſe, ut utraque luminaria ſtarent, hoc eſt, diem prolongarent, nec noctem adducerent, ſed modus ſtandi propterea non utrobique par eſſe debebat. Utraque ergo hæc luminaria ſtabant, ſed alterum ſtatione vera, alterum apparente, qualis ſæpè in Aſtronomia etiam Ptolemaica locum habet. 4. de utroque luminari Joſua loquebatur ſecundum vulgi præjudicia. Etiamſi enim Luna reverâ curreret, hoc tamen vulgus non cognoverat per certam demonſtrationem, ſed æque ac de Sole per ſenſus apparentiam collegerat, in quo ſimiliter potuiſſet falli, ac circa Solis motum fuit falſus. Omne enim illud præjudicium vocari debet, quod ſine ullâ certâ ratione creditur, & pro vero aſſumitur, etiamſi caſu fiat, ut illud ſit verum. 5. Quænam ſit ratio, ob quam ſtatio Lunæ debeat attribui in hoc miraculo realis, Soli tantum apparens, patet ex ſuperioribus, unde hæc reſponſio inepta dici non meretur. Inde tamen non ſequitur, Scripturam partim veram, partim falſam eſſe, niſi ex omnibus locutionibus vulgaribus, quibus Scriptura utitur, ei falſitatis dicam impingere velis, à qua nos illam ſuperius liberavimus.

DCCCXXVIII. Idem quod præcedente articulo vidimus conceſſiſſe Antagoniſtam, B. p. 159. repetit inquiens, *ſi argumentis certis & Mathematicis poßit probari Terram circa Solem ut in centro quieſcentem* (quod tamen nos non dicimus, ſed circa Solem, in centro motuum Planetarum non Geometrico, ſed latè accepto, circa axem ſuum rotatum) *moveri; ſe ut vi coactum in expoſitione verborum ſacrorum ab eorum proprietate receſſurum.* Quando verò addit, *Imo magis ex conceßione loquor quam quod credam talia argumenta unquam invenienda*, oſtendit animum obfirmatum contra quamvis demonſtrationem, quamdiu pro certo habet, argumenta demonſtrativa pro noſtra ſententia nunquam iri repertum. At bene ſe res habet, quod ipſius judicio non ſtet cadatve firmitas alicujus demonſtrationis, & ex defenſione demonſtrationis apparere potuit, quàm facile fuerit inſtantias adverſarii refutare.

DCCCXXIX. Inſt. 1. B. *Rationem ſui argumenti eſſe, quod in eodem loco phraſin eandem diverſimode exponere ſit contra omnes leges legitimæ expoſitionis, meque nihil regerere quod iſtius argumenti vim reſtringat, ſed tantum dicere modum ſtandi ſimpliciter parem non eſſe debere.*

Reſp. Ago quod decet reſpondentem, negando Maj. propoſitionem argumenti art. 16. adducti, & ratio poteſt dari hæc, quia prædicatum

debet intelligi pro ratione ſubjecti, ſive, prout admittitur à ſubjecto. Quod ſi ergò diverſis ſubjectis idem prædicatum attribuatur, non mirum eſt, quod illud diverſimodè veniat exponendum. Oſtendit Dn. Velthuſius multis exemplis iſtius Maj. falſitatem, probavitque, ſæpiſſimè fieri, ut eodem in loco eadem phraſis, pro diverſitate ſubjectorum, de quibus prædicatur, diverſimodè debeat exponi, quibus multa alia adhuc poſſent addi. Sic Pſal. cxxxII. 8. *Surge Jehova aditurus requiem tuam, tu & arca fœderis tui*; ubi ſanè τὸ *ſurgere & adire requiem*, aliter de Deo, aliter de arcâ eſt accipiendum. Hag. II. 6, 7. *Commoturus ſum Cœlum, Terram & Mare & ſiccum, & commoturus ſum omnes gentes*, vox *commovere* alio modo de Cœlis, alio modo de Terrâ, mari & gentibus eſt accipienda. Matth. V. 25. *Ne quando te tradat adverſarius judicio, & judex te tradat miniſtro*, ubi prior traditio à poſteriori plane differt. Joh. x. 23. *ſi quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, remittere peccata alio ſenſu dicuntur paſtores, alio Deus. Verum adverſarii hic erat, afferre rationem, quâ probaret, fieri non poſſe, ut prædicatum diverſis ſubjectis in eodem loco diverſimodè attribuatur, quod facere non eſt auſus.

DCCCXXX. Inſt. 2. M. p. 132. *Me hic negare concluſionem, me ad incitas redactum &c.*

Reſp. Remitto te ad præcedentia, ut videas quid negatum, & ob quam rationem.

DCCCXXXI. Inſt. 3. M. p. 133. Sed contradictionem etiam invenit evidentiſſimam, ſi dicam, *Solem conſtitiſſe, & Solem apparenter tantum conſtitiſſe.*

Reſp. Contradictio eſſet inter has propoſitiones; Sol ſtetit reverâ & Sol ſtetit apparenter, ſive non reverâ. At non eſt contradictio inter has; Sol ſtetit & Sol ſtetit apparenter. Vides ergo in *Adjecto* tuo eſſe contradictionem, non in verbis meis contradictionem eſſe in adjecto.

DCCCXXXII. Inſt. 4. B. p. 161. *Me in Aſtronomiâ quæſiviſſe exemplum, cum in Theologiâ non reperirem.*

Reſp. Ego ex Aſtronomiâ non exemplum affero, ubi prædicatum diverſis ſubjectis tributum diverſimodè accipiatur, ſed dico tantum, ſtationem non ſemper denotare ſtationem veram ſive realem, ſed etiam apparentem, quomodo etiam in Aſtronomiâ Ptolemaica locum habeat; inde enim ſolſtitium dictum, non quod reverâ Solem ſtare exiſtiment, ſed quod tunc ſtare appareat. Nec erat quod objiceret, me imperitum eſſe in Phraſibus Aſtronomorum, quibus Planetarum loca vera & apparentia, ut & motus verus & apparens, idem ſint, cum expreſſiſſime cap. 5. prio-

Digitized by Google

prioris Edit. hoc eſt, *Diſſertationum duarum* &c. art. 5. jam annotaſſem, locum aſtri verum etiam appellari apparentem; ſed oſtendit adverſarius æruginem ſuam & arguendi libidinem. Vera ſunt loca apparentia, & verus eſt motus apparens, quia per hæc deſignatur, quem ſitum Planetæ reſpectu viſus noſtri obtineant, non tamen eo ſenſu ſunt vera, ſi reſpectum habeas ad ſitum, quem inter ipſa corpora cœleſtia obtinent. Interea adverſarius ipſe graviſſime impegit, dum motum realem ab apparente non diſtinxit, prout manifeſtiſſime ei oſtenſum fuit ab Auctore Demonſtr. inept. du Bois pag. 24. cui demonſtrationi tantum abeſt, ut quidquam potuerit opponere, ut & publice errorem ſuum in libello, cui Titulus *Den ingetoomde Carteſiaen* fuerit confeſſus. Hanc reſponſionem Lector applicet ad argumentum, quod verbis diverſis ſignificatione idem habet H. p. 44. *Tandem quæro* &c. quæ videat, cui vacat.

DCCCXXXIII. Inſt. 5. M. p. 128. *Inane cerebri veſtri figmentum, quo Scripturam vobis adverſantem eludere nitimini, dicendo motum Solis apparentem tantum imperio Joſuæ ſtetiſſe &c.*

Reſp. Nos in obſervatione tertiâ ad Objectionem Primam verba Scripturæ ita interpretamur, ut dicamus, hæc verba, *Sol ſta*, & *Sol ſtetit*, eſſe intelligenda non ſimpliciter, ſed ſecundum quid, hoc ſenſu; Sol ſta mihi, & Sol ſtetit Joſuæ, & hoc ipſum non aliud ex ills verbis poſſe elici. Hæc eſt noſtra hîc interpretatio; unde ſequitur his verbis non doceri, utrum hoc factum fuerit per Terræ motus inhibitionem realem, Solis verò apparentem, an verò per motus realis, qui in Sole fuerit inhibitionem. Tu verò inaniter oppugnas admodum interpretationem Scripturæ, quam tamen non ſatis intellexiſti, reliqua tibi relinquo tanquam calumniæ valdè affinia.

DCCCXXXIV. Inſt. 6. M. p. 128. *Solis permanſionem ſupra Horizontem fieri debuiſſe per veram motus Solis inhibitionem, quia motus Solis apparens non ſit motus, adeoque ſiſti planè non potuerit.*

Reſp. Per verba apud Joſuam intelligi poſſe dico Solis permanſionem ſupra Horizontem, ita ut non determinaretur à Spiritu Sancto, quomodo id ſit factum, cum ex verbis illis alius ſenſus non poſſet hauriri; an verò id factum ſit per inhibitionem motus corporis ſolaris, an Terræ, aliunde dico inquirendum: motus verò apparens ſiſti poteſt non realiter, ſed apparenter, prout enim motus eſt, ita ſiſti poteſt: at dico Spiritum Sanctum hîc non intendiſſe plus ſignificare, quam Solis permanſionem ſupra Horizontem, etiamſi formulâ uteretur tali, quali, ſi uſus fuiſſet infantiæ

ſantiæ præjudiciis occupatus, præter hoc etiam cauſam iſtius falſam conſignificaſſet.

DCCCXXXV. Inſt. 7. M. p. 128. *Solis ſplendor emanat à Sole, Ergo neceſſe eſt eum à Sole ita dependere, ut eo moto non poßit non moveri, eoque ſtante non poßit non ſtare &c.*

Reſp. Ridiculum; quaſi verò Solis ſplendor non poſſit varios Horizontes ſubire, etiamſi Sol immotus maneat, dummodo Terra gyret. Quis verò unquam negavit, variationem ſplendoris Solis ſuper Terra per Terræ gyrationem à Copernicanis optimè poſſe explicari?

DCCCXXXVI. Inſt. 8. B. p. 162. *Si præjudicium vocare libeat, quidquid non cognoſcitur per certam demonſtrationem &c: ſe nolle litigare de verbo, talem cognitionem Dialecticos vocare opinionem, quæ tàm vera quàm falſa eſſe poßit.*

Reſp. Præjudicium proculdubio, prout conſtat ex vocis notatione, eſt judicium quod prævertit perceptionem, quodque proinde eſt factum ſine certâ ratione; ſi ergo concedat, Joſuam de utroque luminari locutum eſſe ſecundum præjudicium vulgi, quod fuit factum ſine certâ ratione, ergò ex illis locutionibus, quâ talibus, nihil quicquam pro veritate rei colligere licet, ſed, ut aliunde cognoſcendum, an reverâ Luna moveatur, ita etiam an Sol, & ſic totum argumentum ex illo Scripturæ loco deſumtum perit.

DCCCXXXVII.. Exc. 2. Inſt. 9. B. p. 163. *Si tua præjudicii definitio ſit legitima quæri poſſe, an ergo merum præjudicium vocari debeat omnis cognitio rerum naturalium, quæ in priſcis Philoſophis, quin & in ipſo Salomone fuit &c.*

Reſp. Si Salomon, ſi priſci Philoſophi non cognoverunt res naturales per certam rationem, ſique judicarunt de iis priuſquam perceperint, omnino illa cognitio præjudicium dicenda; ſin contra non aſſenſi ſunt, niſi clarè & diſtinctè perceptis, ab erroribus & præjudiciis immunes ſe præſervarunt. Eligat quod volet adverſarius.

Inquit, *non uſi fuerunt Methodo Carteſianâ, quæ ſolùm ſecundum vos eſt certa.*

Reſp. Methodus Carteſiana eſt, quâ quis ad innatas notiones communes meditando attendens, æternaſque veritates, de quibus nemo, modo rectè attenderit, dubitare queat, indeque ſedulâ mente per collectiones & conſequentias evidentes procedit ad ea, quæ inde fluunt & dependent, non antea quicquam ſtatuens verum, quàm clare perceptum ſit. Hanc Carteſianam dicimus, non quod nemo ante ipſum eâ fuerit uſus, ſed

ſed quod ipſe, poſtquam diu jam eſſet inter Philoſophos abjecta, eam luci dederit, conſtanterque fuerit ſecutus & aliis ſequendam commendaverit. Hâc uſum fuiſſe Salomonem aliosque verè ſapientes nulli dubitamus. Qui verò ab illâ ſemitâ deflexerunt, & obſcura ac confuſa claris commiſcuerunt, illiſque non minus, quàm his aſſenſum ſuum præbuerunt, eos à veritate aberrâſſe non eſt mirum.

DCCCCXXXVIII. Inſt. 10. B. p. 163. *Si hac tua prajudicii definitio ſit legitima quaro: Annon tota Carteſii Phyſica merum prajudicium ſit dicenda?* Quamobrem? *quia*, inquit, *ipſe* Pp. III. art. 44. *Veruntamen, ne etiam nimis arrogantes eſſe videamur, ſi de tantis rebus philoſophando, genuinam earum veritatem à nobis inventam eſſe affirmemus, malim hoc in medio relinquere, atque omnia, qua deinceps ſum ſcripturus, tanquam hypotheſin proponere; qua quamvis falſa eſſe exiſtimetur, ſatis magnum opera pretium me feciſſe arbitror, ſi omnia qua ex ipſa deducentur cum experimentis conſentiant.* Et in fine operis: *At nihilominus memor mea tenuitatis, nihil affirmo: ſed hac omnia tum Eccleſia Catholica auctoritati, tum prudentiorum judiciis ſubmitto; nihilque ab ullo credi velim, niſi quod ipſi evidens & invicta ratio perſuadebit.* Poſt quæ Adverſarius: *Illiuſne rationes ſunt certa demonſtrationes, qui veritatem à ſe inventam affirmare non audet, & ipſe nihil affirmat.*

Reſp. De Modeſtiâ Carteſii in modo loquendi diſtinctâ à Dubitatione, egit Cl. Claub. integro cap. *Defenſ. Carteſ.* atque ita egit, ut oſtenderit, malè fieri ab Adverſariis, quod fingant abſolutè & ex ſuo judicio Carteſium dicere, quod humanitatis ergò lectorum judicio relinquit; adductis variis ſimilibus loquendi formulis apud alios auctores occurrentibus, ex quibus tamen non inferri poſſit, quod certam de his rebus, de quibus ita loquuntur, nullam habuerint cognitionem. Quod ſi citaſſet B. verba art. 43. & art. penult. Pp. IV. qui ſupra viſos articulos proximè antecedunt, vidiſſet lector hæc modeſtiæ causâ à Cart. dicta; proinde in ejus gratiam adſcribam: *Et certè, ſi nullis principiis utamur, niſi evidentiſſime perſpectis, ſi nihil, niſi per Mathematicas conſequentias, ex iis deducamus, & interim illa, qua ſic ex ipſis deducemus, cum omnibus natura phanomenis accurate conſentiant, injuriam Deo facere videremur, ſi cauſas rerum hoc pacto à nobis inventas falſas eſſe ſuſpicaremur, tanquam ſi nos tàm imperfectos genuiſſet, ut ratione noſtra recte utendo fallamur.* Pp. IV. 206. *Praterea quadam ſunt, etiam in rebus naturalibus, qua abſolute & plus quam moraliter certa exiſtimamus, hoc ſcilicet innixi Metaphyſico fundamento, quod Deus ſit ſummè bonus & minimè fallax, atque ideò facultas, quam nobis dedit ad verum à falſo dijudicandum, quoties eâ recte utimur, & quid ejus ope diſtincte percipimus, er-*

rare non poſsit. Tales ſunt Mathematicæ demonſtrationes: talis eſt cognitio, quod res materiales exiſtant; & talia ſunt evidentia omnia ratiocinia, quæ de ipſis fiunt. In quorum numerum fortaſsis etiam hæc noſtra recipientur ab iis, qui conſiderabunt, quo pacto ex primis & maximè ſimplicibus cognitionis humanæ principiis, continuâ ſerie deducta ſint. Præſertim ſi ſatis intelligant, nulla nos objecta externa ſentire poſſe, niſi ab iis aliquis motus localis in nervis noſtris excitetur, talemque motum excitari non poſſe à ſtellis fixis, longiſsime hinc diſtantibus, niſi fiat etiam aliquis motus in illis, & in toto Cœlo interjacente: his enim admiſsis, cætera omnia, ſaltem generaliora, quæ de Mundo & Terrâ ſcripſi, vix aliter quam à me explicata ſunt, intelligi poſſe videntur. Illam autem modeſtiam uſurpavit propter lectores, ut ex ultimis verbis apparet, quia ſi quis de omnibus à ſe inventis audacter & pro auctoritate ſe jactitet, prout in more poſitum eſt iſtis hominibus, videtur privare velle lectorem libertate judicandi, cùm, ſi modo Philoſopho noſtro recepto agat, nihil lectoribus credendum præſcribat, niſi quod ii accuratè perceperint.

DCCCXXXIX. M. p. 134. quærit, *quid reſponſio 4. art. 827. data ad argumentum faciat? ſe enim nolle multum litigare, utrum ea ſint præjudicia appellanda, quæ ſine certâ ratione cognoſcuntur.*

Reſp. Multum verò ad argumentum facit iſta reſponſio; ſi enim circa utrumque luminare adhibuit ſermonem, qui præjudiciis eſt involutus: ergò non præjudicia voluit ſignificare, ſed tantum veritatem generalem, quam etiam Belgæ Interpretes exprimunt, adeoque ex illis verbis neque Solis neque Lunæ ſtatio realis poteſt colligi, quod intenditur à veſtrâ parte.

DCCCXL. Tandem M. p. 134. Præter injurioſa verba, quæ lector videat, opponit, *unanimem Scripturæ conſenſum & analogiam Solem moveri aſſerere.*

Reſp. Illud ipſum eſſe τὸ κρινόμενον, nec de verbis Scripturæ eſſe quæſtionem, ſed de ejus legitimo ſenſu, quem nego eſſe, per iſta verba Solis motum ſignificare, prout ex antecedentibus patet.

DCCCXLI. Ad Obſervationem quartam Exc. 1. B. p. 165. *Me numero reſponſionum voluiſſe certare, ſed nihil afferre quod alicujus ſit momenti.* Quid ita? *quia,* inquit, *quod ex Interpretibus Belgis collegit, nihil facit ad rhombum, non enim eſſe quæſtionem, an Joſua locutus fuerit locutione vulgari, ſed an locutus fuerit ſecundum apparentiam, non ex rei veritate.*

Reſp. 1. Quando dicit, me numero reſponſionum voluiſſe certare, non me, ſed ſemetipſum notat, cum hoc ipſi valdè ſit frequens. Hæc adduxi ex Belgis, ut oſtenderem, in quibus nobiſcum circa hanc loci interpre-

Digitized by Google

terpretationem ſit conſenſus. 2. Quæſtio eſt: An Joſua locutus fuerit tali locutione vulgari, quæ non nudam & accuratam rei veritatem, ſed ad homines relatam referat? nos affirmamus & probamus hoc exemplo, conſenſu Belgarum confirmato; nam accuratè loquendo non magis Sol in Gibeone potuit dici conſiſtere, quàm in aliis quibuſcunque locis, ſub eodem cum Gibeone Horizonte ſitis; Itaque hæc locutio non nudam veritatem referebat. Quod ſi ergo propter rationem evidentem licet colligere, iſtam eſſe vulgarem locutionem, licebit & de verbo *Stare* colligere, propter rationem evidentem, illud vulgari ſenſu accipiendum, quo non nudam veritatem, ſed ad homines relatam referat; quibus obſervatis, reliqua quæ hîc addit, nihil nobis obſunt.

DCCCXLII. Exc. 2. B p. 165. *Secundum conſectarium,* inquit, *non eſt majoris momenti. Petebat ſiquidem heros ſanctus, ne Sol ſibi occideret, &, ne id fieret ut conſiſteret è regione Gibeonis. Fruſtra verò quæritur Emphaſis in pronomine SIBI, cum illud non habeatur in verbis Joſuæ nec hiſtoriographi &c. Fatemur, ortum & occaſum Solis reſpectum dicere ad loca quibus oritur & occidit: reverâ tamen illis oritur, cum ſeſe ſupra Horizontem conſpicuum facit, & occidit, cum ſeſe ſub Horizonte occultat.*

Reſp. Imò confirmat meam obſervationem, uti patet: ſi enim illa petitio Joſuæ de Solis ſtatione eſt intelligenda, hoc modo, ut Solem peteret ſibi non occidere, idque ita factum eſſe dicat Scriptura, nihil inferetur contra Terræ gyrationem ex hoc loco, quia ſive Terra gyret, ſive Sol circumferatur circa illam, nihilominus, quamdiu manebat ſuper Horizonte, ſtabat Joſuæ. 2. Etſi autem vox, *ſibi*, non reperiatur in textu, reperitur tamen in Belgis, ex quorum verbis conſenſum cum meâ interpretatione hîc tantum colligo, neque aliud intendo. 3. Cum ortus & occaſus Solis ei conveniat, non minus ſecundum Copernici ſententiam ac Ptolemæi, obtento, per formulam iſtam apud Joſuam nihil aliud denotatum fuiſſe, quam Solem non occidiſſe integrum diem, non poteſt inferri, eum ex moto quieſcentem evaſiſſe, cum etiam per Terræ quietem miraculoſam potuerit Sol integrum diem non occidiſſe. Apparet ergo, quanti momenti ſit iſta obſervatio, tanti nempe, ut cauſam antagoniſtæ planè evertat.

DCCCXLIII. Quæ M. p. 129. & 130. objicit, ad ea reſponſio ex antea notatis facile poteſt applicari, neque enim operæ pretium eſt trmpus his terere. Auctoritatibus non ducimur humanis in rebus Theologicis, ut propter eas putemus vel aliquid recipiendum vel rejiciendum, ſed interim recte contra vos & ad hominem iis utimur, qui ſemper eas cre-

Digitized by Google

crepatis. Belgarum interpretatio hîc cum noſtrâ convenit, nempe, *vulgari hic locutione ſignificatum, Solem Joſuæ non occidiſſe*: ex quo nequicquam colliges, Solem antea fuiſſe realiter motum; quonam ergo hanc interpretationem adduxerim, vides.

DCCCXLIV. Unicum adhuc eſt, quod poſſet morari lectorem, quod habet M. p. 132. contra ultima articuli 813. verba: *Oriri & occidere*, inquit, *cum notet actionem haud ſecus ac τὸ appropinquare, proprie & accurate non poteſt tribui, niſi ei, in quo eſt iſta actio, non vero alteri ex Diſſ. 2. cap. 4. §. 48. cum igitur iſta actio ſecundum vos non ſit in Sole, nec etiam ortus & occaſus proprie & accurate loquendo ei à vobis tribuitur.*

Reſp. Ortus & occaſus deſignat apud Aſtronomos vel elevationem ſive aſcenſionem ſupra Horizontem, vel certe apparitionem ejuſdem; unde & oriri aſtra dicunt Ptolemaici ea, quæ conſpici incipiunt propter diſceſſum Solis, etiamſi ipſis nullus motus attribuatur; ergo ex ortu & occaſu Solis non poteſt colligi ejus motus: quamvis autem *Oriri* connotet actionem ex primâ origine, quæ præjudicio vindicari debet, de quo capite 46 videbimus, ſufficit, quod in eo ſenſu à nobis ortus & occaſus tribuatur Soli, quomodo ſecundum omnes Aſtronomos accipi poteſt.

DCCCXLV. Contra quartam noſtram Obſervationem etiam adduci poſſet, id quod habet R. St. p. 326. *Hoc argumentum eo modo procedit, ac ſi quis dicat, in hiſtoria magorum memoratur caſa Bethlemetica, ergo non ſtella, ſed caſa Magos ab Oriente eſt comitata.*

Reſp. Ex illis Scripturæ verbis, in quibus mentio fit Gibeonis, tantum infertur, eſſe locutionem hîc vulgarem, cum Sol non poſſit dici proprie Gibeone conſiſtere, etiamſi aliàs de ſtatione vera hæc verba ſumenda eſſent: non enim magis Gibeone poterat dici conſiſtere, quàm alio in loco, qui intra eundem Horizontem comprehenditur, ſi accurate Scriptura loqui voluiſſet. Quid autem inde colligatur, ex fine art. 813. eſt repetendum.

DCCCXLVI. Videamus, ſi quæ præter dicta ex verbis H. habeantur pro iſta Objectione Inſtantiæ. Is pag. 41. urget. 1. verba textus: *Sol in Gibhon exſpecta & Luna ſtet ſuper Ajalon*; ſed tamen præcipue annotat in fine p. 41. *Voces imperii hujus cum expendo, quaſdam earum ad captum vulgi, quaſdam ad rem dici deprehendo: Ad captum & opinionem, quando Sol ſtare ſuper Gibhon jubetur.*

Reſp. Si hæc dicta ſunt ad captum vulgi & opinionem, hoc eſt, ſi illa phraſis, ſuper Gibhon, denotat veritatem aliquam præjudiciis involutam & ad homines relatam; Ergo nihil impedit, quo minus etiam phraſis, *Sol ſta*, talem deſignet.

Digitized by Google

DCCCXLVII. *At*, inquit, *Joſua Solem & Lunam collocavit, quomodo eidem obiter raptim & vix ſuſpiciendo apparebant, & quatenus lumen ipſi in Gabaon utile præbebant: Verè nihilominus Sol ſuper Gabaon fuit phyſicè, licet non Geometricè.*

Reſp. Hoc aſſumto; Joſuam Solem & Lunam collocaſſe, quomodo ei obiter &c. apparebant, cum non apparuerint ei ſuper Makeda, Bethoron, & alia loca, ergo etiam ſuper iis non collocavit: Attamen non minus erat ſuper iis quam ſuper Gibeon; ergò omnino hæc formula veritatem quidem aliquam, ſed apparentiâ ſenſuum involutam deſignat, quod eſt quod intendo.

DCCCXLVIII. 2. Urget verba Hiſtoriographi ſacri p. 44. & ſeqq. atque hîc tria obſervat. 1. *Vocem ſtetit & ſynonymum exſpectavit, non feſtinavit.* 2. verba: *Et Sol ſtetit in medio Cæli.* 3. *Miraculum quod verſ.* 14. *innuitur.* De primo inquit: *Textum hunc emphaticum atque adeò de rei veritate pronunciantem eſſe arguit* 1. *Particula* ET, *quæ eſt Solis obedientiæ cum mandato Joſuæ copulativa, ſimilis textus in creatione legitur, ubi Deus dixit, fiat lux* ET *facta eſt: Clarior hic & potentior eſt verborum ſenſus quàm ut hallucinationem admittat.* 2. *Verba ſtetit, exſpectavit, non feſtinavit, arguunt Emphaſin, quorum vim quis non niſi Scepticus Mercurius ſentiat, ſtetit, id eſt, à curſu quievit.*

Reſp. 1. Quod petiit Joſua factum eſt, licet forte non eo modo quo petiit, ſuppoſito quod modum hujus miraculi putaverit fieri debere per inhibitionem motus corporis ſolaris. Diem ſibi prolongari petiit formulâ conſuetâ, per quam, an cauſam iſtius prolongationis conſignificaverit, incertum eſſe dixi. At quod petiit factum eſt, &, ſi quid amplius ſignificavit ex errore & præjudicio ortum, id quia nec neceſſarium ſcopo & non niſi ex præjudicio ortum, non opus erat, ut à Deo efficeretur; ſufficit, ſi res petita exhibeatur, etiamſi non ſecundum eum modum, quo expetimus. 2. quæſtio ipſa eſt, an, quod putat adverſarius, per iſta verba ſignificetur? id ego non exiſtimo, non magis, ac ſi ea formula à Copernicano vel Carteſii ſententiæ defenſore uſurpata foret. Miraculum per eam formulam ſignificatum exiſtimo à Spiritu Sancto (quod poſtea rectè explicat adverſarius) nec quid præterea. Neque hîc ad Emphaſin & claritatem verborum provocare licet, quam non nego, ſed in ſenſum adverſarii poſſe trahi pernego.

DCCCXLIX. De ſecundo, inquit, Hæc verba: *Et Sol ſtetit in medio Cæli, nihil aliud ſignificare, quam in umbilico Cæli tempore meridiei, id eſt, nobis horâ duodecimâ.*

Digitized by Google

Reſp. Sit ita, nihil nobis obeſt, neque nos ea verba urgemus.

DCCCL. *Tertium*, inquit, *expendendum venit, quod familiam hic ducit, miraculum, quod verſu* 14. *innuitur*, & hinc argumentatur: *Quod miraculoſum eſt illud non naturale eſt; ſed Solis ſtatio illa fuit miraculoſa, Ergo.*

Reſp. facilis eſt reſponſio; ſi miraculum in prolongatione diei conſtitit, prout explicatur verſu 14. & prout hic revera fuit effectus precum Joſuæ, omnino iſta prolongatio diei non eſt naturalis exiſtimanda, ſed negatur, modum iſtius miraculi deſcribi in eo loco; nempe factum illud miraculum per inhibitionem curſus Solis realis, quod ipſum quæritur.

DCCCLI. Tandem generalia quædam proponit quæſita, nempe: *An omnia loci iſtius dicta ad apparentiam & opinionem hominum accipienda ſint: an aliqua tantum, an omnino nulla?* Ad quæ ſine vacillatione reſpondeo, omnia dicta accipienda eſſe uſu recepto inter homines, qui duplex ſæpe eſt, ut & ſignificent veritatem & conſignificent errorem, quo illa veritas eſt obvoluta: prout autem à Spiritu Sancto adhibentur, cenſenda ſunt tantùm veritatem generalem ſignificare ſecundùm ea quæ dicta ſunt art. 653, 791. Talia autem eſſe ea, de quibus eſt quæſtio, aſſero. Tu, ſi aliqua ſint ita accipienda, dicis, *diſquiſitionem adhuc eſſe quænam & in quantum taliter dicta ſint.* Et multorum verborum flatu, fluctus in ſimpulo inaniter moves. Ego verò reſpondeo, eſſe ea, quæ vos fruſtra contra nos adducitis, idque tuebor, donec contrarium oſtenderitis, neque in eo defendendo me quicquam contra Scripturam ponere ſatis ſum certus. Hæc quoad hunc locum dicta ſufficiant, quæ enim H. à p. 188. ad 192. habet, ea quantum ad me attinent, abundè refutata ſunt.

CAPUT XLV.

Cum ſententiâ dictâ conciliatur locus Eſaiæ XXXVIII. 8.

DCCCLII. Secundus locus cum noſtrâ ſententia conciliandus eſt Eſaiæ XXXVIII. 8. *Ecce ego reducturus ſum umbram graduum illorum, quæ deſcendit gradibus Achazi ſolaribus retrorſum decem gradibus. Et reverſus eſt Sol decem gradibus iiſdem, quibus deſcenderat.* Ad quem obſervo: Per phraſes iſtas, *umbram reducturus ſum*, item, *Sol eſt reverſus*, nihil aliud deſignari,

Digitized by Google

ſignari, quam, variationem quandam ſitus obveniſſe Soli & gnomoni, qui umbram facit, adeoque etiam reſpectu umbræ ipſius, ita ut Sol eum receperit ſitum reſpectu *umbræ ipſius* gnomonis, quem habuit, antequam gradibus iſtis decem deſcenderat: an verò per motum Solis, an Terræ, iſta variatio ſitus contigerit, Scriptura non determinat. Neque phraſes hæ vulgares, quando à Spiritu Sancto uſurpantur, ulterius ſunt extendendæ, licet iiſdem inter homines ortum dederit viſus quædam fallacia & præjudicium ſenſuum, quod & ſignificatur ab iis, qui eo ſunt occupati, ſicubi iſtâ phraſi utantur. Quemadmodum enim nec Ptolemaici nec Tychoniani permittunt, ut quis ex phraſi alterâ hic etiam adhibitâ, *Sol deſcendit*, inferat: Solem è ſublimiori loco in inferiorem ſeſe dimiſiſſe, quamvis hujus locutionis inventores illud præjudicium conſignificaverint, eo quod ſecundum Ptolemaicos & Tychonianos Sol in circulo moveatur, ſed illas phraſes explicant tantum reſpectu noſtri, nempe habitâ ratione noſtri Horizontis; ut, quando in Ortu ſupra noſtrum Horizontem ſe conſpiciendum præbet, pergitque, donec ad circulum Meridianum perveniat, dicatur aſcendere, deſcendere verò, quando à circulo Meridiano ad occaſum progreditur. Ita & nulla ratio eſt, quæ nos cogat ex phraſi, *Sol reverſus eſt*, Solis motum realem colligere.

DCCCLIII. Videamus nunc, quid contra eam reſponſionem, clarius nunc aliquanto propoſitam, ac in Diſſertationum editione erat factum, faciant Inſtantiæ Adverſariorum. Atque B. hunc locum contra me non urget. H. etiam exiſtimat p. 49. hunc locum poſſe conferri cum priori, atque ex illius inrerpretatione pendere. Interim argumentum videtur petere ex Eſ. VII. *Si*, inquit, *Achaz ſignum in ſuperis cæleſtibus poſtulaſſet, factum id dubio procul fuiſſe, ſed ex hypotheſi hodiernâ apparenter tantùm.*

Reſp. Achaz habebat mandatum divinum, ut peteret ſibi ſignum, vel è profundis vel ex rebus altiſſimis, id ſi petiiſſet, futurum fuiſſe reverà non ambigimus; quod ſi etiam de Ezechiâ probari poſſit, eum habuiſſe facultatem, ut ſignum peteret, vel ex profundis vel ex rebus altiſſimis, forte aliquid hoc argumento effectum fuerit. At 2 Reg. xx. 9. optio ei tantum propoſita eſt, utrum velit umbram in ſolario Achazi abire decem gradibus, an retrocedere, quorum poſterius elegit, quod & præſtitum eſt. Nec vero Ezechias determinate id per realem retrogradum motum Solis fieri voluiſſe legitùr, neque per eùm factum dicitur, ſed per retrogradam mutationem ſitus corporis ſolaris, reſpectu gnomonis, qui umbram projiciebat.

Digitized by Google

DCCCLIV. Inſt. 2. M. p. 135. *Duplicem nobis in uno loco fingis locutionem falſam ad captum vulgi compoſitam 1. quidem, quod Sol dicitur reverſus fuiſſe, cum umbra tantum reverſa vere fuerit, ſed quâ ratione id nobis probaveris? (opponentis enim vices jam ſuſtines, utpote qui hæc loca utpote argumenta pro tuâ ſententiâ citaveris. Diſſert. 1. cap 4. §. 10.)*

Reſp. Tu vero dupliciter falſum committis 1. quod dicis, me locutiones falſas in Scripturam introducere, vel, ut alibi loqueris, me ſtatuere, Scripturam loqui falſum, quod nullibi dixi 2. quod inquis, me hic ſuſtinere partes opponentis citato etiam loco. Diſſ. 1. cap. 4. qui tamen tibi plane eſt contrarius. Videat lector, & apparebit, me ibi dicere, quod nolim ad probationem iſtius ſententiæ adducere iſtos locos, quòd adhuc ſint controverſi. Dico itaque, eſſe hic locutionem vulgarem & receptam, quæ ex præjudicio habet ortum, quæ tamen, quatenus à Spiritu Sancto adhibetur, verum ſignificet, nempe, Solem mutaſſe ſitum ſuum decem gradibus reſpectu ſolarii Achazi, quod æque fieri potuit per Terræ, quam per corporis ſolaris retrogradum motum. Quod ſi à Spiritu Sáncto etiam hoc in loco ſignificatum ſit, corpus ſolare realiter retrogreſſum eſſe, id ex circumſtantiis textus probandum ab adverſariis. Ego vero ſic ad hominem colligo: Si locutio vulgaris & impropria ſtatuenda in phraſi, *Sol deſcendit*, propterea, quia repugnat, Soli in circulo moto ex mente Ptol. competere aſcenſionem & deſcenſionem propriè, ergo locutio vulgaris & impropria ſtatuenda in phraſi, *Sol reverſus eſt*, propterea quia repugnat, ut Sol circa Terram ſingulis diebus obambulet. Quod autem repugnet, à me ſuperius probatum.

DCCCLV. Inſt. 3. Pergit M. p. 137. *Secunda locutione, quando Sol dicitur deſcendiſſe, rem ſignificatam Soli vere competere, me agnoſcente, eamque aliâ tam vulgata loquendi formulâ exprimi non potuiſſe; hoc autem non eſſe loqui falſum ad placitum vulgi.*

Reſp. Nullibi dixi, Scripturam loqui falſum ad placitum vulgi, & quamvis antea formulam reſpondendi à Copernicanis frequentatam adhibuerim, nihil tamen aliud per eam ſignificavi, quam quod ſæpius explicui, ita ut par ſit ratio iſtius phraſeos vulgaris, *Sol deſcendit*, quæ alterius, *Sol regreſſus eſt*, ut ex dictis patet.

DCCCLVI. Inſt. 4. Tandem p. 138. *Vere imo proprie Soli convenit aſcenſus & deſcenſus, nempe reſpectu noſtri, ſi conſideratur ut pedes noſtros quaſi relinquens & verſus caput contendens vere & proprie nobis dicitur aſcendere & contrà.*

Reſp. 1. Quod reſpectu noſtri Soli competit, prout hîc explicatur, illud

Digitized by Google

illud Soli propriè & verè non poteſt competere, neque enim à nobis vel noſtris pedibus magis eſt remotus, quando eſt in medio Cœli, quam quando eſt in ortu vel occaſu, quoniam lineæ à parte Terræ, cui pedibus inſiſtimus, tanquam centro ad Solem Orientem & Occidentem & in medio Cœli locatum, ductæ ſunt æquales; at ſi tum propriè deſcendiſſet, deberet nobis eſſe propior. 2. Si conſideretur *quaſi relinquens pedes*: ergo non reverâ, ſed ſecundum apparentiam. Implicavit ergo & totum ſeſe hîc irretivit adverſarius.

CAPUT XLVI.

Proponitur Pſalm. XIX. 5, 6, 7. ac cum noſtrâ ſententiâ conciliatur.

DCCCLVII. Pſal. XIX. 2. —— 7. ſic habent: *Cœli enarrant gloriam Dei fortis, & opus manuum ejus indicat expanſum eorum. Dies ad diem eructat ſermonem. Et nox ad noctem oſtendit ſcientiam: Non eſt ſermo neque verba eis, & ſine his intelligitur vox eorum, ſimul prodierunt in extremitatem orbis habitabilis ſermones eorum, ex quo Soli poſuit tentorium in eis. Nam & tanquam ſponſus prodiens è thalamo ſuo, lætatur tanquam robuſtus decurſurus viam. Ab extremitate Cœlorum exortus ejus & revolutio ejus ad extremitates eorum eſt.* Quæ verba ut appareat ſententiæ, quam defendo, non obeſſe, ſic παραφράζω: Gloria ſapientiæ, bonitatis, potentiæ aliarumque perfectionum divinarum in aperto tam clarè eſt poſita, ut, ſi quis oculos & mentem ad Cœlos, & quæ in eis ſunt, velit convertere, non poſſit non inde evidentiſſimè cognoſcere; ea aperte ſeſe manifeſtante in toto expanſo, in quo opus manuum Dei excellentiſſimum & perfectiſſimum licet intueri. Sed non tantum apertiſſima eſt illa Dei gloria ex opere vaſtiſſimo Cœlorum, verum etiam eſt perpetua, ſingulis diebus & noctibus eam ſibi invicem quaſi de manu in manum tradentibus, ut nullo unquam tempore deſit ejus argumentum. Latiſſimè quoque ea ſe extendit, nec impeditur, quo minus cognoſci poſſit à variarum linguarum hominibus, verùm liber naturæ & mundi exemplis gloriæ divinæ plenus quibuſvis nationibus patet, & à remotiſſimis terrarum incolis, quocunque oculos vertas, legi poteſt. Imprimis ea gloria divina agnoſcendam ſe præbet in corpore illo præ aliis in Cœlis conſpicuo Sole, qui quaſi in iis ſingulare domicilium habet à Deo paratum, in quo ſe recondit & occultat,

Digitized by Google

cultat, ita tamen ut manè pulcherrimus aſpectu ſeſe ſpectandum exhibeat, vaſto admodum corpore, non abſimilis giganti robuſto, parato tamen ad continuam ſitus variationem, quæ propter celeritatem cum curſu comparari poteſt; incipiente inde ubi ſe terminat viſus & deſinente ad oppoſitos viſus terminos. Docet ergo Pſalmiſta in hoc Pſalmo, primò generatim gloriam Dei fieri manifeſtam per Cœlos, verſ. 2, 3, 4, 5. Dein ſpeciatim per Solem, verſus 5. ult. verbis & verſ. 6. & 7. Circa primum declarat. 1. quam clarè & manifeſtè Cœli iſtam gloriam enarrent verſ. 2. 2. quam conſtanter & perpetuò, verſu tertio. 3. tandem, quam late ſeſe iſta narratio expandat verſ. 4. Secundum quod attinet Soli tribuitur in hoc Pſalmo. 1. Occultatio in alterâ parte hemiſphærii. 2. continua ſui corporis lucidiſſimi ſingulis diebus ſuper Horizonte exhibitio, ut ab oculis in iſta hemiſphærii parte habitantium conſpiciatur. 3. continua ſitus variatio &c.

DCCCLVIII. Hâc paraphraſi & analyſi ita præmiſſâ, dicimus, in hoc Pſalmo occurrere multas locutiones vulgares, præjudiciis innitentes, tum proprias tum etiam Metaphoricas, adhibitas ad ſignificandum veritates generales, ad quas exprimendas communi uſu adhiberi ſolent, quamvis, ſi uſurpentur ab hominibus, quibus velum præjudiciorum non eſt detractum, etiam præjudicia conſignificent. Sic Pſalmiſta 1. per verba illa, *Soli diſpoſuit tentorium in Cœlis*, nihil aliud deſignat, quàm Solem in Cœli parte oppoſitâ veſperi ſeſe recondere tanquam in tentorio. 2. per verba, *eſt tanquam ſponſus prodiens è thalamo ſuo*, cum manè iterum ſe conſpiciendum præbere. 3. per verba, *lætatur tanquam robuſtus decurſurus viam*, diſpoſitum eſſe ad continuam ſitus mutationem. 4. *ab extremitate Cœlorum exortus ejus & revolutio ejus ad extremitatem eorum*, illam variationem ſitus continuo durare ab uno puncto extremit. viſus noſtri uſque ad punctum oppoſitum: ſed phraſes, quibus hæc deſignantur, ortum habent ex præjudiciis, quibus veritates iſtæ, quas dicimus hîc ſignificari, ſunt obvolutæ, quæ involucra præjudiciorum ex parte propriis, ex parte metaphoricis phraſibus exprimuntur.

DCCCLIX. Præjudicia illa infantiæ ſunt, quod ubi viſus noſter terminatur, & Terra Cœlum contingere videtur, ſunt Cœli extremitates & quaſi Solis conditorium, in quo occultetur per totam noctem, ex quo tanquam thalamo mane prodire judicatur tanquam robuſtus aliquis gigas, cum in ortu longe major appareat quàm in Occidente: De his præjudiciis Tacitus de moribus Germanorum: *Trans Suionas aliud mare pigrum ac propriè immotum, quo cingi, cludique Terrarum orbem hinc fides,*

quod

Digitized by Google

quod extremus cadentis jam Solis fulgor in ortus edurat, adeò clarus ut ſidera hebetet. Sonum inſuper ſe mergentis audiri formaſque Deorum & radios capitis adſpici perſuaſio adjicit. Ad quæ verba Lipſius annotat: *Hæc perſuaſio rudis & caſca plebis fuit. Solem, dum in Oceanum cadit, ſtridorem edere, non aliter, quam ſi ignitum ferrum condatur in aquam,* advocata etiam auctoritate Poſſidonii apud Strabonem & Flori de Decimo Bruto in Hiſpaniis bellante. Sic Virgil. Georg. 1. hanc vulgi opinionem ſecutus inquit: *Sol quoque & exoriens, & cum ſe condet in undas Signa dabit.* Confer ea, quæ ſupra §. 493. ex Bocharto laudavimus. Fateor quidem, huic præjudicio generali, ſecundum quod Pſalmus ſermonem hunc inflectit, alia atque alia eſſe addita, ut quod Sol undis immergatur, dum occidit &c. eſt tamen in genere hoc omnium præjudicium, ultra id quod ſenſus monſtrant aſſurgere non valentium, quod Sol ubi occidit condatur ſub Terram quaſi, eam fere attingendo, ibique uſque ad exortum deſes lateat. Unde non mirum eſt, ſi propter certiſſimam rationem etiam circa curſum Solis locutio popularis ex præjudiciis ſenſuum orta ſit agnoſcenda.

DCCCLX. In quo tanto magis confirmabimur, ſi conſideremus; Ortum etiam, qui in loco allegato Soli tribuitur, proprie loquendo ei non poſſe convenire, cum ne quidem ſecundum Ptolemaicum ſyſtema Sol proprie poſſit dici oriri. Quia ſecundum ipſum Sol movetur in circulo, in quo nulla pars altera humilior eſt, altiorve: æque enim omnes à centro ſunt remotæ: Oriri autem eſt, è planitie in altum tolli, vel aſſurgere. Manifeſtum ergo eſt, hanc locutionem ad ſenſuum apparentiam eſſe accommodatam. His non poſſum, quin addam verba Zwingeri in Analyſi hujus Pſalmi; *Sol quatenus eſt vitæ & mortis & rerum omnium, quæ ad vitam neceſſaria, dator aſſimilatur ſponſo: ſicut ſponſus probe lotus & ornatus de thalamo ſuo procedit in amplexum ſponſæ: Ita Sol emergens dè Oceano (Poëticà phraſi etiam profanis uſitata vatibus, Oceani nitidum caput extulit undis) ſupra Horizontem aſcendit, ut inferiorem mundum ſuo lumine vivificet: Sol quatenus eſt mortis & eorum quæ mortem præcedunt profligator aſſimilatur giganti; ſicut gigas robore ac celeritate magna occurrit ſuis hoſtibus, eos profligat & in fugam conjicit: Ita Sol ſuo ſalutari aſpectu creaturarum omnium præſertim hominis hoſtes tum corporeos, tum ſpirituales ſua luce abigit.* Quibus verbis etſi non in totum conſentio, tamen apparet, quam confinia ſint meæ reſponſioni.

DCCCLXI. Inſt. 1. B. p. 170. Hanc reſponſionem cum magno impetu aggreditur, atque inquit; *Demiror Theologiæ Profeſſorem tam debili, ne dicam puerili reſponſione evaſionem tentare,* (nota hic ſermonem adverſarii)

verſarii) *nam locutiones verè Metaphoricas vulgares nominat, ut habeat aliquid, è quo errorem vulgi elicere poſſit.*

Reſp. Vulgares locutiones ſunt, quæ veritatem denotant ad homines relatam & præjudiciis obvolutam, quales omnes citatas puto, uti patebit mox plenius. Si tamen Metaphoricas eas velit vocare, dum modo ſupponat, ſimilitudinem & Metaphoram in ſenſuum apparentia fundatam, per me id licuerit, ſaltem tum ſimiliter ſimilitudinem in verbo *prodire* & *decurrere* facile potero reperire ad propoſitum meum plane facientem. Attamen & M. p. 139. eas non vidiſſe percipio, quod non imputandum, niſi ipſis illis præjudiciis, quibus adhuc eſt occupatus; ortum enim debere iſtum ſermonem præjudiciis oſtendi.

DCCCLXII. Inſt. 2. Sed pergit B. p. 170. *Soli tentorium competere in Cœlis, quia in Cœlo verſetur ut homo in tentorio ſuo, 2. Thalamum attribui non Soli, ſed ſponſo, cui Sol comparatur. 3. extremitates Cœlis attribui reſpectu terminationis viſus noſtri.*

Reſp. Egregiè verò! Quid clarius quam, dum attribuitur tentorium Soli, reſpectum haberi ad ejus occultationem, quæ veſperi contingit, & permanſionem ſub Terra invariabilem, uſque ad matutinum tempus? cum expreſſe deſcribatur exinde prodire, & dum prodit, ab extremitate cœlorum ad extremitatem decurrere. At ſi ſimpliciter ei tentorium attribueretur, quatenus in Cœlo verſatur, tum etiam tempore, quo prodit & quo decurrere dicitur ab una extremitate ad alteram, in ſuo tentorio verſari eſſet dicendus, quod eſt abſonum. Tentorium ergo Soli non poteſt competere, niſi reſpectu habito ad præjudicium ante citatum. 2. Ita ſponſo tribuitur Thalamus, ut Sol dicatur prodire ſicut ſponſus prodit è Thalamo: Ergò etiam, ſaltem per ſimilitudinem, quæ tamen non poteſt non in ſenſuum apparentia eſſe fundata: Soli Thalamus attribuitur non minus, quam antea tentorium. 3. Si extremitates Cœlis tribuuntur reſpectu terminationis viſus noſtri, ergò reverâ non ſunt Cœli, ſed viſus noſtri. At hic tribuuntur Cœlo, ergò omnino locutio iſta ortum debet præjudicio, quo termini ſive extremitates viſus noſtri ad ipſum Cœlum transferuntur.

DCCCLXIII. Inſt. 3. *Addit B. p. 171. mera eſſe ſomnia de præjudiciis ſenſuum & errorem de Sole per totam noctem in quiete manente, ad quem reſponderit Dial. 25.*

Reſp. Ad manus jam non eſt Dialogus, in quo tamen nihil quicquam ad rem faciens exiſtimo non ſolutum reperiri in hoc capite, licet forte non præcisè in iſta ſolutione mentio Dialogi fuerit facta. Ad

præju-

Digitized by Google

præjudicia reſpectum haberi, ſatis probavi, quæ refutata oportuit.

DCCLXIV. Inſt. 4. B. p. 171. *Vocem gigantis in verſione quidem vulgata reperiri, ſed vocem* גבור *in Hebræo, non gigantem, nec hominem quatenus magnus eſt ſtatura, ſed potentem, fortem, robuſtum deſignare.*

Reſp. Vox גבור fortem, robuſtum deſignat non tantum generaliter, ſed etiam iu ſpecie de gigante Goliatho uſurpatur, 1 Sam. XVII. 52. ויראו הפלשתים כי מת גבורם וימסו. Quin ergò hic convenienter reliquis eo ſenſu uſurpetur nihil obſtat; cum enim de aliis phænomenis circa Solem loquatur, iſque in ortu major appareat, quam in medio Cœli, non inconveniens, ſi hanc vocem hoc modo interpretemur, uti etiam antea à Zwingero factum vidimus..

DCCCLXV. *At* dicit H. p. 25. *Sol gigas dicitur non ob corporis molem, quia ſcilicet non poſſet aptus dici ad curſum, ſed ratione virtutis.*

Reſp. Major corporis moles, ſi modo cætera ſint paria, majorem virtutem confert, ſive robur, ſi enim ſit ſufficiens crurum agilitas & copia ſpirituum, quæ muſculis crurum celeriter movendis ſufficiat, etiam major celeritas ad currendum tali competere poteſt.

DCCCLXVI. Inſt. 5. B. p. 171. *Nec ut ad rem loqueretur ipſi probandum erat ex Tacito, qualis fuerit Ethnicorum opinio de finibus orbis Terrarum &c. ſed quid creditum fuerit in populo Dei, & quænam ſuper hac materia fuerit fides Prophetarum*; & H. pag. 109. *negat, hanc tam brutam fuiſſe Judæorum vulgi opinionem &c.* pag. 110, 111.

Reſp. Stupidos credo ſibi proponunt lectores, taleſque qui non conferunt ipſorum exceptiones cum meis reſponſionibus (quod quamvis forte in quibuſdam fuerint aſſecuti, tamen non in omnibus, non in iis, qui de hac re accuratè judicare conſtituerunt) Qui enim inſpexerit meam reſponſionem, videbit debuiſſe à me probari, locutiones Pſalmi XIX. quas citavi, ortum habere ex præjudiciis, quibus ab infantia homines promiſcuè ſive gentiles ſive Judæi ſive Chriſtiani imbuuntur, quæ locutiones poſteaquam ſemel fuerint receptæ, etiam ab iis, qui iſta præjudicia depoſuerint, uſurpari poſſunt ac debent. Iſtud æque ex Tacito, ac aliunde probare potui, cum præjudiciorum infantiæ & locutionum inde exortarum apud omnes par ſit ratio, niſi forte exiſtiment in populo Dei nulla talia fuiſſe, vel non ortum dediſſe locutionibus multis, quod quam frigidum ſit nemo non videt. Quamvis autem poſtea deponantur opiniones multæ à multis, ſermo tamen idem manet qui ex præjudiciis habet ortum.

Digitized by Google

DCCCLXVII. Inſt. 6. B. p. 172. *Oriri, inquit, & occidere tribuitur Soli &c. reſpectu locorum & Horizontis, oriri quidem, cum ſe conſpicuum exhibet ſupra Horizontem, occidere verò, cum ſe occultat ſub Horizonte, ita ut utrumque proprie tribuatur Soli &c.*

Reſp. 1. Quod circa proprietatem vocum oriri & occidere obſervavi non factum eſſe refragantibus Aſtronomis diſcere eſt ex Keplero, quem ipſe Adverſarius magnum Aſtronomum appellat, qui Epit. Aſtron. Copernicanæ, lib. 3. part 1. p. mihi 206. quærit: *Quid ſonant voces oriri & occidere?* & reſpondet: *Oriri eſſe è planitie in altum tolli, vel aſſurgere, adſcendere, paulatim magis ac magis emergere, ut montes navigantibus in Oceano videntur ex undis emergere, ut non abs ratione credas vocem ἀπὸ τοῦ ὄρους, quod montem ſignificat, & ab ὀρούειν ſurgere, derivari. Græca vox ἀνατέλλειν affinis eſt Latini tolli, ſonat proprie de plantis, cum ſe tollunt in auras, ex terra humecta, quæ τέλμα dicitur. Occidere & Occumbere eſt pronum cadere; de cadentibus in acie uſurpatur, inde de omnibus intervenientibus. Græca vox δύνειν uſurpatur pro receptu in aliquod conclave, ſubire, intrare, condi, quod ſidera poſt montes in thalamum velut ſe recipiant. Germanicæ propoſitiones* auff vnd niedergang *ſunt manifeſtæ, ſonant enim ſus & de,* untergehen *eſt mergi, ut naves in undis.* Sic Auctores linguæ Latinæ Feſtus & Paulus *oriri* exponunt *Naſci vel ſurgere.* Concinit Velius Longus de Orthographia: *Talis,* inquit, *quæſtio eſt inter Cohortes & Coortes, ubi diverſam eſſe ſignificationem voluerunt Grammatici, ut Cohortes ſint villarum, unde homines cooriantur pariter: oriri enim apud antiquos ſurgere frequenter ſignificabat, ut apparet in eo, quod dicitur:* Oriens Conſul magiſtrum populi dicat, *quod eſt ſurgens.* Sic & apud Hebræos dicitur Gen. XIX. 23. השמש יצא על הארץ, Sol exivit ſuper Terram. Origo ergo vocis eſt ex præjudiciis. At apud Aſtronomos vox illa ex præjudiciis ortum habens adhibetur ad deſignandam veritatem illam generalem, de qua dicit adverſarius in inſtantia propoſita, prout & ipſi hanc eandem ſignificationem cap. præcedente art. 844. aſſignavimus; ſed hic quæritur tantum, an is ſit ſenſus iſtius vocis proprius, & an non circa ipſam hanc impoſitionem quoddam præjudicium obſervari poſſit, quod ei dederit ortum? Ego prius nego, poſterius affirmo, eo quod oriri proprie ſignificet è planitie in altum tolli, præjudicium autem ſit infantiæ, Terram latiſſimâ planitie circulariter excurrere in omnes plagas circa ſpectatorem, à qua etiam originem deduxit *Orbis Terrarum* appellatio. Non mirum ergo erit, ſi & *oriri* dicuntur Aſtra ex præjudicio, quod à Terræ planitie in altum aſſurgere & tolli videantur. Concludo ergo, iſtam locutionem ad ſenſuum apparentiam eſſe accommo-

Digitized by Google

commodatam, intellige talem de qua quæſtio, nempe quæ cum rei veritate non convenit, ut non meus hic ſit ſolœciſmus, ſed adverſarii, qui concluſiones pro lubitu mihi affingit.

DCCCLXVIII. Inſt. 7. M. pag. 139. Hic præter ſcommata in Carteſium conjecta omnia confundit: Præjudicia ipſa, quibus formulæ loquendi ſunt involutæ, cum ſimilitudinibus, quibus ratione iſtorum præjudiciorum illæ formulæ veſtiuntur. Præjudicia quænam hic ſint, dixi ſuperius eaque probavi; hæc negare oportuiſſet adverſarium & contrarium oſtendere. Nam præter præjudicia & Solis curſu & motu reali, & de elevatione è planitie in altum oſtendi aliis 3. præjudiciis ſermonem Pſalmiſtæ eſſe obvolutum, quæ tamen non ipſe Spiritus Sanctus docet, ſed veritatem, quæ iis eſt obvoluta. Præjudicia illa ſunt 1. partem hemiſphærii ei oppoſitam inſervire Soli pro tentorio, in quo recondatur & quaſi quieſcat. 2. Majorem eſſe, dum exoritur, quam poſtea. 3. Cœlo competere extremitates, quæ Terram tangant. His præjudiciis dico obvolutum eſſe ſermonem Pſalmiſtæ, ſed ab iis qui phraſes iſtas invenerunt; illaque clara ſunt & ſatis à nobis probata. Sed non inter præjudicia pono, *quòd Sol non conjugium ineat, quod lætetur*, & ſimilia ab Adverſario ineptè adducta. Et quamvis nunc pauci ea præjudicia infantiæ retineant, tamen ſufficit, ab infantia nos omnes ita judicaſſe, illudque judicium inventoribus vocum originem dediſſe tales phraſes uſurpandi.

DCCCLXIX. H. p. 106. Negat, locutiones dictas à vulgo eſſe præconceptas, *nam*, inquit, *opinio de Solis tentorio plebejis ingeniis impoſſibilis erat 1. quia idea talis neque cum ſenſu rei convenit, neque vulgari captui eſt apta. 2. Idea qua Solis, vel in æthere vel in orbis Terræ fine &c. concipit tabernaculum, materialis tantum eſt, non formalis. Ergò non eſt vera idea, neque poſſibilis. 3. Idea iſta vix ab ingenioſiſſimis concipi poteſt, &c.*

Reſp. Præjudicia infantiæ de Sole multa ſunt; ut enim omnes ab infantia putamus Solem motu reali ſingulis diebus ab una extremitate Cœlorum ad alteram circumvolvi, ita veſperi omnes exiſtimant, Solem ſub Terram, quæ infinitis radicibus ſit protenſa, vel quæ aquis innatet, ſe recondere, & ibi uſque ad ſequens matutinum tempus, vel deſidem manere, vel novum prodire; quod præjudicium etiam per phraſin metaphoricam, *quòd Sol ſub Terrá ſit* per *noctem tanquam in tentorio*, exprimi poteſt. Probavi id in ſuperioribus, & manifeſtum erit cuique ſi attendat ad judicia, quæ ipſe ab infantia & prima ætate formaverit; unde patet, talem ideam omnino cum apparentiis ſenſuum convenire & vulgari captui aptam. 2. veram quidem non eſſe, ſed falſam, imò & contradictoriam, ſi

Digitized by Google

accuratè examinetur; unde tamen in quantum idea poſſibilis eſt, cùm etiam de contradictoriis ideas formare queamus, ſed planè confuſas.

DCCCLXX. *At*, inquit, *ruſticorum aliorumque de plebe non eſt ſimilitudines formare.*

Reſp. Nihil ad rem, modo quorumvis ſit id de Sole præjudicare, quod dixi, idemque formulâ propriâ exprimere, quæ ab aliis facilè in Metaphoricas mutari poteſt. 2. Nihil obſtare video, quo minus quilibet de plebe voces Metaphoricas rebus accommodare poſſit, etſi formaliter & ex arte Rhetoricâ id præſtare neſciat.

DCCCLXXI. Inſt. 8. M. p. 140. *Maxime mirum, imò abſurdum eſſe, propter aliquas locutiones comparatas, quibus motus Solis deſcribitur, ipſum motum Soli adimere, cum motus ſit tertium illud, in quo comparatio conſtituitur &c. 2. noſtram demonſtrationem eſſe ratiunculam &c.*

Reſp. Ob rationes manifeſte demonſtrantes, partem hemiſphærii oppoſitam, non inſervire Soli pro tentorio &c. hæc pro præjudiciis habenda, quæ etiam idcirco à Spiritu Sancto non docentur, quamvis ſermo ab ipſo uſurpatus iis ab inventoribus iſtarum phraſium ſit involutus. Ita ſimiliter pro præjudicio habendum cenſeo Solis motum realem, quod ſingulis diebus unà cum Cœlo & ſtellis circa Terram circumvolvatur, ob rationes manifeſtas omnibus, qui ordine progredi volunt, adeoque eum non doceri à Spiritu Sancto. Nec enim ratiuncula vocari debet à non intelligente Demonſtrationem Mathematicam, quæ longiori deductione habet opus, niſi eo ipſo ſuam imperitiam prodere velit. 2. Falſiſſimum eſt, motum hic eſſe illud tertium, in quo cum curſore Sol comparatur, cum non ſit aliud ex mente Sp. S. quam celerrima variatio ſitus, quæ revera Soli competit.

DCCCLXXII. Inſt. 9. Quoniam verò dixeram, phraſin, quâ *Sol oriri dicitur*, ex præjudicio quoque ortam, atque etiam exinde colligi poſſe, ſimiliter ut antea, etiam hanc de curſu Solis ex eo ortum habere, objicit M. p. 141. *Nihil ergò eſſe in hoc textu, quod Soli non tribuatur ſecundum errorem vulgi, nonne igitur*, inquit, *egregio argumento, ex Solis curſu gloriam Dei celebraverit Propheta?*

Reſp. Quæ formulæ loquendi præjudiciis ortum debeant, quæ non, quidque à Pſalte citatis verſibus doceatur, ex antecedentibus patet, ut &, quænam argumenta faciant ad gloriam Dei celebrandam. Falſum eſt, inter alia etiam ſumi medium à curſu propriè ſic dicto, cum argumentum ſufficiens præbeatur à variatione ſitus, quæ hac phraſi conſueta per *currere & progredi* exprimi ſolet. Quæ verò de τῷ oriri & occidere habet, ad

Digitized by Google

ad ea abundè paulo ſuperius eſt reſponſum, cum oſtenſum, quomodo vox Oriri ex quodam præjudicio habeat ortum.

DCCCLXXIII. Inſt. 10. Fullerus vir doctus in Miſcellaneis ſacris ita hunc locum urget: lib. 1. cap. 15. in fine pag. 98. *Conſtat*, inquit, *ipſo ſtatim initio Prophetam teſtari, ſe non acturum de evanidis hominum imaginationibus, quæ nihili ſunt; ſed ampliſſimis operibus manuum Dei ipſius, quæ vera ſunt, certa, ſincera, ſolida, ac proinde ad ſacroſanctam ejus majeſtatem celebrandam accommodatiſſima.*

Reſp. Nos non dicimus, Solem & Cœlos eſſe imaginationem evanidam hominum, ſed agnoſcimus (quis enim non agnoſceret?) eſſe opera Dei maxima, ex quibus potentia ejus, ſapientia & bonitas elucet, ut quam maximè; edere etiam effecta realia non diffitemur, qualia ſunt influxns in inferiora, Terræ illuminatio, qua fit, ut continua ſit viciſſitudo diei & noctis, & ſimilia. Tantum quæritur, an opus ſit, ut Scriptura modum, quo effecta iſta eduntur, explicet ἀκριβείᾳ Aſtronomica, quæ pleriſque eſt ignota, quod vel ipſe Fullerus ſuo exemplo teſtatur, an verò modo vulgari omnibus perſpecto? Hoc diſceptatur; utrum ad Terræ illuminationem motus Solis realis requiratur, an ſufficiat tantum apparens? quorum poſterius nos aſſerimus & hactenus, ut puto, ſatis demonſtravimus, neque ei Scriptura contradicit.

DCCCLXXIV. M. p. 142. Fullero ſuppetias vult ferre, *concedendo*, inquit, *non agere hic Prophetam de evanidis hominum imaginationibus tacite damnas, quod ſupra aſſeruiſti: Solis tentorium, Solis thalamum, Cœli extremitates eſſe falſas opiniones vulgi ſive evanidas hominum cogitationes &c.*

Reſp. Quando concedo, agi in hoc Pſalmo de operibus Dei maximis, illud ita concedo, ut nihilominus aſſeram, illa opera Dei maxima deſcribi phraſibus receptis, quæ ſæpius ex opinionibus erroneis & præjudiciis habent ortum, quonam ergo quæſo modo antecedentia oſtendes his damnari? Illud autem inter nos quæri & diſceptari debere eſt ſatis manifeſtum, ex ſtatus controverſiæ conſtitutione. In ſpecie autem hic quæri, utrum per phraſes *prodire, decurrere viam*, deſignetur & attribuatur Soli motus realis, an tantum ſignificent variationem ſitus Solis reſpectu Terræ incolarum, quam variationem ſitus his phraſibus receptis quivis deſignat, ita ut ſi præjudiciis ſit occupatus eadem conſignificet, ſin minus, illam ipſam variationem ſitus ſignificare tantum intendat? Nos prius negamus, poſterius affirmamus. Atque hæc ſufficiunt etiam ad ea quæ pag. 143. & 144. de ſtatu controverſiæ adverſarius diſceptat.

Digitized by Google

DCCCLXXV. Inſt. 11. B. D. p. 23. *Ergò narrant Cœli Dei gloriam, quia ipſi illi in ſe continent, & nobis prabent materiam gloria divina, non apparenter tantum, quoad noſtram opinionem, ſed revera, ac proinde etiam effecta ac adjuncta idem revera praſtant; nam dies enunciat diei, & nox nocti eructat ſcientiam: Ergo reſpicit viciſsitudinem dierum & noctium: qua cum effectum ſit Cœlorum, neceſſariò ſequitur, Cœlum, non autem Terram motu diurno moveri: nam ſi Terra movetur, non autem Cœlum; tum in variatione illa non Cœlum, ſed Terra narraret gloriam Dei, nam viciſsitudo illa non eſſet originaliter à Cœlo, ſed à Terra.*

Reſp. 1. Quis unquam Copernicanorum dixit, Cœlos præbere materiam gloriæ divinæ apparenter tantum, non reverâ? imò quænam Philoſophia gloriam Dei magis in Cœlis agnoſcit? illane, quæ gloriam Dei ex ipſorum pulchritudine, motus directione ſecundum leges naturæ, eorum immenſa magnitudine, nullis terminis, quos non cognitos habet, circumſcripta, &c. immenſam agnoſcit, quod Carteſiana facit, an verò *Ariſtotelica ut vulgo traditur*, quæ vix aliquid diſtinctè de iis intelligit? In viciſſitudine dierum & noctium diſtinctè conſideranda, tum dies ipſæ & noctes, tum earum viciſſitudo: dies & noctes debent adſcribi Solis præſentiæ vel abſentiæ ab hemiſphærio noſtro; ſed viciſſitudo variationi ſitus corporis ſolaris, quæ vel motui Solis circa Terram (quod quidem dicunt Adverſarii, ſed ex iſto loco probare nequeunt) vel Terræ gyrationi circa axem accepta referenda, quod nos ſtatuimus, moti indubitatis demonſtrationibus. Narrari autem gloria Dei in Pſalmo dicitur, non præcisè & determinate per cauſam iſtius viciſſitudinis, quam vellent adverſarii, ſed ſimpliciter tantum à Pſalte per variationem ſitus & viciſſitudinem dierum agnoſci dicitur poſſe. Hæc nunc, ut puto, aliquanto clarius, quam prius explicata ſunt, quoniam B. ea non videtur intellexiſſe; unde & objectiones ejus nequaquam me feriunt, quas, ſi operæ pretium ſit, lector videat pagina 175. & 176.

DCCCLXXVI. Inſtantiam ſuam defendere conatur B. p. 173. dicendo: *Id quod nobis tribuit ſequi ex noſtra doctrina; cum enim*, inquit, *motum Soli in hoc Pſalmo tributum exponant Copernicani (ut & Carteſiani) de motu non reali, ſed apparenti, neceſſariò ſequitur, Cælos in illo motu prabere non realem, ſed tantum apparentem materiam gloria divina.* Eadem habet M p. 145.

Reſp. Non poteſt dici, doceri in Pſalmo motum apparentem Solis, niſi hâc mente, quod uſurpetur phraſis, quæ ex apparentia motus Solis, adeoque ex præjudicio habet ortum, qua tamen non illud ipſum præjudicium,

Digitized by Google

dicium, quod ei originem dedit, ſignificetur, ſed quædam veritas generalis, qualis hic eſt variatio ſitus Solis, & hinc orta viciſſitudo dierum & noctium. Viciſſitudo dierum & noctium vera eſt, vera eſt variatio Situs Solis, veræ ſunt tempeſtates veris, æſtatis, autumni & hyemis, veræ ſunt variationes illæ ſuper Terrâ, quæ ex propinquitate vel remotione Solis à Terrâ, ab ejus luce vel ejus abſentiâ oriuntur: hæc omnia non apparentem, ſed veram planè præbent gloriæ Dei materiam.

DCCCLXXVII. Pergit B. p. 173. *atque negat noſtram Philoſophiam maximè Dei gloriam agnoſcere, exinde quia negemus motum Cælorum velociſſimum, & eum ad corpus Phyſicum nullam proportionem habere, ac per Conſequens impoſsibilem eſſe ſtatuamus.*

Reſq. Quæ de motu iſto rapidiſſimo mea ſententia ſit, patet ex Diſſert. 2. cap. 5. art. 4. & art. 286. cap. 18. hujus libri, quam ſententiam meam bene novit adverſarius; quare ergo Carteſianis juxta ac Copernicanis eum impoſſibilem affingit? Non agnoſcimus fictitium veſtrum raptum firmamenti; non quod impoſſibilem ſtatuamus iſtam celeritatem, ſed quod nulla ratione demonſtretur, & cum conſtitutione & diſpoſitione corporum cœleſtium non conveniat, quæ in vorticibus agitari ſtatuimus, uti ex deductione demonſtrationis meæ cap. 18. patet.

DCCCLXXVIII. Addit B. p. 174. *Hypotheſin Copernicanam maximo laborare incommodo jam probavi Dial. p. 36, 37, 38.*

Reſp. At etiam diu patefactus eſt tuus error in *Demonſtratione Mathematica ignorantiarum & ineptiarum Jac. du Bois &c.*

DCCCLXXIX. Pergit B. p. 174. *Immenſam illam ſtellarum ſupra ſpharam Saturni altitudinem à nobis quidem fingi & ſupponi, ſed non probari, Dial. p. 51. &c. clare ſe oſtendiſſe.*

Reſp. Ad hæc repono Pp. III. art. 7. Cart. *Quantum ad fixas, non permittunt quidem phænomena, ut ipſas à Sole aut Terra non magis quam Saturnum diſtare arbitremur, ſed nulla obſtant, quo minus ad quarumlibet immenſam diſtantiam remotas eſſe ſupponamus: colligiturque ex motibus Cœli infra explicandis, eas à nobis adeo eſſe diſtantes, ut Saturnus ad ipſas comparatus videatur admodum propinquus*; unde quid de iſta immenſâ altitudine ſtellarum demonſtratum ſit, patet.

DCCCLXXX. Tandem inquit pag. 174. *Quæ de Philoſophia Ariſtotelica à me dicuntur, ad ſe nihil facere, cum nunquam profeſſus eam ſit.*

Reſp. Quam diſtinctè intelligas opera divina & quam Philoſophiam

concris

coneris defendere apparet manifeſte ex inanibus Except. ad meum argumentum, quod cap. 18. vindicavi. Ergo contra te omninò hæc facere ſcias: quod ut melius intelligas conſule Caput primum de vulgari & Philoſophica notitia.

DCCCLXXXI. Sed & M. p. 146. hyperaſpiſten agere vult inſtantiæ undecimæ & conatur evincere, *ex mea ſententia ſequi, Cœlos non verè enarrare Dei gloriam, quoniam narrare Cœlis non magis competit, quam Soli tentorium, thalamus &c. de quibus dixerim, quod locutione vulgari Soli attribuantur: concludi ergo à paribus vel ſimilibus Cœlum ex mea ſententia non verè, ſed vulgariter tantum enarrare gloriam Dei.*

Reſp. Improprietas non falſitatem infert, nec omnes locutiones impropriæ obvolutæ ſunt præjudiciis, adeoque diſpar eſt ratio phraſeos *narrare gloriam Dei,* & *Solem prodire* &c. Cœli narrant gloriam Dei verè hoc ſenſu, quâtenus ea, quæ in cœlis ſunt & fiunt, ſufficiens ſuppeditant fundamentum Deum glorificandi creaturis rationalibus. Sed videtur præſuppoſuiſſe, me ſtatuere, locutiones iſtas, quas in Pſal. adhiberi dico, ex præjudiciis ortas nullam veritatem, ſed falſitatem ſignificare & dicere, quod nego & pernego.

DCCCLXXXII. Tandem digreditur M. p. 174. & ſeqq. in diſquiſitionem: *Utrum Philoſophia Carteſiana ſit magis apta ad gloriam divinam, quam Ariſtotelica, prout vulgo traditur?* Ego dixeram, magis aptam eſſe Carteſianam, quod per eam mundo pulchritudo major attribuatur, motus directio fieri ſecundum leges naturæ doceatur, & mundus maximus concipiatur, taliſque, cujus nullos fines poſſimus cognoſcere &c. (ſi enim collatio inſtituenda, plura argumenta poſſent adduci) de quorum poſteriori ſuo loco eſt actum; de duobus prioribus hic breviter agemus.

DCCCLXXXIII. Prius autem obſervo, pulchritudinem generaliter ſic definiri poſſe, quod ſit *talis rei conſtitutio, per quam res poteſt mentem occulta quaſi vi ad ſe rapere & ſingulari gaudio perfundere*: ut autem ea cognoſcatur, opus eſt, ut res prius à mente clarè & diſtinctè percipiatur; quo enim clarior & diſtinctior eſt perceptio, eo etiam magis ejus pulchritudo in propatulo eſt. Quæ itaque Philoſophia clarè & diſtinctè explicat naturam cœlorum, clare quoque eorum aperit pulchritudinem: At hoc facere Carteſianam ex libris Carteſii certum eſt, ſicut non minus eſt certum, diſtinctè vix aliquid de iis cognoſci poſſe ex Philoſophia Peripatetica, prout vulgo traditur: id autem per partes hîc deducere, neque libet neque opus eſt, cum iſtius rei diſquiſitione & comparatione utriuſque

Digitized by Google

que Philoſophiæ dependeat. Qui utramque Philoſophiam habet cognitam, id facile poterit præſtare. Quod ſi quis attendat ad formas ſubſtantiales, qualitates occultas & manifeſtas, ad quæ omnia naturæ ſecreta Scholaſtici referunt, & quam parum diſtincti de iis habeant cognitum conſideret, is confiteri neceſſe habebit, quam parum illa Philoſophia ad Cœlorum pulchritudinem poſſit conferre.

DCCCLXXXIV. Nec obſtat pulchritudini Cœli & mundi, quod indefinitum illum ſtatuamus, hoc eſt, talem ac tantum ut fines ejus non poſſimus cognoſcere, ſed quibuſcunque finibus poſitis ſemper ultra eos quandam extenſionem percipiamus. Nam 1. ſi non obſtat pulchritudini Dei ejus Infinitas, verùm eam magis auget, nec mundi & cœlorum pulchritudini oberit Indefinitas, ſed augebit potius.

DCCCLXXXV. 2. Quantum de mundo Philoſophia Carteſiana diſtinctè cognoſcit, tantum etiam ejus pulchritudinis percipit. De reliquo, quod nempe ultra ſtellas fixas (excepto Cœlo Beatorum, quod ex ſola Scriptura novimus) extenditur, nihil aliud quidem quam extenſionem percipit, ſed tamen eo ipſo majorem mundi & cœlorum pulchritudinem cognoſcit, quàm vulgaris, quæ ultra eas nihil vult reperiri. Hæc de priori, quæ ſi placet lectori conferre cum Objectione M. pag. 147, 148. ei ſatisfactum videbit.

DCCCLXXXVI. Secundum item, nempe quod Philoſophia Carteſiana doceat fieri motus directionem ſecundum leges naturæ, eſt manifeſtum ex collatione Pp. II. in quo leges naturæ explicantur, & Pp. III. in quo omnia ex illis deducuntur, demonſtratione accurata & evidenti attendentibus, unde non poteſt non gloria ſapientiæ Dei fieri manifeſta, qui tam accuratas leges naturæ præſcripſerit, ſecundum quas omnia dirigit & gubernat, ut omnium ſit accurata convenientia & harmonia. At contra naturæ leges Motum explicat Philoſophia ſcholaſtica, dum docet; Motum alicujus corporis tendere ad quietem & natura ſua ceſſare, dum motum affingit corporibus inſitum, dum ſtatuit vel cum Ptolemæo orbium & ſphærarum ſeſe invicem tanquam pelliculæ ceparum circumdantium motum inordinatum & impoſſibilem, vel ex mente Tychonis motum Solis circa Terram, & ſimultaneum raptum Planetarum, non tamen circumraptâ Terrâ. Vide capitis 18. art. 406. 411.

DCCCLXXXVII. Neque hinc infertur, quod motus cœlorum miraculoſi & extraordinarii non celebrent vel minus celebrent gloriam Dei; non enim à nobis dicuntur motus ſecundum leges naturæ gloriam

Digitized by Google

Dei celebrare, oppoſite ad motus extraordinarios, & miraculoſos, ſed oppoſite ad motus confuſos & inordinatos, nullum fundamentum vel in experientia vel in legibus naturæ habentes, quales ſunt motus à Ptolemæo & Tychone confićti, uti oſtenſum. Itaque & motus miraculoſi celebrant gloriam Dei independentiæ & libertatis, quod ut ab ipſo leges naturæ pendent, ita eos figere vel refigere pro ſuo beneplacito poſſit, & motus naturales celebrant gloriam ſapientiæ divinæ, quæ omnia ordine diſpoſuit & conſtituit ſapientiſſimè & perfećtiſſimè. Atque ſic ſatisfaćtum iis, quæ à M. p. 149. fuerunt objećta.

DCCCLXXXVIII. Sequitur Inſt. 12. B. D. p. 424. *Hinc porrò ſuſcipio talia argumenta I. Ut ſponſus ſe habet ad gloriam ſuam non apparenter & ex opinione hominum, ſed revera, ita Sol ſeſe habet ad gloriam ſuam revera, & non ex opinione hominum, apparenter tantum : Totum hoc facile concedent Copernicani. Ergo ſic pergo. II. Ut Curſor ſeſe habet ad curſum ſuum; ita & Sol ad motum ſuum : At curſor ſeſe habet ad motum realiter, & non ſecundum apparentiam tantum vel opinionem hominum. Ergo & Sol ſeſe habet ad motum ſuum realiter, & non ſecundum apparentiam tantum vel opinionem hominum. III. Prout Sol ſeſe habet ad gloriam ſuam ipſi in Pſalmo tributam; ita etiam ſeſe habet ad ſuum motum, cum in utraque ſimilitudine nulla diverſitatis nota reperiatur : at Sol ſeſe habet ad gloriam revera, & non ſecundum opinionem hominum apparenter tantum. Ergo habet ſeſe ad motum revera & non apparenter tantum ſecundum opinionem hominum.*

Reſp. 1. Sufficit convenientia inter Solem & curſorem in variatione ſitus celerrima, incipiente à quodam termino nobis conſpicuo, & in oppoſita meta nobis itidem conſpicua deſinente, quæ convenientia phraſi, *progredi ab extremitate cœlorum ad alteram extremitatem*, ex præjudicio de motu Solis exortâ, deſignatur, & quia recepta, à Spiritu Sanćto uſurpatur, ita tamen ut ab ipſo non præjudicium illud, ſed veritas generalis, nempe variatio ſitus Solis deſignetur. Quemadmodum ergo ex verbis dicentis : *Solem ſeſe elevare ſupra Horizontem & aſcendere uſque ad medium Cœli, ſicut aquila ſeſe elevat à ſuperficie Terræ, & uſque ad nubes evolat*, nemini ne quidem à Ptolemæo permitteretur hæc illatio : ut aquila ſeſe habet ad motum ſuum, ita Sol ad motum ſuum; atqui aquila revera è loco inferiori in ſublimiorem ſeſe extollit : ergò etiam Sol revera è loco inferiori in ſublimiorem ſeſe extollit : ita etiam non licet hîc comparationem urgere, ultra illud tertium, in quo fuit inſtituta. 2. Negamus, quod eodem modo Sol ſeſe habeat ad gloriam ſuam & ad motum; nam gloria Soli adſcribitur à Pſalte, non item motus, cum illud ipſum ſit, de quo-

quæ-

Digitized by Google

quæritur, & quod nos negamus, ut ex dictis ſatis patet. Quod autem B. p. 177. dicit, in analyſi Pſalm. 19. ſe ad oculum oſtendiſſe, inter argumenta, quibus Dei gloria conſpicua in cœlis probatur, etiam referri hoc, deſumptum à motu Solis, qui comparatur motui curſoris, id nos factum negamus, quum non niſi à variatione ſitus & hinc ortâ viciſſitudine dierum & noctium argumentum duxiſſe Pſalten ſuperius art. 1. demonſtraverimus.

DCCCLXXXIX. Inquit tamen B. p. 177. *Sicut gloria curſoris conſiſtit in curſus velocitate, ita etiam gloria ſolaris ſita eſt in motus ipſius pernicitate &c.* Sic H. p. 112. *Quemadmodum ſponſus ad gloriam & egreſſum, ita Sol ad pulchritudinem & motum ſuum ſeſe habet.*

Reſp. At nego, quod ex textu poſſit oſtendi, gloriam ſolarem vel in motu vel in motus pernicitate conſiſtere, nego id intendere Spiritum Sanctum phraſi recepta, ſed dico, in continua variatione ſitus & inde orta viciſſitudine dierum & noctium comparatiouis iſtius tertium conſtitui. Itaque ut ſponſus ad gloriam & egreſſum, ita Sol ad pulchritudinem & variationem ſitus ſeſe habet. Et quemadmodum Sol dicitur lætari, quia talis effectus ejus eſt, qui ſequi ſolet ex lætitia: ita dicitur ſeſe parare ad curſum vel currere, quia talem edit effectum, qualis ex curſu ſequi ſolet.

DCCCXC. Pergit ad meam ſimilitudinem adductam dicendo p. 179. *Quis unquam negavit Ptolemaicorum, vel Tychonianorum, Solem revera aſcendere ſupra Horizontem in gradibus Almacantharath?* Simile habet H. p. 114. & 115. quod ſi placet lector videat.

Reſp. Adſcendere revera eſt è Planitie in altum attolli; cum ergo Sol ſecundum vos in circulo moveatur, cujus centrum eſt Terra, non poteſt dici è planitie in altum tolli, adeoque revera adſcendere. 2. Nec magis remotus eſt, à terra cum in medio Cœli conſpicitur, quam cum eſt in ortu, ut ſupra demonſtratum.

DCCCXCI. Urget adhuc B. p. 180. *Hoc eſt argumenti mei fundamentum. Prout Sol ſe habet ad ſuam gloriam præbendo argumentum rei veræ, ita etiam Sol ſeſe habet ad ſuum motum, ita, ut etiam in eo exhibeat argumentum rei veræ Dei gloriam manifeſtantis; Ac proinde in textu non quidem inſtituitur comparatio inter Solis gloriam & motum, ſed referuntur ad eandem rationem argumentandi, in qua cum nulla ſit diverſitatis nota (vid. quod in priori medium probationis deſumeretur à re vera, in poſteriori à non vera, ſed tantum apparente; neceſſario ſequitur, per motum Solis intelligi debere motum realem.*

Reſp. At ego nego, quod à motu Solis in Pſalmo deſumitur argu-

mentum ad Dei gloriam manifeſtandam, imò hoc eſt ipſum τὸ ζητούμενον; nego enim de Sole motum à Pſalte affirmari, ſed tantum variationem ſitus, quæ cum vulgo receptâ formulâ per curſum exprimatur, dico etiam Spiritum Sanctum eam voluiſſe adhibere.

DCCCXCII. Tandem, inquit B. p. 180. *Solem quieſcentem non poſſe eſſe cauſam viciſsitudinis dierum & noctium, jam antea eſſe probatum.*

Reſp. Nemo negat, quin ſi & Sol & Terra quieſcerent, nulla viciſſitudo locum habere queat; ſed nego, quòd ea eſſe nequeat, Sole quieſcente, per Terræ motum, prout ſupra art 875. latius oſtendimus. His, quæ hactenus diximus, reſponſum etiam erit ad ea, quæ M. objicit pag. 171. & 172. Res enim tota eo redit, an à motu Solis reali deſumatur argumentum ad gloriam Dei celebrandam, quod nondum eſt evictum, cùm non niſi phraſi recepta variatio ſitus Solis & viciſſitudo dierum ſignificetur. H. rem hoc argumento conatur evincere p. 25. & 26. *Quicquid ſpectandum nobis hic loci Spiritus Sanctus & admirandum nobis proponit, illud Soli proprie & realiter competit. Atqui motum Solis ab ortu in occaſum ſpectandum nobis Spiritus Sanctus & admirandum proponit.* Reſp. Min. eſſe falſam & principii petitionem; neque enim mentem eſſe Sp. S. oſtendi poteſt, ut ulteriorem hic inter Curſorem & Solem comparationem inſtituat, quam quoad ſitus variationem. Verùm ut dixi de hoc & reliquis H. à p. 20. uſque ad 28. cùm conveniant cum inſtantiis prioribus, jam dictum eſt ſatis.

DCCCXCII. Inſt. 13. B. D. p. 24. in fine, & 25. ab initio. *Praterea cum intenderit Pſaltes probare, Cœlos narrare gloriam Dei, dicendum erit, Prophetam vel non cognoviſſe veram rationem, quomodo Cœli enarrent gloriam Dei, apparenterne, an reverâ; vel eum realem narrationem cœlorum probaſſe argumento quod in ſeſe non eſt verum, ſed tantum propter apparentiam verum creditur ab hominibus, qui rei veritatem ignorant. Vtrumvis ſtatuatur abſurditas omnem modum excedit.*

Reſp. Præſupponitur hic, Copernicanos ſtatuere, Cœlos gloriam Dei enarrare non reverâ ſed apparenter, quod ſupra eſt everſum. Oſtendendum autem fuiſſet, Pſalmum intendiſſe probare, gloriam Dei enarrari per Solis motum realem, quod eſt in quæſtione. Sol quidem enarrat gloriam Dei, eo ipſo, quia eſt origo viciſſitudinis diei & noctis per ſuam lucem, ſed ad id requiri etiam motum ipſius realem eſt ipſum τὸ ἀμφισβητούμενον.

DCCCXCIV. Contra hanc reſponſionem articuli præcedentis B. p. 181, 182. provocat ad antecedentia, ad quæ & ego provoco, cum in iis

iisinanitatem probationis ab Antagoniſtâ productæ demonſtraverim. Quod autem dicit, *reſponſionem ſuam* Dial. p. 24, 26. *reſpicere Keplerum*, non obeſt, quo minus eam, quomodo contra nos potuerit uſurpari, ſpectaremus, & ſic eam retunderemus.

DCCCXCV. M. p. 173. ***Motum Solis eſſe argumentum principale, ex quo gloriam Dei Pſalmiſta evincat evidentius eſt, quam ut in dubium quiſquam vocare auſit.***

Reſp. At nos negamus, id eſſe evidens, donec clarè probetur, cum ſit ipſum quod hîc quæritur.

DCCCXCVI. Tandem cum Jacobus Lansbergius pro ſe adduceret auctoritatem Calvini, qui ad hunc Pſalmum annotat: *Itaque ſatis habuit craſſo ſtylo ingratitudinis arguere totum mundum, niſi de Solis conſpectu in pietate proficiat. Hac ratio eſt, cur dicat tentorium ei paratum eſſe: deinde, egredi ipſum ab unâ Cœli extremitate, & tranſire celeriter in partem oppoſitam: neque enim argutè inter Philoſophos, de integro Cœli circuitu diſputat: ſed, rudiſſimis quibuſque ſe accommodans intra ocularem experientiam ſe continet, ideoque dimidiam curſus partem, quæ ſub hemiſphario noſtro non cernitur, ſubticet.* Oggerit B. D. p. 26. *Dicit quidem Calvinus Sp. Sanctum uti ſtylo craſſo, & non argutè inter Philoſophos diſputare, ſed quid hoc contra nos, vel ad hanc quæſtionem? non negamus hoc, non eſt hæc quæſtio noſtra, ſed, an Spiritus Sanctus ita ſeſe vulgi ſenſui attemperet, ut tanquam verum protulerit, quod in ſe non eſt verum, ſed tantum apparens: id eſt, an Soli adſcribat motum, quia ita apparet, & à vulgo creditur, quanquam reverâ ſeſe non moveat, ſed quieſcat. Hoc verò non dicit Calvinus, ſed contrarium aſſerit, nam Planetis adſcribit ſuos curſus & quaſi ſtadia, & firmamentum ſtellas omnes fixas in ſuam revolutionem trahere, dicit.*

Reſp. 1. Lansbergium Calvinum pro ſe laudare tantum hactenus, ut oſtendat, in hoc Pſalmo multas eſſe locutiones vulgares à ſenſuum apparentiâ derivatas. Nam craſſus ſtylus oppoſitè ad argutam inter Philoſophos diſputationem, item, accommodatio ad rudiſſimos quoſque, qui intra oculorum experientiam ſeſe continent, hic infert locutionem à ſenſuum præjudiciis deſumtam, opponiturque ſemper accuratæ rei veritati, ita ut poſito alterutro alterum ſit negandum. Et hoc apparet ex Ariſt. 1. Et hic ad Eud. cap. 6. cui hæc ſunt æquipollentia: *δοκοῦντα, φαινόμενα, λόγοι κενοὶ, ἀλλότριοι, μὴ φιλοσόφως λεγόμενοι.* An verò hoc in ſe eſt verum, quod Cœlo conveniant extremitates? quod tentorium & thalamum in Cœlis habeat Sol, in quo quieſcat? quibus præjudiciis verba Pſalmi ſunt involuta. 2. Quamvis quoad propoſitam quæſtionem Cal-

vinus à nobis diſſentiat, conſentit tamen in eo nimis quàm clarè, quod Scriptura formulis circa res naturales accuratam veritatem non ſequatur, ſed ad præjudicia ſenſuum eas formulas, ex quibus habent originem, flectat. Quoad propoſitam verò quæſtionem planè nobiſcum conſenſit Cl. Coccejus in Comment. ad Pſalmos edito anno hujus ſeculi LX. Sic ille ad verſum 6. hujus Pſalmi: *Quando Sol ſupra horizontem incipit apparere, dicitur oriri, exire, prodire (ſive reverâ, ſive ita, ut terra, cui appropinquat navis, dicitur* προσάγειν *Act.* XXVII. 27.) *ita, quando à viſu noſtro occultatur, occidere.* Et poſtea: *Solis indefeſſus & imprapeditus minimeque varians quoad celeritatem, motus eſt. Curſus Soli attribuitur, quia & ortus & occaſus. Mòtum quendam celerrimum fieri, dum fit dies & nox, oculus ipſe teſtis eſt. Quod ipſi oculi eâ de re teſtari poſſunt, ſatis argumenti eſt ad opus Dei indicandum. Ea indicatio etiam cælo attribuitur, quia ſine Sole, qui in cælo poſitus eſt, eum motum non obſervaremus.* Item: *Qui motum diurnum hîc intelligi volunt, quo efficitur dies & nox ii per fines* cœli *intelligunt horizontem. Sed non poſſumus evadere, quin concedamus, phraſin eſſe de medio ſumtam, ad id confuſius ſignificandum, quo fit diei & noctis differentia, ſive experientiâ vel ratione motus iſte, qui in naturâ eſt, reperiri, erui, demonſtrari poßit, ſive Deus eum velit in arcanis ſuis retinere.* Addam huic Conradum Bergium Profeſſorem Theologum Gymnaſii Bremenſis & Concionatorem verè pium, qui in Ennœologiæ Theologico-Philoſophicæ Parte ſextâ, quæ eſt, Somatologica ſeu Phyſica de operibus, Fragmento VI. membro 3. de ſitu, ordine ac motu cœli & ſtellarum, quam ſuis diſcipulis dictavit, in quorum manibus adhuc ſunt, hoc carmine ſententiam iſtam fuit complexus, cujus paraphraſin etiam adjunxit:

Quorumvis generum ſimiles denſantur in orbe
Particula proprio, cumque hinc diſcordia & illinc
Terreat, aut aque invitet concordia cunctis
Ordine ſic maßis oritur diſtantia certo,
Motâ acie ut tota ſtationem ſingula ſervent.
Nonnulli ad plures affecti æqualiter orbes
Cùm calido ſegnem fugiant agitante quietem,
Cuncta & amica petant, per circum ſæpe recurrunt.
Utque globum impulſu, quo quiſque eſt fortior urgens
Temporis in ſpatio facit & majore moveri,
Sic facile eſt primi motoris ut impetus omnem
Afficiat ſphæram durante in ſecula motu,
Quem præſertim intus ſimul & propenſio ſervet.

Digitized by Google

Nî placet hæc potius forſan mandare miniſtris.
Unde licet motum ſtringentia frigora ſiſtant.
Impulſu tamen externo terramque moveri
Aurasque adjunctas pariter, non cerno repugnans.
Nec minus hinc rectè tribuant oracula terræ
Fundum, cum cœlos fugiens ſubſidat in imo,
Uſque & ab his diſtans nunquam ſtatione recedat.
Aëris at quoties motûs impulſio mutat,
Sentitur ventus, varius gradibuſque lociſque &c.

Sequitur ejuſdem Paraphraſis Exegetica.

Sicut igitur plures ſunt ſtellæ, ita etiam plura erunt genera partium ſimilium diverſo ab aliis ſtellis appetitu prædítarum; cumque ſingulas ſtellas ab omni parte diverſitas & diſſenſio quædam æquè à ſe repellat; vel in diverſitate ſimilitudo & amicitia attrahat; fit utique ut ſingulæ ſtellæ ad plures alias æque invitatæ ad nullas magis moveantur: ſed in ſuo ſingulæ loco, certo ordine atque diſtantia ab aliis conſtanter permaneant, & cum tota ſtellarum univerſitas movetur, ſingula tamen ſtationem ſuam atque diſtantiam in cæteris conſtanter ſervent: ſimili modo atque in exercitu ſeu acie aliqua ſinguli milites atque ordines militum motâ tota acie, conſentiente diſcordia ſuam ſinguli ſtationem atque diſtantiam ab aliis ſervare ſolent: intelligitur etiam facile poſſe fieri, ut nonnulli partium ſimilium orbes, ſeu ſtellæ quas planetas vocamus, ad alias plures ſtellas præ aliis æqualiter affectæ, cum peculiari quodam calore ſeu appetitu ad motum perpetuo impellantur, eoque tum moveantur, tum ad illarum præcipue propinquitatem moveantur, ad quas æqualiter adfectæ ſunt in eundem ſæpius circulum, aliæ menſe, aliæ alio tempore revolvantur. Cæterum veluti cum rota aliqua aut ſphæra ſuper axe aliquo librata, impellitur ad motum, quanto fortior eſt is qui impellit tanto majori etiam tempore tantoque ſæpius ſphæra illa in eundem orbem revolvitur: ſic etiam intelligitur, facile utique poſſe fieri, ut ex primo omnipotentis motoris impulſu, ſive cœli totius, ſive ſtellarum ſingularum talis impetus ac motus oriatur, qui in plurima ſecula durare poſſit, cum præſertim etiam appetitus forte aliquis nauralis præter hunc impulſum corpori inditus ad motum ſimiliter inclinet ac diſponat; niſi fortè beneplacitum ſit Domini, ut motus hujuſmodi mediantibus cauſis adminiſtris cieat, puta Angelis ſeu intelligentiis, à quibus corpora cœleſtia moveri tralatitium eſt. Quam-

Quamvis igitur frigoris ſeu appetitus tenebroſi proprium ſit impedire motum, ut tamen etiam orbis ipſe terrenus impulſu aliquo à principio externo moveatur, una cum aëre proximo, non video repugnantiam aliquam involvere. Neque propterea minus conveniens fuerit, quod Pſ. 104. 5. dicitur, fundavit terram ſuper baſes ſuas, ne moveat ſe in ſeculum, & in ſeculum; eo quod terra diſtantiam quantam maximam conſequi poteſt ab oppoſito cœlo appetens, ſit infima mundi pars & quaſi fundamentum; neque extra illud ſpatium, in quo à principio forte externo circumvolvitur unquam vel ad dextram, vel ad ſiniſtram, vel ad ſupernam vel ad infernam partem unquam declinet, ſed ab omni parte diſtantiam ſuam à cœlo conſtanter retineat. Cum igitur aëris diurnus unà cum terra motus regularis, ex hac hypotheſi, ſit futurus ab Occidente in Orientem, ſi hunc motum impulſione aliquâ externâ ex parte variari contingat, dicetur ventus, qui ſecundum gradus impulſionis, & terminos ſeu loca ex quibus oritur & ad quę tendit, varius eſſe ſolet. *Hactenus Bergius.*

DCCCXCVII. Contra hanc reſponſionem inſurgit B. p. 185. *Calvinum Lansbergio in eo (in quo ab ipſo citatur) repugnare clarè evicimus, nam Spiritus Sancti craſſum ſtylum de motu Solis ſic intelligit, ut ipſum Solem velociſſimè moveri rotundis verbis dicat.*

Reſp. At ad hoc non citatur Calvinus, ut jam dictum, & mirum quod tàm inaniter repetatur, ad quod jam antea reſponſum erat. Calvinus utique expreſsè dicit: Craſſo ſtylo dicere Pſalmiſtam, tentorium Soli paratum eſſe, egredi ipſum ab unâ extremitate & tranſire celeriter in partem oppoſitam. At craſſus ſtylus opponitur accurato, qui rem ut in ſe eſt exprimit & nudam veritatem; ergo craſſus deſignat eum ſtylum, qui non rem ut in ſe exprimit, neque nudam veritatem, ſed ut ea præjudiciis eſt involuta, prout etiam hoc eſt illuſtratum textu Ariſtotelis. Nec lubet ulterius de eo diſceptare, ſed Lectorem ad inſpiciendum textum Calvini allegare; quem non dubito perſpecturum, quod textus Calvini faciat ad oſtendendum, in Pſalmo dicto reperiri phraſes vulgares, non nudam veritatem, ſed præjudiciis involutam exprimentes: etiamſi enim verba eadem non adhibeat, tamen quod illud ipſum, quod dixi, per craſſum ſtylum intelligat, ex exemplis, quæ craſſi ſtyli adducit, ſatis patet.

DCCCXCVIII. Prætereo lubens dicteria, quibus adverſarii verba ſcatent, tantùm hoc tango, quod dicit p. 187. In Ariſtotelis citatione, *me plane aberrare à Philoſophi ſcopo, qui eo capite tractat modum docendi, cuique φαινόμενα, δοκοῦντα &c. ſint, non ſententia, quæ dicuntur ſecundum erroneam*

neam opinionem vulgi, & non ſecundum rei veritatem, ſed argumenta probabilia; & rurſus μὴ φιλοσόφως λεγόμενα non ſint ea, quæ non aſſeruntur Philoſophicis rationibus, ut ex primâ textus inſpectione per ſe patet.

Reſp. Ariſtoteles agit dicto loco de rationibus dialecticis oppoſitè ad analyticas, illas vocando λόγους μὴ φιλοσόφως λεγομένους, quibus æquipollere dicit δοκοῦντα, φαινόμενα, ſive vera ſint ſive falſa. Et ſic Neld. Prat. Log. p. 337. *Quicquid ἔνδοξον eſt, id eſt, probabile, conſentiens cum hominum judiciis, licet falſum, id Logicum dicitur.* Ibidem: *Rationes Logicas contingit eſſe falſas,* ſi ergo δοκοῦντα, ſive vera ſint ſive falſa, æquipolleant λόγοις μὴ φιλοσόφως λεγομένοις, ergo etiam ſtylus ſecundum δόξαν æquipollebit ſtylo μὴ φιλοσόφως λεγομένῳ, qui eſt ſtylus craſſus non accuratus: At ſtylus ſecundum δόξαν eſt is, qui innititur notitiæ vulgari, ſive vera ſive falſa ſit. Adde, quod in Dialecticis rationibus explicandis non recedatur à communi & vulgò receptâ conſuetudine, etiamſi verba non ſemper ipſis rebus conveniant, teſte Neldelio p. 361: manifeſtum eſt ergo, Ariſtotelis verba ei cui adhibentur probando inſervire.

DCCCXCIX. Inquit porrò B. p. 187. *dic quæſo, quodnam ſenſuum præjudicium dictat Soli eſſe thalamum &c. quis ex vulgo qui mentis fuit compos id unquam credidit; an fungos imaginatus es libri tui lectores?*

Reſp. De eo ſuperius art. 859. dixi, quantum ſatis eſt, atque oſtendi ex Tacito vulgi eſſe errorem, quod putet, Solem recondi ſub altero hemiſphærio, indeque oriri iſtas Metaphoricas locutiones de tentorio & thalamo, quod quia hactenus nec refutavit adverſarius, nec auſus eſt, ſed intactum præteriit, magnam ejus inſolentiam lector facilè videbit.

Caput XLVII.

Pſalmi XCIII. verſus 1. & Pſal. CIV. verſ. 5. proponuntur, & cum ſententiâ dictâ conciliantur.

DCCCC. Cum ſententiâ noſtrâ pugnare volunt quidam Pſalm. XCIII. 1. *Etiam ſtabilitur orbis habitabilis, ne dimoveatur,* & Pſalm. CIV. 5. *Fundavit Terram ſuper baſes ejus, ne dimoveretur in ſeculum & perpetuum.* Hunc locum poſteriorem valde urget Fullerus lib. 1. cap. 15. Miſcellan. ſacrorum. Summa ipſius rationum huc redit. 1. *quia id tantum verè fundatum dicitur, quod locum non mutat, ſed in ſede ſuâ immotum quieſcit, firmumque ac fixum manet.* 2. *fundata dicitur ſuper baſes ſuas, Baſis autem valet ſtabilimen-*

bilimentum, firmam ſedem & ſtatum, ſeu quietem. Imò non ſuper baſin, unam videlicet, ſed baſes, plurimas ſcilicet aut potius innumeras. 3. Quod poſtremo ſequitur omnem prorſus motum localem vehementius excludit, ne dimoveretur inquit, id eſt, ne leviſſimo minimoque motu quoquoverſum ferretur.

Reſp. 1. Ad Pſal. 93. Vox ſtabilis, ſeu ſtabilire non neceſſariò infert negationem omnis motus: tribuitur enim illa etiam rebus motui quàm maximè obnoxiis. Sic, exempli gratia, *ſtata ætas* hominibus tribuitur, ſic vocantur *ſtata tempora*, quæ recurrunt & ſecum ſimilem actionem introducunt, qualis antea ſimili tempore fuerat edita; ut quando dicimus: ſtatis temporibus recurrere hyemem, æſtatem, &c. Attamen in his motus reperitur, imò ipſum tempus numerus & menſura motus æſtimari debet. Sic quoque vocatur ventus *ſtabilis*, qui aliquandiu ab eadem parte flatum continuat. Quando ergò de Terrâ dicitur, *eam ſtabiliri, ne dimoveatur*, nihil aliud intelligitur, quam eam à ſeipſa non diſſolvi, neqúe comminui, ſed ita firmam manere. Majeſtatem enim Dei hic Pſalmus vult oſtendere ex eo, quod ita Terram ſtabiliverit, cui non repugnat, etiamſi illa tum circa axem volvatur, tum etiam circa Solem deferatur. Quod ſi verò aliquanto accuratius hunc Pſalmum inſpiciamus, deprehendemus, Pſalmum hunc eſſe Propheticum, & nequidem de Terræ globo Phyſicè conſiderato eſſe ſermonem, ſed de Eccleſiâ N. T. Loquitur iſte Pſalmus de Regno Chriſti, quod promiſſum fuerat Jer. XXIII. 5. confer etiam Eſ. LII. 7. quod ipſe Chriſtus in diebus carnis ſuæ prædicabat appropinquâſſe, & quod regnum cœlorum appellat. Hoc Regnum eſt Eccleſia N. T. ſubditi nempe Chriſti, qui ipſi ſe totos tradunt gubernandos & regendos. Hoc enim nomine vox תבל non rarò venit, quia Eccleſia eſt terra frugifera, quæ multiplices fructus producit. Opponitur ea Eccleſiæ V. T. cui variæ obtigerant mutationes: alia enim facies ejus erat tempore Patriarcharum, alia tempore Moſis: hæc verò Eccleſia N. T. ſtabilis erat futura, ut nulla ſervitus, nulla umbra poſtquam res ipſa per umbras adumbrata advenit, eſſet reducenda ſtabilitâ libertate per Chriſtum.

DCCCCI. 2. Conſiderandum, quid Pſaltes per baſes intelligat, & omnis difficultas evaneſcet. Pſalm. XXIV. verſ. 2. dicitur: *Nam ipſe ſuper maria fundavit eam*, ſcilicet Terram. Hinc aliqui per baſes intelligunt aquas ſubterraneas, alii verò per eas potentiam Dei denotari volunt, quod Terra à potentia Dei ſuſtentetur, quaſi eſſet fundata ſuper fundamenta quædam. Si enim vellemus nimis urgere vocem *baſis*, deberemus tranſire in eorum ſententiam, qui cum vulgo putant.

tant.

tant, Terram infinitis radicibus deorſum eſſe radicatam, ita ut nulli ſint Antipodes, (cui ſententiæ etiam hæc phraſis inniti videtur;) quod velle ſtatuere, & eſſet manifeſtæ experientiæ reluctare, & rationibus Aſtronomicis, quæ probant, Terram undique eſſe rotundã fluido Aëre circumdatam, quodq; nec ipſe Fullerus conceſſurus eſſet. Itaq; nihil aliud indicatur his phraſibus, quam Terræ firmitas, quâ fit, ne nutet, concidat & concutiatur, ſive, ne vetuſtate fatiſcat aut ruat, ut ſolent ædificia. Non dimovetur Terra à baſibus ſuis, ſed firmiter manet compacta. Digna ſunt obſervatu verba Cl. Cocceji in hunc Pſalmum: *Fundatio terræ notat partium craſsiorum abyſsi coagmentationem & collationem in certâ univerſi parte, tanquam ſede, unde nunquam dimoveatur. Quæ eſt veluti exſtructio. Cui oppoſitum* בהו *ἀκαταστασία in confuſione & permixtione partium craſsiorum & liquidiorum.* Terra *ſignificat* τὴν ξηράν. Hoc autẽ non impedit, quo minus circumferatur Terra una cum baſibus ſuis ſive ſua firmitate, quemadmodum etiam navis habet ſua fundamenta ſive baſes, nempe inferiores partes, quibus innititur, quæ tamen in aquâ una cum ſuis baſibus movetur. Et quemadmodum ex eo, quod Cœlo tribuuntur fundamenta in Scripturis, nollent adverſæ ſententiæ Patroni inferri, Cœlum non moveri; ita & hic vox baſis & fundationis nobis obeſſe non poteſt. Non malè ſenſum horum verborum expreſſerunt illi, qui Terram in æquilibrio ſtabilitam exiſtimant. Cl. Marot id exprimit per *contrepoids*. Lobwaſſer per eine gegenwag / & ſic Opitius *Poëmatum ſacrorum* pag. 164. edit. Amſtelod. apud Joh. Janſſonium anno 1646. in 12.

Du haſt des himmelsfuß / die groſſe laſt der erden
Dein weiſes meiſterſtück in ſtarcken grund gelegt /
Den baw ihm laſſen ſelbſt zur gegenwage werden
So daß er weder ſinckt / noch auff die ſeite ſchlägt.

Concidunt ergo ſic tria fulcra Fulleri, quibus nimis firmiter putavit ſuam ſententiam ſtabilitam fuiſſe. Similia planè ſunt, quæ habet B. D. p. 30. ad quæ hoc reſponſum à Lectore poterit applicari. Cum enim nihil novi adferat, quod non in reſponſione ad inſtantias Fulleri fuerit ſufficienter ſolutum, noluimus in primâ editione, h. e. in Diſſertationibus, Lectorem inani repetitione gravare.

DCCCCII. Nunc tamen, quia, inquit B. p. 204. & ſeqq. *ſua argumenta planè differre ab inſtantiis Fulleri*, oſtendamus, quod omnino ipſorum refutatio ex reſponſionibus Fullero datis ſufficienter poſſit peti. Dicit p. 209. *ſe niti phraſi Hebraicâ, quæ propriâ ſuâ ſignificatione motum neget, quæque non durationem, ſed immobilitatem propriè & per ſe inferat.*

Digitized by Google

Reſp. Verba Hebraica ſic ſe habent בל המט אף תכון תבל: dixeram autem, ex intentione Spiritus Sancti hujus dicti non alium eſſe ſenſum, quàm Terræ partes à ſe invicem non diſſolvi, atque ita eam firmam manere; quæ ſanè reſponſio non magis verba Latina quam Hebræa reſpicit. Si enim is eſt dicti hujus ſenſus, non alius erit utique, ſive Hebraicâ vel Latinâ vel aliâ linguâ efferatur, ergo oſtendere oportuiſſet Adverſarium ex Pſalmo, aliud præterea à Spiritu Sancto intendi & ſignificari, quod nego. Verum oſtendamus in ejus gratiam, verba Hebraica immobilitatem Terræ non inferre. Duæ ſunt, quæ hic adhibentur phraſes, quarum neutra ad inſtitutum ipſius facit. Neque enim ex voce תכון, neque ex phraſi לא תמוט inferetur, Terram in vortice ſuo non deferri, cum illa delatione non obſtante utrumque de Terrâ dici queat. Verbum הכון in Niphal competere & tribui rebus mobilibus, quibus certo quodam reſpectu firmitas aſſignatur, manifeſtum evadit ex Pſalm. LXXXIX. 37. כירח יכון עולם *ſicut Luna ſtabilis erit in ſeculum*, & Pſal. CXLI. 2. הכון תפלתי קטרת לפניך *ſtatuatur oratio ut ſuffitus coram te*. Quod ſi ergò vocibus Hebraicis nitendum, quidni antagoniſta inferat, etiam Lunam & ſuffitum non moveri? Ita Pſal. VIII. 4. de Lunâ & ſtellis dicitur: אשר כוננת quæ ſtabiliviſti, & tamen Luna movetur, ſtellæ etiam ab adverſariis cenſentur moveri ſingulis diebus una cum Cœlo circa Terram, & reverà gyrat quælibet circa ſuum axem. Vide Philoponum de Creatione cap. 11. ubi hæc & ſimilia dicta Scripturæ adducta ad probandum ex Scripturâ, quod Cœlum ſit immobile, eodem modo ac nos explicat. Quod vocem מוט attinet, ea adhibetur Pſalm. XVII. verſ. 5. ubi David rogat Deum: *contine greſſus meos in orbitis tuis* בל נמוטו פעמי *ne dimoveantur pedes mei*; nec tamen licebit inferre, Davidem pedes immobiles petiiſſe, etiam tum quando greſſus inſtituendi. Nihil ergo præſidii in hoc Pſalmo pro oppoſitâ ſententiâ.

DCCCCIII. Inſt. B. p. 210. Ad Pſal. CIV. *Argumentum ſuum non eſſe fundatum in ſolâ voce Baſis, ſed in complexu ſententiæ*, fundavit ſupra baſes, *quam dixerit, per ſimilitudinem deſumtam eſſe ab Architectis ædificia ſua locantibus in loco ſolido & immobili, ita ut phraſeologia quidem etiam inferat durationem æternam, ſed eâ vi ſimilitudinis, quâ reſpicit ædificium ideo permanens & durabile, quia in loco ſolido & immobili eſt locatum.*

Reſp. Verba Pſ. CIV. ſic habent: יסד ארץ על מכוניה בל תמוט עולם ועד *Fundavit Terram ſuper baſes ſuas ne dimoveatur in ſeculum & perpetuum*, meaq; reſponſio nō reſpicit nudè vocē baſes, ſed ipſam *phraſin, fundavit ſuper baſes*; dixi enim, ſi illa propriè ſit ſumenda & ad vivum reſecanda,

ſecanda, debere ex ea colligi, Terram deorſum infinitis radicibus eſſe radicatam, &c. Ex quibus lectori apparet, jam ad illam inſtantiam Antagoniſtæ ſufficienter fuiſſe reſponſum: ſi enim Terra eſt permanens & durabilis, ut ædificium, quod in loco ſolido & immobili eſt locatum ergo ſub Terrâ debet eſſe locus ſolidus & immobilis, quem quidem mihi vellem oſtendi: quod enim à nobis concipitur ſub Terrâ, id antipodibus noſtris eſt ſupra Terram & vice verſâ, at nihil aliud circa Terram reperire licet quàm aërem mobilem, qui ſanè non poteſt eſſe Terræ locus ſolidus & immobilis. Comparatio ergo in phraſi iſta inter Terram & ædificia eſt quoad hoc tertium, nempe firmitatem, quâ fit, ne nutet, concidat & concutiatur, ſive, ne vetuſtate fatiſcat aut ruat, ut ſolent ædificia humana: nec illa ulteriùs debet extendi.

DCCCCIV. Quæ M. p. 175, 176. hîc profert, ea non ſunt tanti, quin ex antea dictis ſufficiens haberi poſſit reſponſio, & libenter velim me hîc æqui lectoris judicio ſubmittere, ut, collatis Adverſariorum Objectionibus & noſtris reſponſionibus, cenſeat, num ex Pſalmo XCIII. ſententia Adverſariorum poſſit probari, dum hoc unum obſervetur, me ſuſtinere partes Reſpondentis, cui ſufficit inconſequentiam argumentorum ab adverſariis allatorum oſtendiſſe. Eadem ratio eſt eorum, quæ ab ipſo afferuntur p. 177. &c. cùm enim nihil proponatur, ad quod reſponſio ex dictis non habeatur, neque operæ eſt pretium lectorem repetitione moleſtâ ejuſdem reſponſionis detinere.

DCCCCV. Iis quæ objicit H. pag. 5, 6, 7. aliquid reponendum eſt, quærit I. *Cur in ſacris literis τὸ fundari non de aliis quoque creaturis prædicetur?*

Reſp. Jam oſtendimus, prædicari de Lunâ, de ſuffitu, quibus plura alia loca addi poſſent.

DCCCCVI. Addit H p. 7. *quòd phraſis*, ne dimoveretur in ſeculum, *de integritate* & *conſtantia intelligi non poßit, arguit vox baſis, per quam tranſlative intelligi ſoliditatem & in integritate conſtantiam quis non videt? Quòd ſi phraſis* non dimoveri *idem ſignificare deberet, tautologia, craſſa crambe & inepta locutio Scripturam deformaret, &c.*

Reſp. Paraphraſis verſ. 5. Pſal. CIV. hæc eſt: Deus Terram firmiter compegit, ne nutet & vetuſtate dehiſcat, ſicut ædificia ſolent non firmiter ſtabilita, in quâ nulla tautologia inanis nec inepta locutio, niſi omnes phraſes, quibus una res ſignificatur diverſis modis, quales in ſacris literis multæ reperiuntur, ad ταυτολογίαν referre velis. Neque verò inficior, quin per baſes ſoliditas & in integritate conſtãtia intelligi debeat, ſed

nego, illam ſoliditatem & in integritate conſtantiam, quam Terræ reſpectu ſuarum partium inter ſe invicem cohærentium, & reſpectu conſtantis & ſine mutatione motus tribuo, evertere delationem Terræ annuam vel gyrationem diurnam. Cocc. in Gen. p. 84. a. *Notandum eſt, quod fundatio terræ non dicatur de toto globo, qui conſtat ex arida & mari, ſed de ſola arida. Ideo ex fundatione aridæ poſſumus argumentari ad negandum motum totius globi, quia arida fundata ſupra maria, nihilominus cum mari poteſt moveri.*

CAPUT XLVIII.

Pſalmi CIV. verſus 19. & Matth. V. verſus 45. cum ſententiâ dictâ conciliantur.

DCCCCVII. Pſalm. CIV. 19. *Fecit Lunam ad ſtata tempora, Sol novit occaſum ſuum.* Matth. V. 45. *Facit enim, ut Sol ſuus exoriatur ſuper malos ac bonos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos.* Primum locum ita urget B. D. pag. 28. *Verum quidem eſt, hîc eſſe Tropum, cùm Soli cognitio tribuitur, quia tantùm eſt facultas viventis; ſed & hoc certum eſt, Soli cognitionem tribui, quia tam certus & ordinatus ejus eſt curſus, quàm benè directa eſt actio eorum, qui omnia ſua ſcientia & cognitione agunt. Imo & in ipſo Tropo argumentum habemus efficax pro motu Solis: nam qualiter ille, qui omnia ſua ex cognitione agit, ſeſe habet ad actiones ſuas, ita & Sol in ordinato ſuo curſu ſeſe habet ad Occaſum ſuum; datur ergo actio quædam realis Solis circa Occaſum ſuum, propter quam agenti ex ratione comparatur: at ſi Terra mota Sol revera quieſceret, nullum eſſet fundamentum iſtius comparationis, ac per conſequens invalidum eſſet argumentum Pſaltis, ad probandam Dei gloriam ex luminaris illius ordinato occaſu; tum enim non Sol, ſed Terra ſeſe movens præberet medium probationis, cùm tamen Pſaltes illud non à Terra, ſed à Sole deſumat. Et quænam eſſet in eo probabilitas, quòd in exaltatione operum Dei in luminaribus cœleſtibus, in uno referetur, quod ei revera ineſt, in altero, quod tantùm apparet ineſſe? nam eo poſito ſequetur, medium prius revera eſſe probativum gloriæ divinæ, poſterius tantùm apparenter.* Ad alterum verò locum hæc p. 30. notat: *In verbis Domini noſtri Jeſu Chriſti hoc notatu dignum eſt, eum non alio modo loqui de Dei beneficio primo, quod Solem oriri faciat, quàm de ſecundo quod pluat. Atque τὸ pluere neceſſariò intelligi debet de reali communicatione beneficii & non merè apparenti; Ergo & ſimiliter τὸ facere*

Digitized by Google

oriri de reali & non merè apparenti collatione beneficii exponi debet.

Reſp. Ortum & occaſum Soli propriè non poſſe tribui ſuperiùs vidimus, ibique agnoſcendam locutionem vulgarem oſtendimus. 2. Argumentum à comparatione Solis cum eo, qui omnia ex ſuâ cognitione agit, eſt imbecillum. Comparatio enim illa ulteriùs extendi non debet, quàm hucuſque, quòd Soli Occaſus obtingat, non aliter, ac ſi cognitione præditus omnia ad illum ſubeundum diſpoſuiſſet. Ortus autem & Occaſus propriè loquendo ſonant quid Reſpectivum & Relativum ad Horizontem, quæ, ſive Soli contingant per motum proprium realem, ſive per Terræ circumvolutionem, ſtato nihilominus tempore eveniunt, nihilque id inſtituto Pſalmiſtæ obeſt. Nec ſi hîc convenientia non ſit agentis ex cognitione & Solis in reali actione, nullum propterea comparationis fundamentum erit. Tertium enim convenientiæ erit in certitudine eventus, quòd quemadmodum ex conſilio agenti certò quædam eveniunt, ad quæ conſilia ſua direxit: ita etiam Soli certò obveniat occaſus ſtato tempore & loco pro diverſis anni partibus. 3. Pſalmiſtæ ſcopus hîc eſt oſtendere, ex operibus ſapientiam & providentiam divinam elucere, quod inter alia etiam exemplis Lunæ & Solis declarat, quibus ſtatis temporibus occaſus & ortus obtingant, & præterea Lunæ variæ phaſes, novilunium, plenilunium &c. Et ſic per utraque hæc gloria divina reverâ probatur, quod tam ſapienter omnia ordinaverit, ut ſtatis temporibus hæc illis contingant. Neque aliquid gloriæ Dei detrahitur, ſi dicatur, Soli occaſum ſuum convenire per motum apparentem; illa enim ex eo elucet, quod Deus per leges naturæ Occaſum Solis fixum & certum conſtituerit. 4. Concluſio argumenti ex Matth. V. petiti nobis non obeſt. Agnoſco equidem, Chriſtum hîc beneficium utrobique reale Dei Patris prædicare, quod ſi latè loquendo velis ipſum exortum Solis & pluviæ caſum vocare, ſive ſtrictè illuminationem tantùm & calefactionem Terræ à Sole exorto, atque irrigationem ejuſdem Terræ à pluviæ caſu, non diſceptabo, cùm de nomine potiùs quàm de re controverſia eſſet futura. Sed inde non ſequitur, quod eodem planè modo & Solis ortus & pluviæ lapſus debeant à providentiâ divinâ procurari.

DCCCCVIII. Contra reſponſionem primam objicit B. pag. 190. *Hanc reſponſionem non tangere nucleum argumenti ſui, ſe enim à toto complexu ſententiæ argumentatum.*

Reſp. Etſi hæc prima reſponſio non præcisè tangeret argumentum, prout ab ipſo urgetur, ſufficeret, quod ſpectaret alios, qui verba Oriri & Occi-

Occidere urgent. At mox videbimus, vel maximè tangere nucleum argumenti hujus antagoniſtæ.

DCCCCIX. Idem p. 191. contra ſecundam reſponſionem inſtat, ac meis verbis, *Soli occaſus obtingit non aliter, ac ſi cognitione præditus omnia ad illum ſubeundum diſpoſuiſſet*, hunc affingit ſenſum: *Sol revera quieſcens videtur nobis occidere, quaſi cognitione præditus diſpoſuiſſet Terram circumvolvi, ut ita habitantibus in Terra videretur occaſum ſubire*, quam expoſitionem tropi dicit *fore duriſſimam & planè coactam.*

Reſp. Qui ſibi imperium ſumit in alienas cogitationes, multum fallatur oportet. Quis enim dixit tibi, hîc τὸ occidere mihi idem eſſe quod videri occidere? Unde vero noſti, quod hæc verba mea, *ac ſi cognitione præditus omnia ad eum ſubeundum diſpoſuiſſet*, æquivaleant illis, *ac ſi diſpoſuiſſet Terram circumvolvi*. In utroque miſerè erras. Atque dum in priori laberis, facto oſtendis, quantum prima mea reſponſio ad rem faciat. *Occidere* motum inferre nego, ſed tantùm occultationem ſub Horizonte, idque ſuperiùs oſtendi. Ergo etiamſi Sol occidat & oriatur, inde eum moveri non evincitur. Poſterior verborum interpretatio non procedit, niſi apud eum, qui à genere ad ſpeciem argumentari affirmatè ſibi licere exiſtimaverit. His etiam ſatisfactum H. qui pag. 96. art. 16. mihi tribuit, *me Ortum Solis apparentem tantùm intelligere.*

DCCCCX. Pergit B. p. 192. me non ignoraſſe hanc meæ comparationis abſurditatem, ac proinde confugiſſe ad aliam expoſitionem his verbis: *Nec ſi hic convenientia non ſit agentis ex cognitione & Solis in reali actione, nullum propterea comparationis fundamentum erit. Tertium enim convenientiæ erit in certitudine eventus &c.*

Reſp. Somnia hæc ſunt mera & inanes ludificationes, quibus neſcio quid ſibi hîc fingit: nec dubito, quin lectori attento pateat, non novam his verbis adductam eſſe expoſitionem dicti Chriſti, ſed explicationem & deductionem prioris reſponſionis.

DCCCCXI. Addit B. p. 192. *Ita quæ ex conſilio agenti certo eveniunt, vel reſpectum habent ad actionem, quæ fit ex conſilio & talem effectum certo habet, vel non; ſi non, ergo non poſſunt dici ex conſilio orta &c. ſin vero reſpectum habent ad actionem conſultaneam, tum etiam Soli aliqua actio ordinata eſt tribuenda, ſecundùm quam ex conſilio agenti comparatur. Simpliciter enim dicere, ita etiam Soli certo obvenit Occaſus, nihil dicit relativum ad cognitionem vel actiones ex cognitione, præſertim cùm per τὸ obvenire nihil reale, ſed tantùm apparens quid in Sole ſecundùm Wittichium deſignetur &c.*

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Ego vero nego & pernego iſtam ſequelam: ſi illa, quæ ex conſilio certo eveniunt, reſpectum habent ad actionem à conſilio imperatam: ergo Soli aliqua *actio ordinata* eſt tribuenda; niſi eodem jure velis colligere, Soli actionem aliquam à conſilio imperatam tribuendam. Sufficiens enim fundamentum iſtius comparationis eſt in certitudine eventus. Falſiſſimum verò eſt, quòd certitudo eventus occaſus Solis nihil dicat relativum ad cognitionem vel actionem ex cognitione, cujus reſpectu poſſit iſte eventus ex cognitione dici proficiſci. 2. Per τὸ *obvenire* nihil reale, ſed tantùm apparens mihi deſignari, inanis eſt ſuſpicio antagoniſtæ, cùm occultatio Solis ſub Horizonte, etiamſi non per actionem aliquam Solis ipſi conveniat, nihilominus reverâ ipſi competat; & verum ſit, eum de nocte ſupra Horizontem nec eſſe nec poſſe conſpici. Unde iterum cadit abſurda comparatio, quam ipſe mihi affingit.

DCCCCXII. Inſtat B. p. 193. *Illa ſimilitudinis applicatio in ſola certitudine occaſus tollit emphaſin verborum propheticorum, quorum ſcopus eſt, non ſimpliciter docere, quod Sol certò occidit; id enim vel pueris & maximè Barbaris notum eſt, ſed in ejus occaſu notare admirabilem, conſtantiſſimum & ordinatiſſimum motum talem, qualis in agentibus ex cognitione reperiri ſolet.*

Reſp. Hæc ipſa eſt quæſtio, utrum ſcopus ſit Prophetæ, in Solis occaſu notare *motum* talem, qualis in agentibus ex cognitione reperiri ſolet: id probandum, non pro auctoritate dictandum. Nihil verò video in circumſtantiis textûs, ex quo hic ſcopus Prophetæ inferri poſſit. 2. Nec dico ſimpliciter docere velle prophetam, quod Sol certo occidit, ſed quod occaſum ſuum, ſtatis temporibus & locis, diverſis anni partibus obtineat; quod ſi vero pueris & barbaris notum ſit, Soli certo obvenire occaſum, an ideo dicendum, illud non docere Spiritum Sanctum? annon enim argumenta ad ſapientiam & providentiam divinam demonſtrandam, ex rebus maximè obviis & pueris barbariſque notis, deſumere ſæpius ſolet?

DCCCCXII. Contra tertiam reſponſionem inſtat B. p. 194. *De ſcopo generali Pſalmiſtæ non eſſe quæſtionem, ſed de mediis quibus probat ſapientiam divinam, an deſumta ſint à rebus veris, an tantùm ab apparentibus? prius à ſe aſſeri & reſpectu luminarium Cœleſtium probari eo medio, quòd cum in priori argumentum Propheta deſumtum ſit à motu reali, non niſi ineptè dici poſſit, in poſteriori argumentum à merè apparenti elici, cum nulla ſit diverſitatis nota.* H. p. 94. objicit, *non tantùm generalem Dei ſapientiam hic prædicari, ſed etiam ſpecialem &c.*

Reſp. Eâdem chordâ oberrat Adverſarius, præſupponens, quod ortus & occaſus Soli ex meâ ſententiâ non reverâ, ſed tantùm apparenter conveniat, quod quidem nullibi dictum. Aliud autem eſt, motum Soli apparenter competere, aliud Occaſum, cùm Occaſus ſine motu proprio ſideri ex ſententiâ Aſtronomorum adſcribi poſſit. Non ergo quæſtio eſt, utrum media illa à rebus veris deſumta ſint, quod non nego, cùm verè Soli occaſum certis & ſtatis temporibus certiſque locis competere concedam, ſed *utrum medium illud ſit motus Solis*, quem ex verbo *Occaſus* elici poſſe pernego. Quod autem ſpecialem Dei ſapientiam agnoſcere liceat, ex Solis & Lunæ ſtato certoque ortu & occaſu, non nego, ſed libenter confiteor.

At dicit, *argumentum prius deſumtum eſt à motu reali Lunæ, ergo & poſterius à motu reali Solis erit.*

Reſp. Nec prius nec poſterius argumentum ad motum iſtorum corporum cœleſtium reſpicit, ſed tantùm ad fixum eorum ordinem, quem Deus iis præfixit, ut ſtatis temporibus & locis oriantur & occidant, qui Ortus & Occaſus ipſis reverâ obtingunt. Ex quo denuo obſervato cadunt reliqua, quæ contra meam reſponſionem, quam ſibi fingit ad ſuum argumentum, reponit, quæ Lectori ſi lubeat videre licebit pag. 194. in fine. *Nec evadet Wittichius, excipiendo &c.*

DCCCCXIV. Videamus nunc Inſtantias H. ſi quæ differant ab iis, quæ hactenus fuerunt examinatæ. Exiſtimat ille primùm p. 91. *Soli competere cognitionem naturalem, eſſeque inter Solem & Intelligentem convenientiam in hoc tertio, nempe in vera rerum cognitione*: Ac videtur eſſe in illorum ſententiâ, qui omnibus rebus cognitionem quandam tribuunt, quæ potiùs exploſione quàm refutatione digna, cùm ſic magno periculo in Theologiâ & Philoſophia res materiales cum immaterialibus confundat: ac quid illa ſit naturalis Solis cognitio à rationali contradiſtincta nec intelligi nec explicari poſſit. Vide hîc Clariſſ. Claubergium Defenſ. Carteſianæ p. 585. & ſeqq. ubi cognitio illa naturalis fusè refutatur.

DCCCCXV. Ait porro p. 92. *Violatam hìc ſimplicem Scripturæ phraſin & interpretationem & ſacræ hujus comparationis contractam & violentam eſſe explicationem &c.*

Reſp. Verba ſunt, præterea nihil, & mera principii petitio; quod ſi violenta, ſi contracta hæc comparationis explicatio, ſi pugnans eſt cum ſimplice Scripturæ phraſi, ratione aliquâ ex textu allatâ id demonſtrandum fuiſſet, non ſimpliciter aſſerendum. Ego vero è contrario oſtendi,

ſco-

Digitized by Google

ſcopum Pſalmiſtæ non requirere amplius, quam quod Soli occaſus certo contingat ſtatis temporibus & locis, non aliter ac ſi cognitione præditus omnia ad iſtum obſervandum direxiſſet.

DCCCCXVI. Pergit H. p. 93. & inquit, *me neceſſarias & formales corporis naturales operationes contingentes feciſſe, imò ſic omnino ſuſtuliſſe*; rationes ejus ſunt, 1. *ſi Soli occaſus obtingit tantùm, ſequitur quod Sol occaſum ſuum neſciat.* 2. *ſi Soli occaſus obtingit, ſequitur, Solis occaſum non eſſe Solis occaſum. Ergo Sol cognoſcit τὸ non ſuum.* pag. 94. *repetit illud de Solis neceſſario, non contingente occaſu, deque naturali Solis notitiâ* art. 14.

Reſp. 1. Pudere te debebat talium illationum! Quid enim? an contingens eſt ex meâ ſententiâ Solis occaſus, quem ei *a.* certò *b.* ſtatis temporibus *c.* per leges naturæ dico convenire? 2. abſurdum verò non eſt, quod Sol propriè loquendo ſuum occaſum neſciat, etiam ſi impropriè rectè & verè dicatur Occaſum ſuum nôſſe: imo abſurda eſt tua illa, neſcio quæ, naturalis cognitio, quam Soli proprie adſcribis. 3. quæ vero iſta connexio? ſi Soli occaſus obtingit, ergo Solis occaſus non eſt occaſus Solis; an licebit inferre? ſi Chriſto Paſſio obtingit; ergo Chriſti paſſio non erit paſſio Chriſti. Apage cum tali illatione! Profectò hæ tuæ ratiocinationes non erant tanti, ut putares, te juſtam habuiſſe materiam mecum expoſtulandi, *quod rationibus meis dederim Deum &c.* quæ à me ſunt plane aliena.

DCCCCXVII. Quæſtiones vero, quas H. p. 94. art. 15. proponit cujuſcunque ſententiæ Philoſophis & Mathematicis, tales ſunt ut ad eas facile ex antecedentibus haberi reſponſiones poſſint. Neque ſane operæ pretium eſt earum repetitione & ad ſingulas reſponſione lectorem morari. Videat Adverſarius antecedentia, eaque ubi attente conſideraverit ſatisfactum ſibi ipſe credo autumabit.

DCCCCXVIII. Objicit idem p. 96. contra id quod dixi, *Soli occaſum ſuum convenire per motum apparentem, neque tamen per id gloriæ Dei quicquam detrahi*, inde ſequi, 1. *me ſtatuere, quod ſancti Dei viri Deum laudaverint pro Ortu Lunæ reali, Solis apparente.* 2. *Stante meâ reſponſione ſequi, ſanctos Dei viros opera Dei erroneè percepta falſo coram Deo jactitaſſe, falſo Solem & Lunam ſuos noſcere Ortus & Occaſus confeſſos eſſe, ſicque (quod mirandum) gloriam quam Deo reddebant vanam & nullam fuiſſe, devotionemque Judæorum, quâ Solem ſuum noſcere occaſum Deo confitebantur, eumque adeo laudabant, purum putum errorem eſſe. Ratio, quia ſecundùm meam inverſionem*, inquit, *gloria Dei ex eo elucet, quod Deus per leges naturæ Solem fixum & certum conſtituerit.*

 Reſp.

Reſp. Ad primum. Diſtinguere oportuiſſet adverſarium inter motum Solis apparentem & occaſum apparentem. Occaſum non apparentem, ſed verum Soli competere vereque aſſignatum à Pſalmiſtâ exiſtimo, ſed an per motum Solis realem an apparentem conveniat, ſignificari ab eo nego; ego vero ex ratione, motui ejus apparenti adſcribi debere, didici. Ad ſecundum, me, quod jubet, mirari maximopere, quo artificio tot ſequelas ex meis verbis potuerit exprimere. Occultum enim valde eſſe oportet, & à communi uſu remotam. Quis enim hæc connectat: *Gloria Dei ex eo elucet, quod Deus per leges naturæ eum* (nempe Solis occaſum, non Solem ut ipſe autumat) *fixum & certum conſtituerit*: ergo Sancti Dei Viri opera Dei erronea perceperunt &c. Scopæ diſſolutæ! Verùm dum cogito, video ex hoc ſolo fonte omnes has ſequelas promanaſſe, quod exiſtimet me ſentire, hic falſi quid de Sole Pſaltem enunciaſſe vel docuiſſe, quam meam ſententiam nullibi poterit monſtrare. Solem vere noſcere Occaſum ſuum cum Pſalmiſta aſſero, ſed illud *noſcere* propriè intelligi debere nego. Quis ergo ſit ſenſus proprius diſquiritur? at quem ego ſtatuam ſuperius ſat manifeſtum factum.

DCCCCXIX. Per hæc etiam ſufficienter reſponſum putem ad ea, quæ M. p. 179. & ſeqq. producit pro loco Pſalm. CIV. Nam 1. Minor ipſius argumenti negatur unà cum probatione ejus, cùm oſtenſum ſit, Solem poſſe dici vere noſſe, ſed impropriè, occaſum ſuum, etiamſi nullus motus ei competat, neque comparatio aliqua in ſacris literis eſt ulterius extendenda, quàm circumſtantiæ & ſcopus textûs requirunt: aliàs *ἰδίᾳ ἐπιλύσει* non menti Spiritus Sancti, de qua hic diſquirimus, accepta ferenda. 2. quia confitetur antagoniſta, ſe non poſſe aſſequi, quomodo ex hypotheſi Carteſii & Copernici Soli competat Occaſus, (quod tam facile eſt, & nemo, qui vel obiter Aſtronomiam guſtavit, ignorat;) quis non judicabit melius ipſum facturum fuiſſe, ſi ab argumento hoc ex parte Aſtronomico tractando manum abſtinuiſſet? Quod ſi illud ergo diſcere cupiat, adeat Gaſſendi Inſtitut. Aſtronom. vel Blaeu de uſu Globorum, vel etiam Kepleri Epit. Aſtronom. Copernicanæ, & clare id ab iis demõſtrari percipiet. Videat etiam ea quę ex Keplero ſuprà art. 867. citavi. 3. Principii petitio eſt ſuprà refutata, quando in ſecundo ſuo argumento pro confeſſo aſſumit, quod motus Solis ſit argumentum, quo à Pſalmiſta gloria Dei celebratur. Si cui libet M. pag. 179. & ſeqq. cum noſtris conferre, ſatisfactum ei abunde percipiet.

DCCCCXX. Inquit pag. 206. *Circa exortum Solis actio providentiæ divinæ ſeſe habet ut circa pluviam. Atqui pluere facit activâ influentiâ*

Digitized by Google

tiâ in pluviam : Ergo & eadem Solem oriri facit.

Reſp. Chriſti intentio eſt docere, & Solis exortum & pluviæ caſum providentiæ divinæ eſſe accepta ferenda, & in eo eſt tertium convenientiæ, non verò utrumque eodem modo ab eâdem pendere, vel æquè Solis exortum fieri per activam influentiam in Solem ac pluviæ caſus per activam influentiam in aquæ guttas, niſi eodem modo velis inferre, etiam corpus Solis Terram attingere, ut guttæ pluviæ faciunt &c.

DCCCCXXI. Objicit hic etiam H. p. 99. *Hoc effatum Chriſti à me diſſectum, alterum ad vulgi errorem, alterum ad veritatem & rem ipſam eſſe dictum &c.* Ad quæ lectoris gratiâ obſervo, ab Adverſario mihi tribui reſponſionem circa hunc locum, qualis in meâ Diſſertatione non apparet, ac proinde ab ipſo inaniter verba profundi.

DCCCCCXXII. Ad veram autem meam reſponſionem excipit, *probandum mihi fuiſſe, Chriſtum iu ſuis iſtis verbis aliter de Solis ortu, aliter de pluviæ caſu loqui.*

Reſp. At tibi tanquam opponenti oſtendendum erat, ex verbis Chriſti ſequi, in omnibus, inter pluviæ caſum & exortum Solis eſſe paritatem, cùm ex verbis Chriſti non aliud poſſit colligi, quàm & Solis ortum & pluviæ caſum providentiæ divinæ accepta ferenda.

DCCCCXXIII. Reliqua quæ H. habet à pag. 101. ad 104. quòd ad ſummam rei nihil faciant, & reſpiciant tantùm verba *Diſſertationum*, quæ hic ſunt immutata, clariorque reſponſio ad hunc locum data ſit, non eſt operæ pretium examinare. Tota enim res eò redit; an ex eo, quòd Chriſtus dicit, *Deum facere ut Sol exoriatur ſuper juſtos & injuſtos*, ſequatur, iſtum Solis ortum ejuſdem motui reali eſſe acceptum ferendum, quod ego nego, donec ab opponentibus, quibus partes probandi incumbunt, clarius fuerit probatum.

DCCCCXXIV. Tandem quod habet in contrarium M. pag, 184. eſt mera ignoratio Elenchi. Non enim quæritur, an Soli conveniat Ortus realis, ſed an ille ortus realis ei competat ex motu proprio, an ex motu Terræ? Neutrum determinat Scriptura, poſterius docet ratio.

Digitized by Google

CAPUT XLIX.

Adducitur locus Eccleſ. I. 4, 5. & cum ſententiâ noſtrâ conciliatur.

DCCCCXXV. Sequitur Eccleſ. I. 4, 5. cujus hæc ſunt verba: *Generatio una abit, & altera advenit, quamvis Terra in ſeculum permaneat. Oritur Sol & occidit Sol, iterumque ad locum ſuum adſpirat ubi oriatur.* Hic Fullerus ſeſe inveniſſe putat, non quod pueri in fabâ, ſed quia ejus verba nonniſi Rhetoricationes continent, ea adſcribere nolui; ex reſponſione verò noſtrâ patebit, triumphi hic nullam ei fuiſſe cauſam decantandi. B. etiam D. pag. 29. quædam argumenta ex hoc loco ſibi videtur exſculpere: *Hæc argumenta, Eccleſiaſtæ puta, procul dubio inferunt realem rerum mutationem, variationem, & ad priſtinum ſtatum reverſionem; ac proinde realem Solis ortum & occaſum, & ad locum ortus reverſionem, ac per conſequens, non ex mera apparentia; nam ineptum eſſet tale argumentum, Sol movetur oritur & occidit apparenter, ſecundùm hominum opinionem, licet non revera, ergo datur rerum realis viciſſitudo: at tum eſt argumentum optimum, cùm verba de motu, ortu & occaſu Solis reali intelliguntur. Præterea, cùm alia argumenta, primum, tertium & quartum deſumantur à rebus in quibus realis & non merè apparens viciſſitudo ineſt, abſonum erit ſtatuere, ſecundum deſumtum eſſe à ſubjecto, in quo merè apparens & non realis ineſt viciſſitudo. Denique & in ipſa voce* adſpirare *ineſt vis ad idem probandum. Nam conſtat, ſimilitudinem eſſe deſumtam ab animalibus, & præſertim equis currentibus, & rurſus adſpirantibus ad ſtabula, unde priùs exierant. Hæ ergo ſunt partes comparationis, ut animalia ſeſe habent ad reverſionem ad ſtabula, unde priùs egreſſa ſunt, ita & Sol ſeſe habet ad reverſionem verſus locum ortus, unde priùs prodierat: At ſi negemus realem & ſtatuamus merè apparentem Solis motum, inepta erit planè tota ſimilitudo.*

Reſp. 1. Hic locus benè expenſus nobis itidem non obeſt. Scopus Salomonis eſt, ut ex verſ. 2. apparet, oſtendere, vanitatem eſſe in omnibus rebus, nihilque eſſe conſiſtens firmum & ſtabile. Id probat ex obviis quibuſcunque rebus. Verſu tertio demonſtrat hoc ex vanis hominum conſiliis & laboribus. Dein verſ. 4. ex viciſſitudine generationis humanæ, quod uno generato alter moriatur & occidat, amplificans hoc à contrario, quod Terra huic viciſſitudini non ſit obnoxia. Quemadmodum

dum enim arborum folia, veteribus decidentibus, nova ſuccreſcunt, manente interim eâdem arbore: ita & Terra, quæ eſt quaſi fulcrum omnium ipſi innitentium, eadem manet, mutatis hominibus in eâ viventibus. Quando ergo Terra dicitur, *in ſeculum permanere*, non deſignatur Terræ ſitus vel etiam quies, ſed duratio & perpetuitas, quod generationibus mutatis illa non ita ſit mutationi obnoxia, quod etſi animantibus & hominibus viciſſitudines generationis contingant, illa tamen non intereat, aliaque generetur, ſed eadem perſiſtat. Verſu 5. id porro exemplo ortus & occaſus Solis declarat. Sed accommodat hic ſeſe manifeſtè ad ea, quæ ſenſibus obvia ſunt, eaque exprimit locutionibus & formulis receptis, etiamſi ex præjudiciis habeant ortum. Conſtat id primo ex eo, quia hic liber eſt populariter ſcriptus ἐξωτερικὸς, teſte Fayo in Eccleſiaſten. Secundo ex ipſis rebus, quibus veritatem probat, quæ ſunt obviæ & communes, quemadmodum idem Fayus ad hunc verſum expreſsè docet. *Hæc à Salomone dicuntur ad vulgi opinionem & ſenſum paucis verbis.* Tertio ex verbis oriri & occidere, quæ ex præjudicio ortum habere declaravimus ſuperius. *Unde & Hebræi ponunt Solis ingreſſum pro occaſu, quia ſub Terras labi & condi videtur, Adventum pro ortu*, verba ſunt Fayi ad verſum quartum. Itaque hæc locutio vulgaris, *oritur Sol & occidit*, qua utitur Salomon, nihil obeſt veritati noſtræ ſententiæ. 2. Argumentum Eccleſiaſtæ tale eſt, *Realis eſt viciſſitudo in eo, quòd Sol nunc ſupra Terram conſpiciatur per ortum, nunc ſub illa recondatur per occaſum*: atque ita ſitum ſuum multis modis variet, (ſive autem hoc fieret propter Terræ ſive propter Cœli motum nihil hic referebat,) *Ergo datur rerum viciſſitudo.* 3. Eccleſiaſtæ ſufficiebat, ſi probaret viciſſitudinem exemplis quibuſdam obviis: quod inter alia fecit exemplo Solis ortus & occaſus, neque opus erat ut accuratè determinaret, cuinam ſubjecto ineſſet iſta viciſſitudo per motum realem, num Terræ, an vero Soli? Interim nihil vetabat, quin hanc viciſſitudinem locutione vulgari exprimeret, quæ ut à vulgo uſurpatur eam motui reali Solis adſcribit. 4. Ipſa vox *adſpirare* ſatis oſtendit vulgarem locutionem hic adhiberi præjudicio innitentem, ex quâ ut non licet inferre, Soli competere anhelationem, & defatigationem, ita nec ei competere motum. Comparatio ergo in eo conſiſtit, quòd quemadmodum equi adſpirent ad ſtabula, unde fuerunt egreſſi, ita Sol tam celeriter ſitum variet, ut ſimilis ſit ei, atque ut talis appareat, qui adeo celeriter movetur, ut quaſi contentione quâdam ad illum locum conetur redire, unde fuerat viſus egredi.

DCCCCXXVI. Contra primam reſponſionem Inſt, 1. B. p. 198.

Non

Non dicere Fayum, librum illum ita exotericè ſcriptum, ut de naturalibus agat ſecundùm apparentiam, non exactam rei veritatem, verùm ita loquitur &c.

Reſp. Argumentum meum primum in formâ tale eſt: In libro ἐξωτερικῷ non poſſunt non occurrere locutiones vulgares ex præjudiciis ortum habentes. At hic liber eſt ἐξωτερικὸς, teſte Fayo. Non hic Majori auctoritatem Fayi adjeceram, ſed Minori. Major vero ſuprà probata eſt. Quod enim non tam limatè & ſubtiliter eſt ſcriptum, quàm ea quæ Philoſophi aculeatis ſuis ſententiis exprimere ſolent, in eo reperiri locutiones ex præjudiciis ortum habentes, ſed receptas communiter, non eſt mirum. Adde, quod cum Fayus ita ἐξωτερικὸν hunc librum dicat, ut in eo ſint dicta ad vulgi opinionem, etiam apparet, Majorem meam ejus auctoritate comprobari.

Inſtat M. p. 186. *Non ſequi Fayus hoc dicit, ergo eſt verum.*

Reſp. Non auctoritate Fayi ſimpliciter nitor, ſed adduxi, quatenus Fayus ad rem ipſam provocat, quæ probat, hunc librum eſſe ἐξωτερικόν.

DCCCCXXVII. Inſt. 2. B. p. 198. *Me inſigni afficere Fayum injuria, quòd eum citem ut talem, qui in eadem cum Copernicanis & Carteſianis ſententia docuerit & crediderit, Eccleſiaſten de Ortu & Occaſu Solis agere tantùm ſecundùm apparentiam & opinionem vulgi, cùm ſe totum in ſententiâ contrariâ prodat &c.*

Reſp. Ego Fayum cito, quatenus in genere favet illi ſententiæ, *Scripturam quædam dicere ad vulgi opinionem*, hoc eſt, uti formulis receptis, etiamſi ex opinione erroneâ habeant ortum, & quatenus in citato loco agnoſcit tales locutiones, non vero, quod circa hanc ſpecialem quæſtionem à parte ſtet Copernici vel Carteſii, quod mihi nunquam in mentem venit. Audiamus verba Fayi ad verſum 4, ex quibus uti patebit (quod nunquam negavi) eum Soli motum, Terræ quietem aſſignare; ita manifeſtum erit generali noſtræ ſententiæ patrocinari, pro quâ hic ipſum citavi: *Sol oritur & Occidit, nec unquam uno eodemque loco conſiſtit. Hebræi ponunt SOLIS INGRESSVM pro Occaſu, quia SOL SVB TERRAS LABI ET CONDI VIDETVR, ADVENTVM pro ortu. Notat autem velocem Solis curſum verbo* שאף, *quod ſorbere vel abſorbere ſignificat, quod hauriendi voce Latini denotant, Medium Sol igneus orbem hauſerat, ait Virgilius. Significat etiam Anhelare, ut Solis curſus citiſſimus ita denotetur, quod tanquam gigas NB exultat ad currendum viam ſuam, à ſummo Cœlo egrediens uſque ad ſuum Cœlum anhelanti ſimilis Pſalm. XIX. quod etiam Poëtæ dicunt;* qui

Digitized by Google

ſolus circumvolvi ac gyrari cernitur: cùm cæteri Planetæ in longum ferri putentur. Tanta autem eſt celeritas motûs ſolaris, ut una hora Sol conficiat 2884 *milliaria, triplicemque habet motum, diurnum, quo* 24 *horarum tempore nos & Antipodas viſit ſingulis diebus motu primi mobilis: alterum ſibi proprium, quo conficit fere ſingulis diebus gradum unum. Tertium quo ſpatio* 100 *annorum gradum unum peragit. Ex quibus motibus dierum, noctium, æquinoctiorum, ſolſtitiorum varietates exſurgunt. Hæc autem à Salomone dicuntur* AD VULGI OPINIONEM ET SENSUM, *paucis verbis. Anhelat ad locum ſuum ex quo ortus eſt per ſua veſtigia per Meridiem ad Occaſum & Septentrionem decurrens. Neque favent hujuſmodi tropi illorum ſententiæ, qui Solem animatum eſſe dixerunt. Nam rebus anima expertibus ſæpiſſimè attribuuntur ea, quæ conveniunt animantibus, ſed hujuſmodi verbis ſignificatur Solis multiplex vertigo, non ab anima interna (quam non habet) ſed à forma ſibi à Deo datæ proprietate profecta. Quod enim omnia audire, videre, luſtrare dicitur, id facit non tanquam Dominus, ſed tanquam famulus. Unde nomen habet* שמש, *quod famulari ſignificat.* Nunc verò ſic argumentor: ſi eæ locutiones ſunt vulgares, in quibus Soli tribuuntur ea, quæ conveniunt animantibus, propterea quia ex ratione colligitur, Solem non eſſe animatum; ergo etiam eæ locutiones erunt vulgares, in quibus Soli tribuuntur ea, quæ conveniunt rebus, quæ è planitie in altum aſſurgunt, propterea quia ex ratione colligitur, Soli non competere, ut ex planitie in altum aſſurgat: Sed verum eſt prius ex mente Fayi; aliam enim rationem afferre non poteſt, quare hæc dicta vulgariter ſint accipienda: Ergo & poſterius.

DCCCCXXVIII. Inſt. 3. M. p. 185. *Accommodet ſe per nos quidem ad ea, quæ ſenſibus ſunt obvia, dummodo veritatem rei non deſerat, & veritatem probandam ſimul ac ſuam auctoritatem infallibilitatemque in diſcrimen non adducat argumentis falſis & in ſpeciem tantùm veris, quod fieret, ſi ex motu apparente tantum verum concluderet.*

Reſp. Concludit Eccleſiaſtes ex variatione ſitus, quæ Soli obtigit, rerum viciſſitudinem, quæ ſitûs variatio vera eſt, verumque argumentum ſuppeditat, neque quicquam eſt in noſtra ſententiâ, quod veritatem, auctoritatem & infallibilitatem Scripturæ in diſcrimen adducat.

DCCCCXXIX. Contra ſecundam reſponſionem inſtat B. p. 201. *Medium probationis rerum viciſſitudinis deſumtum à Sole, non à Terrâ, adeoque à me immutari argumentationem Eccleſiaſtæ, qui argumentetur ab ipſo Ortu & Occaſu Soli ita competentibus, ut propterea Beſtiis anhelantibus ad ſtabula*

bula ſua poßit comparari; quæ ſimilitudo nullo modo locum habere poteſt, ſi Sol in ſeſe quieſcens propter motum Terræ conſpiciatur, modo quaſi oriens modo quaſi occidens &c. Videat Lector, ſi lubet, pleniùs p. 201. & 202. quæ hîc contractè propoſui.

Reſp. 1. Medium probationis Eccleſiaſtæ deſumtum eſſe à Sole non nego, cum expreſsè dicam, illud ab ortu & occaſu Solis petitum, qui ortus & occaſus cum denotet apparitionem & occultationem ſub Horizonte, non Terræ, ſed Soli rectè adſcribitur. Argumentum itaque Eccleſiaſtæ à me nequaquam immutatur. 2. Tota vis argumenti in ſimilitudine iſtâ conſiſtit, quòd Sol comparetur cum beſtiis ad ſtabula ſua anhelantibus, quam non inferre motum Solis realem reſponſione quartâ oſtendi.

DCCCCXXX. Sic M. p. 187. *Argumentum Eccleſiaſtæ non eſt tale, ille enim verbis* Oriri, *Occidere, aſpirare, non argumentatur à paßione quadam, ſive denominatione externa, quæ Soli accidat, qualis eſt τὸ conſpici, ſed utitur verbis actionem aliquam in Sole denotantibus.*

Reſp. Verba iſta, ut ſuperius dictum, prout à vulgo inventa ſunt & actionem ſignificant, & paſſionem, cum ſint verba non tranſeuntia, ſed immanentia. At à Spiritu Sancto uſurpantur tantum ad paſſionem denotandam, actione & agente non determinatis.

DCCCCXXXI. Inſt. B. p. 203. contra reſponſionem tertiam, *Eccleſiaſten in exemplo Solis tali uti phraſeologia, quæ per ſe notet motum Solis, ita ut non neceſſe ſit hîc diſputare, an opus fuerit Eccleſiaſtæ ad ſcopum ſuum attingendum determinare, cui ſubjecto propriè inſit motus, Soline an vero Terræ, ſufficere ut oſtendatur, eum uti tali modo loquendi, qui per ſe cogitationes legentium & audientium ducit ad conceptum motûs ſolaris, ita ut vix facilior & commodior occurreret ei, qui expreſsè intenderet docere motum ſolarem: ſaltem in lingua Hebræa phraſeologiam aptiorem non dari certum eſt &c.*

Reſp. 1. Si ex ſolâ phraſeologiâ ſit argumentandum non attentis circumſtantiis textûs & ſcopo, ergo Soli erit notitia adſcribenda, anhelatio & defatigatio, ingreſſus ſub terras, vita & quæ non alia, quia ſecundum hanc inſtantiam ſufficit oſtendere; *Scripturam uti tali modo loquendi, qui per ſe cogitationes legentiū & audientium ducit ad conceptum notitiæ, anhelationis, defatigationis, ſolaris ingreſſus ſub Terras &c. ita ut vix facilior occurreret ei qui expreſsè intenderet docere notitiam, vitam & defatigationem ſolarem* &c. 2. Itaque omninò neceſſe eſt diſputare, an opus fuerit Eccleſiaſten ad ſcopum ſuum attingendum determinare, cuinam ſubjecto propriè inſit motus. Si enim ad ſcopum nihil attineat, cenſendumne

dumne erit, fruſtra & extra ſcopum aliquid determinâſſe?

DCCCCXXXII. Inſt. ad quartam reſponſionem B. p. 204. *Si vox adſpirare ſpectat ad vulgarem locutionem explicandam, ergo ratio explicationis eſt quærenda in apta comparatione partium ſimilitudinis, cumque ſit argumentum à ſimilibus, quærenda eſt comparatio in qualitate, quæ hîc non alia poteſt dari quàm celeritas,* & *talis eſt juſta & totalis diſpoſitio argumenti: Qualis eſt celeritas equi adſpirantis ad ſtabulum, talis eſt celeritas Solis tendentis in occaſum & locum ortus.*

Reſp. Apta comparatio partium ſimilitudinis conſiſtit in celeritate variationis ſitûs, & ſic erit hæc juſta diſpoſitio; Qualis eſt celeritas equi adſpirantis ad ſtabulum, talis eſt celeritas variationis ſitus in corpore ſolari, qua fit, ut jam in ortu, poſtea verſus occaſum, ac tandem iterum in loco Ortus conſpiciatur.

M. ad tertiam & quartam reſponſionem nihil habet, p. 187, 184. quod non vel hîc, vel in antecedentibus refutatum inveniat lector.

DCCCCXXXIII. H. p. 10. *Si Eccleſiaſtes de pluribus corporibus naturalibus propriè realiter & ſecundùm eorum naturæ veritatem hîc loci agit, ſequitur illum de altero quoque, putà de Sole, ejuſque ab Ortu in Occaſum motu propriè & realiter & ſecundùm naturæ ejus veritatem agere; Sed verum eſt Antecedens. Ergò. Ratio Majoris, cùm hîc loci Rex & Phyſicus poſt Adamum ſapientiſſimus de multis naturalibus in ſpecie verè & ſecundum eorum naturam agat, ratio nulla dari poteſt, cur de altero ſolo apparenter tantum loquatur.*

Reſp. Senſus hujus argumenti, ſi ad noſtram ſententiam debeat applicari, talis debet eſſe: Si Eccleſiaſtes de pluribus corporibus naturalibus adhibet formulas non innitentes præjudiciis & erroneis opinionibus, ergo quando agit de Sole etiam tales formulas eum adhibere eſt cenſendum. Ad quod reſpondeo negando connexionem Majoris, cujus negationis hæc eſt ratio, quod Eccleſiaſtes & omnes ſcriptores ſacri utantur formulis receptis, quatenus talibus, ſive opinionibus erroneis innitantur, ſive non. Si ergo loquendum de aliquibus rebus, circa quas formulæ receptæ ex nullo errore ortum habent, fit, ut quia tales receptæ ſunt eas adhibeat, ſin contrà, ſimiliter. Atque hæc ratio diverſitatis ſatis eſt evidens. 2. Argumentum inverto; ſi in Eccleſiaſte reperiuntur formulæ non nudam veritatem, ſed ut præjudiciis infantiæ eſt obvoluta exprimentes, ergo niſi diverſitatis ratio oſtendatur, etiam cenſendum eſt, formulas *properare, circumire,* de Sole adhibitas pro talibus eſſe cenſendas. At reperiuntur: Phraſis enim *adſpirare ad locum implicat præjudicium, quo Soli tribuitur vita.*

DCCCCXXXIV. Pergit H. p. 11. *Qualiter hic Spiritus Sanctus de venti circuitione loquitur, taliter etiam de Solis gyratione agit. At de venti circuitione phyſice ſecundum eſſentiam & naturam hic loquitur. Ergo etiam de Solis gyratione phyſice & ſecundum ejus eſſentiam & naturam hic agit.*

Reſp. In hoc argumento præſupponitur, Soli competere gyrationem circa Terram, quæ eſt ipſa quæſtio; ſi vero ſic argumentum transformetur: Qualiter accipiuntur voces *circumire, properare, reverti*, quando de vento uſurpantur, taliter etiam voces *adſpirare ad locum ſuum, properare, circumire* de Sole uſurpatæ ſunt intelligendæ. At illæ denotant præter ſitus variationem etiam realem venti motum; Ergo: reſpondeo Majorem tum demum veram fore, ſi eodem modo ex circumſtantiis textûs appareat, Spiritum Sanctum per phraſes dictas de Sole adhibitas docere motum realem, ac ſupponi debet, cum motum realem venti per illas docere velle ex circumſtantiis textûs patere. Atqui hoc hactenus non eſt probatum, ſed è contrario oſtenſum, motûs realis in Sole ſignificationem ad ſcopum Spirirus Sancti in locis adductis non requiri.

DCCCCXXXV. Tandem inquit H. p. 14. *Qualiter de fluminum origine & regreſſione hic loci dicitur, taliter etiam de Solis motu. At naturaliter & proprie de fluminum origine & reflexu hic dicitur. Ergo naturaliter etiam & proprie de Solis motu. Major tamdiu ſtabit, donec ratio data fuerit inconſequentiæ, quæ difficulter dabitur.*

Reſp. Si argumentum fuerit conformatum ad eum modum quo præcedens, prior reſponſio ei poterit facilè applicari, qua Major propoſitio negatur ratione inconſequentiæ adducta.

CAPUT L.

Geneſ. I. verſ. 14. conciliatur cum dictâ ſententiâ.

DCCCCXXXXVI. Geneſ. I. verſ. 14. verba ſic habent: *Poſt dixit Deus, ſunto luminaria in expanſo Cœli ad diſtinctionem faciendam inter diem & noctem, ut ſint in ſigna cùm tempeſtatibus tum diebus & annis*, ex hoc loco H. p. 275. tale format argumentum. *Cujus eſt menſurare & diſtinguere tempora, illius etiam eſt moveri. At Solis cum Lunâ eſt menſurare & diſtinguere tempora. Ergo Solis cum Luna etiam eſt moveri. Majoris connexio* (inquit) *obviam cuivis eſt, quia temporum menſuratio atque diſtinctio fit*

per

per motum. Minorem probat pag. 278. ex loco adducto.

Reſp. Ipſe vidit, quid regeri ad hoc argumentum poſſit, nimirum, menſurare & diſtinguere tempora formaliter eſſe opus intellectus, objectivè vero eſſe Solem, quatenus ejus ſitus regularis variatio reſpectu variarum Telluris partium præbet nobis occaſionem diſtinguendi & menſurandi tempora. Itaque ſi Major eo ſenſu accipiatur, ut accipi debet, falſa eſt. Neque video ullam ab ipſo hujus Majoris probationem allatam, præterquam quod dicit, temporum menſurationem atque diſtinctionem fieri per motum, cujus univerſitatem Propoſitionis evertit per inſtantiam, quam ipſe ſibi objecit: *Solarium horas diſtinguere & menſurare, neque tamen moveri*; unde infero, ergo non omnis temporum menſuratio fit per motum ejus, quod menſurat atque diſtinguit.

DCCCCXXXVII. Inquit p. 276. *Simile hoc valde eſt diſsimile. Applicabo. Quemadmodum ſolarium menſurat horas, ita Sol: Inepte, aliene. Regeſtionem retorqueo. Solarium ſive horarum ſciatericum diſtinguere tempora proprie non poſſe, ſed homo per duo illa ſibi oppoſita media Solem & Tabulam iſtud præſtat. Solarium pure objective ſe habet. Potius quippe de Sole menſuratio iſta diceretur: utpote, qui in reſpectu ad Tabulam cauſa efficiens quodammodo eſt, quando radios in objectam Tabulam ejuſdemque gnomonem ſpargit, ut ita umbram præbendo temporis horas nobis diſtinguat.*

Reſp. Τὸ Menſurare atque diſtinguere tempora conſuetudine loquendi recepta tribuitur ſecundum adverſarium Soli mobili & ſciaterico immobili, ſecundum Copernicanos Soli immobili & ſciaterico, quod unà cum terra circumgyratur: at ex ſententia utriuſque tam rei immotæ quàm rei mobili. Exinde infertur, non omnem temporum menſurationem fieri per motum ejus, quod menſurat atque diſtinguit, nam ſecundum ipſum non movetur ſciatericum, quod tamen menſurat & diſtinguit tempus. Itaque inſtantia iſta contra adverſarii reſponſionem à ſciaterico deſumta non debet ſpectari tanquam ſimile, ſed tanquam particulare aliquod, Propoſitionem Univerſalem, cui Objectio propoſita innititur, evertens. 2. Sicut ſolarium propriè non poteſt diſtinguere tempora, ita nec Sol, ſed purè objectivè ſe habet. 3. Concedamus, Solem potius debere dici menſurare tempora quam ſciatericum, eo quod radios in objectam tabulam ſpargit; an ergo nullo modo ſciatericum poterit dici menſurare tempora? An vero ad projectionem radiorum ſolarium in tabulam & Terram requiritur Solis motus circa Terram? prius non audebis dicere, poſterius me dicere non permittit ratio.

DCCCCXXXVIII. Hæc ſunt, quæ ſecunda vice volui reponere

Digitized by Google

clamoribus adverſariorum, ex quibus ſatis ſuperque attento & judicioſo lectori patebit, nihil quicquam hactenus adverſarios omnibus ſuis machinis obtinuiſſe, remque manere in integro, ac, cum ex dictis pateat, ſententiis Carteſii nullum eſſe cum ſacris literis diſſidium, nihil aliud reſtare, quàm ut eæ, num veræ, num falſæ ſint, per lumen rationis examinentur, quod ex parte etiam in hoc tractatu eſt factum.

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

Rerum & Verborum, item locorum Scripturæ, ut & Auctorum in hoc tractatu citatorum & explicatorum. Numerus articulos, non paginas refert. Vox alius typis impreſſa inquirenda, ſi cifram nullam appoſitam reperias.

A.

Aben Ezræ 675, 682.

Abſtractio Mathematica quid. 294, 297.

Accommodat ſe vulgo Spiritus Sanctus & quomodo. 454, 647, 653, 758, 810. quomodo id facere debeant concionatores, 684, 693.

Accuratius debet loqui Scriptura de iis, quæ magis ſunt neceſſaria ad ſalutem, quàm de iis, quæ minus 784.

Accurata veritas non opponitur falſitati, ſed veritati non accuratæ 686.

Accurata notitia rerum naturalium non requiritur ad ſcopum Spiritus Sancti in Scripturâ 785.

Acroamaticæ locutiones, 701, 702, 717.

Actio à motu debet ſollicitè diſtingui 262, 267. eſt in agente & ab agente 278 plus ejus requiri ad Motum, quam ad quietem, eſt præjudicium 268 cujus cauſa 272.

Actionis celeritas vulgo concipitur per motum 656, 660.

Actiones quomodo conveniant creaturis 316.

Actio una divina æquivalens multis actionibus creatis eſt fundamentum diſtinguendi decreta divina 338.

Actorum I. 9, 10, 11	240, 241.
VII. 22.	64.
XIV. 10.	823.
XVII. 28.	796.
XXVII. 27.	525.

Adverſariorum conſenſus circa ſententiam de ſtylo Scripturæ vulgari, 454.

Ædificia non corruunt, etſi Terra circa axem ſuum gyret, 438.

Aër apud vulgum æquivalet Nihilo 497, 501, ut & apud Danæum 84.

Æquino-

Digitized by Google

Æquinoctia per hypotheſin Copernicanam æquè ſalvantur ac per Ptolemaicam. 235.

Æthyopes ad extremitates Ortus & Occaſus collocati ab Homero, 475.

Æternitas mundi ex conſtitutione ſpatiorum imaginariorum ante Mundum conditum rectè infertur, 297 non verò ſequitur ex Mundi Indefinitate, 153.

Alæ Deo quomodo tribuantur 656, 659, nec tamen propterea ut avis concipiendus 656, 659. angelis aſſignatæ ad velocitatem actionum denotandam, 656.

Altitudo ſtellarum ſupra ſphæram Saturni immenſa 879.

Alſtedius in Plejade Apoſtolicâ 608, 674.

Ameſius in Antiſynodalibus 612.

Amplitudo *Operum Dei*.

Analyſis Pſalm. xix. à verſu 2. ad 7. 857.

Ἀνατέλλειν quid ſignificet. 867.

Ancilla Theologiæ Philoſophia non eſt. 92.

Angeli non ſunt deſtinati movendis orbibus cœleſtibus 489. Ubi eorum quomodo debeat concipi 300.

Analytici differentia à Dialectico 468.

Animæ ſedes præcipua Cerebrum 555, quod probatur rationibus 555, 560, 563. conſentiunt communitèr Medici 555, & Thelogi non pauci 559, non Cor 555, 756, ſicut errat vulgus 555, quem errorem quidam Theologi retinent, 559.

in Anima quomodo excitetur iracundia 561, melancholia 561, 562.

Annihilato mundo annihilantur omnia loca 155. qualis hoc poſito Idea mundi in mente noſtra futura fuiſſet 141, 144, 145.

Anonymus dicitur aliquis cujus nomen non eſt cognitum 620.

Anthropophaticè Deo non tribuuntur ea, quæ conſentientibus omnibus imperfectionem important 634, 635.

Antipodes multi ex Patribus negarunt ex Scripturâ malè intellectâ 493 nunc nemo negat etſi eadem ſit Scriptura 493, 941.

Antipodes quod aſſereret Virgilius, à Zachariâ Papâ Romano hæreſeos fuit damnatus 493.

Antiquæ & novæ ſunt ſententiæ, quæ per lumen naturale cognoſcuntur 762.

Aphelia Planetarum 383.

Apocalypſeos xix. 4. 160.
xix. 9. 739, 741.

Digitized by Google

Apoſtoli non ſciverunt omnia 811, citârunt verſionem LXX etiam ubi diſcrepantia à textu Hebræo eſt manifeſta 661 — 664.
ſecundùm Apparentiam loqui quid ſit 458, 459.
Apparens locus Aſtri quando vocatur verus, non eſt nuda veritas 460.
in Apparentiâ externâ juſti dicuntur 568, 571, 572, 573, idque cum nullo articulo fidei pugnat, 576.
in Apparitionibus Dei figuræ columbæ, ſenis &c. fuerunt Symbola præſentiæ Dei, non Dei imagines, 648.
Appropinquare regionem quid ſignificet, 525, 526.
Aquas ſupercœleſtes ex Scripturis probare conatus eſt Oleaſter 92.
Aquilo quid Job. xxvi. 7. deſignet 497.
Arbitrii Libertas quid. 2.
Archelaus non fuit Rex ſecundùm Joſephum 586.
Argumenta ad ſapientiam divinam & providentiam demonſtrandam à rebus maximè obviis deſumuntur. 912.
Argumentum ad hominem 621, nititur duabus præmiſſis, non ſolâ falſâ hypotheſi adverſarii 628, differt à deductione ad abſurdum 624, eo utens id non ſemper expreſsè profitetur 630.
Ariſtotelica Motus Definitio 259.
Ariſtoteles Cœlum ſtatuit eſſe Deum 209, rectè adducitur ad probandum craſſum ſtylum æquipollere ſtylo κατ δόξαν 896, 898.

Ariſtoteles	lib. 2. Topic. cap. 1. & 2.	468, 473.
	lib. 2. de Cœlo.	492.
	lib. 2. de Cœlo cap. 3.	209.
	lib. 2. de Cœlo cap. 12.	253.
	1. Eth. ad Eudem. cap. 6.	896.

AriſtarchusSamius non invenit primus ſententiâ deTerræ gyratione 214
Articuli fidei ſtricte ſic dicti quinam 704, 724.
Aſcenſio Chriſti non evertitur per ſententiam, quæ negat, Terram eſſe centrum Mundi 241.
Aſcendere reverâ Sol in gradibus Almucantharah ne quidem ſecundùm Tychonem & Ptolemæum poteſt dici 890.
Aſſenſus adhiberi debet demonſtrationibus, poſtquam ſunt perceptæ 776.
Aſtri locus verus 21, 460. idem qui apparens 460.
Aſtri locus Apparens quando vocatur verus, non eſt nuda veritas 460.
Aſtronomicæ res accurate traditæ excedunt captum hominis idiotæ. 784, 786, 787.

Aſtronomi quamvis errores habeant cognitos, ſermone tamen vulgari debuerunt uti, 21, 427, 460.
apud Aſtronomos quoſvis Solis ſtatio etiam uſurpatur de apparenti. 832.
Aſtronomia non contemplatur diſtantiam in abſtracto 294.
Atlas quare humeris ſuis Cœlum portare dicatur. 492.
Attributa cum ſubjectis connexa æquivalent complexis 473, 537, 538, 541, 680.
Attributa *Spiritualia.*
Aves in aëre quomodo moveantur 336, deferuntur unà cum vortice Terræ 419.
Auguſtinus 728, lib. 2. de Ordine cap. 6. definit Motum 261.
Augeri an poſſit Mundus necne, determinari nequit 186.
ab Auctoritate Carteſii nemo ejus amicorum argumentatur 290, 346.
Auctoritas hominum non debet nobis eſſe tanti, ut propter eam aliquid affirmemus vel negemus in Philoſophicis & Theologicis 101, 826, 843.
de Auctoritate Scripturæ ſententia Auctoris 31, 446, & ſeqq. 161, 700, 708, 719, 745, 928, non læditur per ſententiam de ſtylo Scripturæ vulgari. 415, ei debet ſe ſubjicere omnis intellectus 446, 447, 448, nec cum eâ pugnans quicquam eſt admittendum 448, nec de eâ ulla in hoc tractatu eſt quæſtio 614, 719. maximi fecit Carteſius 447.
Axis Mundi idem eſt cum axe Terræ 223.

B.

Balbutire cum vulgo quo ſenſu Spiritus Sanctus ſit dicendus. 454, 647, 653, 758, 810.
Baptiſmus quid Chriſto & quid Judæis ſignificaverit 684.
Barbarus non eſt dicendus is, qui formula vulgari utitur 797.
Bartholini Controverſiæ Anatomicæ 555.
Baſes Terræ proprie loquendo nullæ competunt 901, ſuper iis fundari dicitur ex præjudicio. 901, 903.
Belgæ Interpretes. 502, 529, 568, 608, 674, 727, 813.
Beſtiis non convenit cognitio 756, ſenſum Carteſiani non denegant 756, neque vitam 756.
Buxtorfii Lexicon ad vocem צאן 497.

C.

à Cajo Cæſare fuit Herodes Agrippas rex conſtitutus. 586.

Calceus pedi minori magnus dicitur alio ſenſu, quam Luna luminare magnum. 515.

Cæſaris *Imago.*

Calvinus in Geneſ. I. 14. 15.
- in Geneſ. I. 16. 461, 467, 502, 506, 518, 520, 521.
- in Eſ. XLIX. 24. 568.
- in Pſal. XIX. 750.
- in Eph. IV. 10. 170, 173.
- in Tit. I. 12. 605.
- ad Hebr. XI. 21. 664.
- Inſtit. lib. 4. cap. 7. 688.

Cajetani explicatio Eph. IV. 10. 174.

Calvinus Pſal. XIX. craſſum ſtylum adhiberi quomodo doceat 896, 897.

Calor ignis eſt ejus eſſentia 89.

Canonici quid apud Pontificios, & quid apud noſtros ſignificent 684.

Canus *Melchior* egregiè explicat, quo ſenſu Scriptura poſſit dici loqui ex opinione vulgi. 455.

Captum hominis Idiotæ excedunt res Phyſicæ & Aſtronomicæ accurate traditæ 786, 787.

quòd ad Captum ſeſe accommodet Scriptura oritur à ſapientiâ Spiritus Sancti 731.

Captivatione intellectus non opus eſt ad intelligenda loca Scripturæ, quæ de rebus naturalibus loquuntur 766.

Capelli Critic. 676, ſpicilegium 676.

Carteſii Medit. IV. in fine. 147.
- reſponſ. ad ſecund. Object. 449.
- Princip. I. 25. 447.
- Pr. I. 26, 27. 113, 117, 118, 119, 125.
- Pr. I. 49. 302.
- Pr. I. 76. 447.
- Pr. II. 6. 303.
- Pr. II. 14. 297.
- Pr. II. 16. 295.
- Pr. II. 20. 305.
- Pr. II. 21. 22. 114, 120, 121, 122, 134, 193, 291.

Digitized by Google

Carteſii Pr. II. 25.	260, 262.
Pr. II. 26.	268, 269, 270, 271 — 278.
Pr. II. 27.	278.
Pr. II. 28.	279.
Pr. II. 29.	280.
Pr. II. 30.	281.
Pr. II. 33.	307, 310.
Pr. II. 36.	312, 314.
Pr. II. 37.	319.
Pr. II. 39.	325, 328.
Pr. II. 40.	329.
Pr. II. 43, 44.	333.
Pr. II. 45, 46.	333.
Pr. II. 49.	359.
Pr. II. 54.	331, 362.
Pr. II. 61.	335.
Pr. III. 67.	370.
Pr. III. 69.	373.
Pr. III. 72.	366.
Pr. III. 1, 2.	115, 125.
Pr. III. 29. fin.	116, 132, 133, 134, 192.
Pr. III. 30.	376, 377.
Pr. III. 34.	377.
Pr. III. 35.	382.
Pr. III. 36.	377.
Pr. III. 39.	409.
Pr. III. 43, 44.	838.
Pr. III. 46.	342, 347, 349, 353.
Pr. III. 48.	357.
Pr. III. 53.	245.
Pr. III. 65.	368.
Pr. III. 77, 78.	364.
Pr. III. 80, 81.	364.
Pr. III. 82.	377.
Pr. III. 84.	375, 379, 377.
Pr. III. 85.	385.
Pr. III. 95.	382.
Pr. III. 120.	374.

Carte-

Digitized by Google

Carteſii Pr. III. 134, 136.	377.
Pr. III. 140.	395.
Pr. III. 141.	383.
Pr. III. 142.	347, 383,
Pr. III. 143 —— 146.	383.
Pr. III. 148.	376, 380.
Pr. IV. 1.	387.
Pr. IV. 2.	387, 391, 393.
Pr. IV. 20.	436, 438.
Pr. IV. 21.	438.
Pr. IV. 206.	838.
Epiſtola ad More	121, 125, 126.
Epiſt. 69.	126.
Epiſt. 72.	201.

Carteſii Modeſtia 129, 838, Principia nomine Phyſicæ rectè appellari poſſunt 70, ſententia de ſitu Corporum Mundi 245, definitio Motus 260.

Carteſius ipſe aliquando debuit cum vulgo loqui 747 de ſuis Principiis Phyſicis poſt demonſtrationes repertas non dubitavit 838, auctoritatem Scripturæ maximi fecit 447, non determinat, an Mundus ſit finitus, an infinitus 128, 136, non potuiſſe errare nemo ejus amicorum dixit, 290. nec ab ejus auctoritate quis quam argumentatur 290. 346. quomodo primus invenerit Veritatem de Indefinitate Mundi 149.

Carteſiana Philoſophia magis patefacit gloriam divinam, quàm ſcholaſtica 340, 875, 877, 882 —— 886.

Carteſiani non denegant ſenſum beſtiis 756, nec vitam 756, ſed cognitionem 756.

Carthwrightus 568, 577, 674.

Cauſam Primam & Univerſalem omnium docet Moſes, non particulares rerum naturalium 98 primaria Motus eſt Deus 312.

Cauſæ errorum 20.

Cauſæ variæ ſunt ob quas locutiones vulgares in ſacris literis abhibentur 571, 573, 593, 792, 793, 808.

Cedere corpora quomodo ſibi facile poſſint. 334.

Celeritas actionum vulgo concipitur per motum 656, 660.

Celeritas Motus poteſt in infinitum augeri 286 compenſat locorum inæqualitatem 310, 311, non eſt illud tertium, in quo Sol cum equis Eccl. I. comparatur 932.

Digitized by Google

Centrum Mundi quodnam ſit, non liquet 216, Terram eſſe non benè ex Scripturâ à Danæo probatur 239.
Centrum circumvolutionum Planetarum eſt Sol, non quidem Geometricum ſed Phyſicum 217, 241, 377.
Centro nulla competit vis trahendi ad ſe corpora 229, an competat quædam nobilitas 237.
in Centro Terræ eſt quædam materia ſubtilis 303, quæ ibi movetur 404.
Cerebrum eſt præcipua ſedes Animæ 555 quod probatur rationibus 555. 560, 563, vide Anima.
Certiſſima ſunt omnia, quæ in ſacris literis de rebus naturalibus docentur. 37.
Certitudo eventus Occaſus Solis dicit aliquid relativum ad cognitionem. 911.
Certitudo ſenſus Scripturarum manet, etſi ea non omnibus verbis doceatur 543.
Cereus *Naſus.*
Chamierus 676.
Chriſti *Teſtimonium.*
ad Chriſtum omnia in ſacris literis referuntur 55, 63.
de Chriſti humanâ naturâ agit Scriptura ex inſtituto, unde eam debet accuratè explicare 753, humanæ naturæ veritas contra Marcionitas poteſt oſtendi, ſtante ſententiâ de formulis loquendi vulgaribus in Scripturâ. 711, 753, 754.
Chriſti *Aſcenſio.*
Chronologica in quem finem tradantur in ſacris literis 38, 50, circa ea non verſatur vulgus, nec proinde præjudicia ſenſuum formavit 764.
Chryſoſtomus 674, 675.
Cicero lib. 2. de Oratore 251, lib. 4. Tuſculanarum quæſtionum 251, in Lucullo 255, lib. 1. Tuſcul. quæſtionum 556.
Circulus fit in omni motu 307, 308. qualis ille intelligatur 309.
Circularis & Sphærica figura ſunt ſimpliciſſimæ 211.
Circuli omnis imaginarii quales ſunt Horizon, Æquator &c. centrum eſt Terra 221, 223, 233.
quæ Circulariter moventur tendunt ſemper ut recedant à centro ſui circuli quem deſcribunt 325, 326.
Circumciſio ab Apoſtolis in Eccleſia fuit retenta, donec honeſtè ſepeliretur ſynagoga Judaica 542, ejus uſurpandæ in Eccleſia Apoſtolicâ eadem eſt ratio, quæ retinendarum à Scripturâ formularum vulgarium 542, 544, 545, 547, 550, 551, 552.

Digitized by Google

ex Circumſtantiis textus eſt colligendum quid ſignificet Spiritus Sanctus. 63, 65, 685, 700, 704, 705, 706, 754, 788.
Claris locis Scripturæ quæ pro Motu Solis adducuntur, non clarè deſignatur ille Motus 698, 784, 848.
Claubergii Defenſio Carteſiana 154, 838, 914.
Clavius in Sphæram de Sacro bono 502.
Coccejus negat, propoſitum Dei fuiſſe nobis rerum eſſentias in Scripturis explicare 35.
Cœlum Beatorum ex noſtrâ ſententiâ non eſt ubiquitarium 179, non dicitur in Scripturâ terminus Univerſi 170, ejus extenſionis quantitas non eſt certa, nec determinari poteſt, an ultra illud alia ſint corpora, nec an undique Cœlum ſidereum ambiat 170, 171, 175, 176, 177.
Cœlum non eſt corpus ſimplex & incorruptibile 212, eſſe Deum ſtatuit Ariſtoteles 209. materia eadem eſt cum materiâ ſublunari 227, diviſio in Aëreum, ſidereum & tertium, quo ſenſu intelligenda 178, fundamenta & Columnæ quid ſignificent 480. 481, 484, 489, 492. ab Atlante quomodo dicatur portari 492, ejus Extremitates quid. 475, 477, 478, præjudicium de iis 475, 862.
Cœli enarrant reverâ, non apparentèr gloriam Dei 893.
Cœli reſpectu Terra habet rationem inſenſibilis puncti, 443, ſed & Terræ orbita eundem habere poteſt, ſi mundus major, quàm vulgo fit, concipiatur. 423.
in Cœlo eſſe quomodo Terra poſſit dici 433, 434.
Cœlorum *Pulchritudo.*
Cœli non moventur ab Angelis. 489.
Cognitio non convenit beſtiis 756.
Cogitantium & extenſarum rerum confuſio, 227.
Cognoſci eadem Concluſio poteſt per Scientiam & Fidem 724.
cum Cognoſcente quomodo Sol comparetur 907, 911.
Communicatio Motus quomodo fiat 265.
Commenta humana quomodo admiſceantur divinis verbis 743.
Comparatio creaturarum cum Deo quouſque poſſit inſtitui 327.
Complexis æquivalent connexa Attributa cum Subjectis. 473, 537, 538, 541, 680.
Conceptus Nihili debet eſſe negativus 297.
Concionatores locutionibus vulgaribus debent uti, iiſque ſe vulgo accommodare 684, 693, eorum verba quomodo ſint purum Dei verbum 740.

Conde-

Digitized by Google

Condeſcendere Deus ad captum vulgi quomodo ſit dicendus 454.
Confuſio rerum cogitantium & extenſarum. 227.
Congruentiæ non poſſunt ſuppeditare firma argumenta ad demonſtrandam rei alicujus exiſtentiam. 208.
Conſenſus adverſariorum cum auctore circa quæſtionem de ſtylo Scripturæ 454.
Conſolatoris officio quomodo fungatur Spritus Sanctus 736.
à Conſuetudine loquendi communi non debet recedere Dialecticus 468, 469.
Conſulere quid ſignificet 598, mortuos dicuntur δοξαστικῶς qui Diabolum conſulunt 597.
Contradictio non eſt, ſi dicas, aliud videri, aliud intelligi 697, nec inter has duas Propoſitiones Sol ſtetit, &, Sol ſtetit apparentèr 831.
Contrarietas non eſt inter Motum & Motum, quatenus talem, ſed inter Motum & quietem, atque inde inter Motum celerem & tardum, item inter determinationem Motus. 333.
Contradictionem implicat creari plures, hoc eſt, à ſe invicem diſcretos mundos 154.
Contradictionis judicium quomodo debeat formari. 126.
per Contactum rei, quæ ſentitur, & ſenſorii nervi poteſt ſenſus excitari, non alio modo 643.
Contactu opus eſſe ad objecti perceptionem eſt imperfectio 643.
Contemtus Dei non introducitur per ſententiam de Scripturæ locutionibus vulgaribus. 761.
Controverſiæ ſtatus inter Tychonem & Copernicum 249.
Controverſiæ ſtatus de quâ impoſterum inter Auctorem & Adverſarios agendum 614, 679.
ex Copernici ſententiâ non eſt ſtatuendus infernus in Sole 243.
Cor non eſt ſedes animæ præcipua 555, 756. in ſacris literis ponitur pro animâ 556, pro voluntate 556, pro cogitationibus 556, locutiones illæ in Scripturâ veritatem ſignificant. 558, quamvis Tropus errori innitatur ſententiæ contrariæ 556, 564, quæ eſt error vulgi 555.

1 Cor.	I. 22, 23.	56, 59.
	II. 6, 7, 12.	55, 60.
	XV. 29.	622.
	XV. 33.	796.
2 Cor.	IV. 4.	587.

Coronæ impoſitio quid ſignificet, 684.

Corpus

Digitized by Google

Corpus generatim acceptum eſt idem quod Extenſio 294, à Nihilo comprehendi non poteſt 297, durum quid ſit 332, quæ ei conveniunt Attributorum ſubjectum eſt Extenſio 299, conditio ejus ſuâ naturâ non infert terminationem 182, ut Corpora ſibi invicem facile cedant, quid requiratur 334, in Mundo ſunt trium generum 502, una eſt & eadem omnium materia 291, nulla erit eorum diſtinctio motu omni è mundo ſublato 182, 183.
Corpuſcula indefinitæ magnitudinis ſpatium quodvis replere poſſunt 360, 363.
Corporeitatis *Forma*.
Corporeum conceptum de ſe formari Deus non vult 648, ut Corporeus tamen à multis concipitur. 655.
Corporea tantùm & imaginabilis ſubſtantia à multis intelligitur, non alia 640.
Corporea Attributa Dei quid ſignificent. 637.
Craſſus ſtylus quid 22, ſecundum Calvinum 896, 897.
Creari plures, hoc eſt, à ſe invicem diſcretos mundos implicat Contradictionem 154.
Creatio ſecunda quid ſit 314, terminatur ad ſubſtantiam 315, differt à Mechanici actione 314, 340.
cum Creationis hiſtoriâ optimè convenit, ut Terra prius ut ſidus conſideretur. 389.
Creationis operum comparatio cum decretis divinis. 338, 341, 358.
Creaturarum ſimilitudo cum Deo quouſque ſe extendere poſſit 327, 346 quomodo iis conveniant actiones 316.
ad Creaturæ intelligentis naturam non requiritur ut operum Dei amplitudinem cogitatione comprehendat. 202.
Credi facilius poſſunt miracula, quàm ea, quæ repugnant ſenſuum præjudiciis, 781, 782.
Creſcentia non impediuntur per Terræ gyrationem 438.
כון in Niphal in ſacris literis etiam tribuitur rebus mobilibus 902.
Cunæus de Republicâ Hebræorum 615, 632.

D.

Danæus Aërem habet pro Nihilo. 84.
Danhawerus Argumentum ad hominem à deductione ad abſurdum diſtinguit. 624.

Dan. I. 17. 71.

Decreta Dei ſpectantur à Theologis ac ſi ſucceſſivè eſſent formata 338 eorum diſtinguendorum Fundamentum 338, comparatio cum Operibus Creationis 338, 341, 358.

Decurrere viam Pſal. xix. non deſignat Solis motum realem, ſed tantùm ſitus ejus variationem 874.

Deductio ad abſurdum differt ab argumento ad hominem 624.

Delatio Terræ circa Solem 397.

Demonſtratio ȣ̃ διότι præferenda eſt demonſtrationi ȣ̃ ὅτι. 407.

Demonſtrationes Mathematicæ ſæpe requirunt longam Propoſitionum ante demonſtratarum ſeriem. 398, non contradicitur iis niſi ab ignorantibus. 289.

poſt Demonſtrationes perceptas Carteſius de ſuis Principiis Phyſicis non dubitavit. 838.

Demonſtrationibus veriſſimis, poſtquam perceptæ, adhiberi debet aſſenſus 776.

Deorſum quomodo dicatur 241.

Deſcendiſſe Sol quomodo dicatur 852, 856.

Deſiderium ſciendi quomodo ſit in omnibus 736.

Determinationem Motus aliam tantùm accipit corpus alteri fortiori occurrens. 329, 330.

Deus quare deſcribatur per corporea nomina & Attributa 633, 637. eſt primaria Motus cauſa 312, ſæpe exhibet rem petitam etſi non ſecundùm modum quo petiimus 848, alio ſenſu eſt ſimpliciſſimus quàm punctum 199, & craſſo modo & accurato ſe voluit in ſacris literis delineare 638, 639, non vult corporeum de ſe formari conceptum 648, à multis tamen ut corporeus concipitur 655, in Scripturâ loquitur hominibus, non angelis 740, in Scripturâ non loquitur falſum 803, quomodo dicatur immittere Spiritum erroris 148, rectè dicitur καρδιογνώστης etſi animæ ſedes ſtatuatur in cerebro 557, ſolus Infinitus eſt dicendus 112, 162.

Dei Corporea Attributa quid ſignificent 637, *Apparitiones*, *Imagines*. Dei nomen in ſacris literis uſurpatur δοξαστικῶς & putativè 587, 588, Subſtantiam non debemus per modum cujuſdam Extenſionis concipere 166, 655, *Omnipræſentia. Teſtimonium.* ex ejus ſimplicitate quomodo ſimplicitas Motus inferatur 326, 328.

Deo Anthropopathicè non tribuuntur ea, quæ conſentientibus omnibus imperfectionem important 634, 635, non tribuitur Guſtus & Ta-

Digitized by Google

ctus 635, quare ſpiritualia attributa aſſignentur in Scripturâ 638, alæ tributæ. Vide *Ala*. quomodo in ſacris literis adſcribatur loquela 634, quomodo Motus & Quies tribuantur 634, 641, non tribuuntur humeri in ſacris literis 635, 644.
Deum tanquam hominem mutabilem Scriptura proponit 656, 645.
Deut. VI. 1, 2. 35.
Deut. XVIII. 10, 11. 597, 598.
Deut. XXX. 4. 475.
Diabolus nonniſi putativè eſt Deus, nullo ſenſu verus Deus 588, non vocatur Samuel eo modo, quo imago Cæſaris Cæſar appellatur 596, ſed illud nomen ei competit δοξαςικῶς 594, 595.
Dialecticus non debet recedere à communi loquendi conſuetudine 468, 469, ejus differentia ab Analytico 468.
Dialecticum modum agendi debuerunt ſcriptores ſacri uſurpare circa res naturales 468, 472.
Diameter vorticis Terræ 415.
Dimidia Luna quo ſenſu dicatur 460.
Dierum nominum uſus 684.
Diſtantia eſſe non poteſt nullo corpore intermedio exiſtente 298, 299.
Diſtantiam in Abſtracto non contemplatur Aſtronomia 294.
Diviſio in materiâ externâ à Deo facta conſideranda. 342.
Diſtinctio Corporum vide *Corpus*.
Diviſio Indefinita 118.
quid Doceat Spiritus Sanctus formulis vulgaribus ex circumſtantiis textus eſt colligendum 658, 685, 700, 704, 705, 706, 754, 788.
Docere accuratè Scriptura res fidei debet 704, 761.
non Docet Spiritus Sanctus formulis vulgaribus præcisè quâ talibus 549, 684.
quæ Docentur in ſacris literis de rebus naturalibus certiſſima ſunt. 36.
Doctrina ſalutis vide *Salus*.
Docet Scriptura eam veritatem quæ ad ſcopum ſuum facit. 738.
Docti viri qui præjudicia retinent in eo cum vulgo conveniunt 816.
non Dubitavit Carteſius de ſuis Principiis poſt Demonſtrationes 838.
Durum corpus quid ſit 332, in fluido collocatum à fluido defertur 335, 336, inter Dura & fluida corpora multa dicuntur intermedia 332.
Jer. Dycke 676.
Δύνειν quid propriè ſignificet 867.

Digitized by Google

I N D E X.

E.

Eccleſia dicitur alio ſenſu ſancta, quàm Luna luminare magnum 511.
Eccleſiaſtæ liber eſt ἐξωτερικὸς 925, 926.
Eccleſiaſtæ I non docetur Solis motus. 934.
Eccleſiaſtæ I. 4, 5. 925. analyſis 925.
Eccleſiaſtæ I. 7. 45.
Eccleſiaſtæ III. 11. 345.
Eccleſiaſtæ XII. 2. 536.
Eccleſiaſtici XLII. 17. 100.
Eclipſis Solis 429, Lunæ 429.
Eclipſes Lunæ poſſunt fieri etiamſi Terra non ſit in medio Cœli ſtelliferi. 225.
Eſtaticæ *Viſiones*.
Ens de Deo uſurpatum quid ſignificet 637.
Ἐντελέχεια quid 259.
non Emendat Scriptura locutiones vulgares, 684, 766.
ex Eph. IV. 10. non probatur limites mundi poſſe cognoſci 170, in eo comparatur Cœlum cum Terrâ, non Terræ nec Cœli partes inter ſe 170, 172.
Eph. II. 2. 60.
Eph. IV. 9. 238, 239.
Eph. IV. 10. 170, 172.
Eph. V. 13. 84.
Ἐπίλυσις ἰδία. 919.
Epimenides Cretenſium Propheta ſive doctor divinus non fuit reverâ, ſed ſecundùm eorum opinionem 605, 606.
non Errandi habitus quomodo poſſit acquiri 148.
Errare Spiritum Sanctum cum vulgo à ſententiâ Auctoris eſt alieniſſimum 42.
Errare non potuiſſe Carteſium nemo ejus Amicorum dixit. 290.
Errare ne quidem in levioribus ſcriptores ſacri potuerunt 448, 815.
Erroris Spiritum quomodo Deus dicatur immittere 148.
ad Errorem conſignificandum adhibentur à vulgo formulæ vulgares 522, 819.
Errores de rebus naturalibus non pugnant cum doctrinâ ſalutis 548, nullos Scriptura loquitur, docet, teſtatur 751, 766, 770, 774, 798, de rebus naturalibus quando non emendat Spiritus Sanctus in ſacris lite-

Digitized by Google

literis, non tamen propterea delectatur 758.
in Errores non inducit Spiritus Sanctus 804.
Errorum multorum cauſa eſt ſermo vulgaris 280, cauſæ in genere, 20.
Eſaiæ VIII. 1. 461, 464.
Eſaiæ XIII. 5. 475.
Eſaiæ XXX. 26. 86.
Eſaiæ XXXVIII. 8. 852.
Eſaiæ XLIX. 24, 25. 568.
Jean d'Eſpagne. 762.
Ethica an diſtinguenda à Theologiâ practicâ 48.
Euangelium Pſeudo-Apoſtolorum non eſt verum Euangelium 590.
Euangelii nomen in ſacris literis etiam de Pſeudo-Euangelio adhibetur 589.
Examinanda non ſunt tantùm ea de quibus eſt controverſia, ſed etiam de quibus nulla eſt 821.
Exodi X. 21. 292.
Exodi XXIII. 24. 587.
Exotericæ locutiones. 701.
Exotericus liber eſt Eccleſiaſtes 925, 926.
Explicare ſe debet Scriptura, quando de iis, quæ ad inſtitutum ſuum pertinent, loquitur formulis vulgaribus, non item quando de naturalibus 657, 720, 722, 723, 725.
Exploratores veri intelliguntur, quos Hierichuntini dicuntur perſecuti 592.
Extendere de Cœlo, non de Vento uſurpatur in Scriptura 500.
Extenſio eſt Eſſentia corporis 157, 293, Forma corporeitatis 293, ſubjectum omnium Attributorum, quæ corpori conveniunt 293, generatim accepta eſt idem, quod Corpus generatim ſumtum. 294.
Extenſionis Cœli Beatorum quantitas eſt incerta 170, 171, 175, 176, 177.
Extenſarum & cogitantium rerum confuſio 227.
in Extenſâ materiâ diviſio à Deo facta conſideranda. 342.
de Extremitatibus Cœli & Terræ 862, præjudicium 475.
per Extremitates Cœli quid ſignificetur in Scripturâ 475, 477, 478.
Extremitates Terræ quid in Scripturâ deſignent 493, 494, non ſunt, quæ mari quaquaverſum terminantur 494.
Ezech. III. 20. 568.
Ezech. XXXII. 7. 86.

F.

Fallacia quomodo in ſenſus cadat, quomodo non 20, & in ſpecie in Viſum, 526.
Falſa nulla aſſerit Spiritus Sanctus in ſacris literis 721.
Falſa explicatio rerum naturalium non eſt eadem quæ vulgaris 46.
Falſitas nulla opponitur Veritati incomplexæ 541.
Falſitatis non poteſt accuſari is, qui formulis vulgaribus utitur, niſi conſtet, eum falſitatem ſignificâſſe 795.
Falſitatem ſignificare non eſt dicendus is, qui formulâ vulgari utitur 796, 797, non inferunt impropriæ locutiones 881.
Falſum loqui Scripturam ad placitum vulgi nullibi dixit auctor 855, ſed contrarium 803.
Fayus in Eccleſiaſten. 925, 927.
Feſtus 867.
Fides facilius adhiberi poteſt miraculis quàm iis, quæ repugnant ſenſuum præjudiciis 781, 782. divina quid 5, 32, 774, quomodo differat à ſcientia 774.
cum Fidei nullo articulo pugnat, juſtos eſſe aliquos ſecundùm apparentiam 576.
per Fidem & ſcientiam eadem Concluſio poteſt cognoſci 724.
Fidei res Scriptura debet accuratè docere 704, 761, articuli ſtrictè ſic dicti quinam 704, 724.
Fidem mereretur Sp. S. etiamſi uſus fuiſſet formulis accuratam veritatem exprimentibus 774, adhibere vulgus difficultèr potuiſſet, ſi docuiſſet Spiritus Sanctus ea, quæ cum præjudiciis ſenſuum pugnant 774, 775.
Figura circularis & Sphærica ſunt ſimpliciſſimæ 211, Sphærica Mundo non competit 206, 207, 208, nec certa Mundo poteſt aſſignari 161.
Figuram Sphæricam debuerunt conſequi particulæ, in quas materia à Deo diviſa conſideratur 357.
Figuræ columbæ & ſenis non fuerunt imagines Dei 648.
Finckius 675.
Finis propter quem Scriptura tradit hiſtorica 37, Ironiarum vide *Ironia*. Scripturæ non eſt inſtructio in cognitione Philoſophiæ naturalis 35.
Fines Terræ quid in Scripturâ deſignent 493, 494, non ſunt qui mari quaquâverſum terminantur 494.
Finitudo Extenſionis non infertur ex ejus Productione 171.
ex Finitis Mundi partibus non probatur ſufficientèr, Mundum eſſe finitum 197.

Digitized by Google

Flacii Clavis Scripturæ 678.
Fluidum Corpus quid ſit 331, 332, differt ab humido 332.
inter Fluida & dura corpora multa dantur intermedia 332.
à Fluido defertur corpus durum in Fluido collocatum 335, 336.
Fluidorum particulæ ſingulæ debent moveri circa propria centra 350.
Fluminum Ortus in ſacris literis non explicatur Philoſophicè 45.
Forma Corporeitatis eſt Extenſio 293.
Formulâ vulgari utens, quæ duplex munus ſignificandi obtinet, non dicendus eſt barbarus 797, nec ſignificare falſitatem 796, 797.
Formulæ vulgares innitentes errori de motu Solis non poterant in totum præteriri à Spiritu Sancto 690, 691, 770, eæ præjudicia in hominibus non confirmant, niſi fortè per accidens 693, 699, 760, 758.
Formulæ quædam vulgares innituntur errori, quòd Cor ſit præcipua Animæ ſedes. 556.
Formulæ vulgares ut retineantur requirit Scripturæ perſpicuitas 461 —— 464, 689, 740.
Formularum Vulgarium uſus non infert earum approbationem. 550, 658, nec pugnat ille uſus cum Auctoritate & Veritate Scripturæ 554, munus ſignificandi eſt duplex, non tamen prout adhibentur à Spiritu Sancto 658, 791, munus præcipuum ſive ſenſus earum præcipuus 669, 797.
Formulas vulgares non debuit immutare Spiritus Sanctus 790, 820, 825, in Scripturâ uſurpatas ortum habere ex præjudiciis æquè ex Tacito ac aliunde probari poteſt 866, de rebus naturalibus debuerunt Scriptores ſacri retinere, ne turbarentur homines ſimpliciores 542, 546, 684, 689, 723, 731, 740, 759, 764, 765, 771, 774, 784.
per Formulas vulgares teſtimonium Dei non redditur falſum 798, quatenus à Spiritu Sancto uſurpantur, aliqua veritas ſignificatur 628, ſed generalis non ſpecialis 784.
Formulis vulgaribus uſum eſſe Spiritum Sanctum, etſi vulgus deprehendat non tamen habet cauſam ſufficientem ob id Scripturam rejiciendi 767, iis Spiritus Sanctus quid doceat ex textus circumſtantiis eſt colligendum 614, 658, 671, 685, 700, 704, 705, 706, 754, 788.
Formulis receptis quatenus talibus utitur Spiritus Sanctus ſive opinionibus erroneis innitantur ſive non 933.
Formulis receptis quibuſcunque Scripturam uti non eſt impium aſſerere 762.

Digitized by Google

etſi Formulis accuratis Spiritus Sanctus uteretur, fidem tamen mereretur 774.
Formulis receptis ob quam cauſam Scriptura fuerit uſa 23. 50, 792, 793, 808. Vide etiam *Sermo Vulgaris, Locutiones Vulgares.*
Frantzius de Interpretatione Scripturæ. 665.
Frigus in nive 80.
Fundamentum diſtinguendi varias actiones divinas in opere Creationis 338, diſtinguendi decreta divina 338.
per Fundamenta montium Pſal. XVIII. 8. etiam ipſi montes connotantur 480, 486, 487, 490, 491.
Fundamenta & Columnæ Cœli 480, 481, 484, 489, ejus quietem non inferunt 901.
Fundari etiam de rebus mobilibus uſurpatur. 901, 902, 903, 905.
Fundari ſuper baſes & phraſis ex præjudicio orta 901, 903.

G.

epiſtola ad Galatas I. 6. 589.
Galat. V. 2. 542.
in Geneſi Moſes non philoſophatur. 518.
Geneſ. I. caput totum, 65.
Geneſ. I. 1. 171.
Geneſ. I. 14. 956.
Geneſ. I. 16. 502, 518.
Geneſ. XIX. 23. 867.
vox גבור aliquando gigantem ſignificat. 864.
Gigas quomodo Sol dicatur. 864.
Glaſſii Philologia ſacra 665, 675.
Globus verſus Ortum vel Occaſum exploſus eâdem celeritate movetur non obſtante Terræ delatione 442.
Globi duo ejuſdem magnitudinis & perfectè duri atque ab omnibus corporibus remoti ſi ſibi occurrant quid futurum ſit 333.
Globuli ſideris proximi celerius feruntur, quàm paulò remotiores ad certam diſtantiam 375, 384, iidem ſunt remotiores minoribus 385, 386.
Gloria Dei etiam ſuppoſitâ Notitiâ Communi ex Creaturis poteſt manifeſtari 714, reverâ probatur ex ſtatis temporibus Solis & Lunæ 907. magis fit conſpicua per Philoſophiam Carteſianam quàm per Scholaſticam 340, 875, 877.

Gloriam

Digitized by Google

Gloriam independentię Dei celebrant motus Cœlorum miraculoſi 887,
Sapientiæ Dei celebrant motus ordinarii 887.
Gloriam Dei Cœli enarrant reverâ non apparentèr 893,
ſolarem vel [illegible]motu vel in motus pernicitate conſiſtere ex Pſal. xix. oſtendi nequit 889.
Glorioſum eſt detegere veritates novas 762.
ad Gloriam ſuam Sol non ita ſe habet ut ad Motum 888.
Græci à Judæis Philoſophiam acceperunt. 92.
Gravia quædam forte etiam ſunt quæ tendunt ad Jovem & Saturnum 227.
Gravitas Terræ ipſi non competit 229, 436, ſed Terræ partibus, & quomodo. 436.
Gualtherus. 615.
Guſtus Deo non tribuitur in ſacris 635.

H.

Haggæi II. 6, 7. 428.
vox עלמה ſemper virginem intactam ſignificat, vel quæ talis ſit revera, vel ſaltem ſecundùm apparentiam 578.
Harmoniæ non poſſunt ſuppeditare firma argumenta ad demonſtrandam rerum exiſtentiam 285.
Hebr. VII. 3. 615.
Hebr. XI. 3. 95, 96.
Heidanus de Cauſâ Dei 610, 688.
Helvicus 665.
Herodes Antipas non fuit rex ſecundum Joſephum 582, 585, fuit tamen rex creditus à vulgo 583, 585.
Herodes Agrippas fuit rex conſtitutus à Cajo Cæſare 586.
Hieronymus 678.
Hilarius. 678.
Hiſtorica in quem finem tradantur in ſacris literis 38.
Homerus Odyſſ. A. 475, an fuerit excæcatus præjudicio ſenſuum de Extremitatibus Terræ? 479.
Hominis natura ſive eſſentia non eſt per lapſum mutata 159.
Hominibus Deus in Scripturâ loquitur non angelis. 740.
Humana natura Chriſti, vide *Chriſtus*.
Humanus *Stylus*.

Humectatio à Lunâ non in Lunâ eſt. 89.
Humeri Deo non attribuuntur in ſacris literis 635, 644.
Humidum differt à fluido 332.
Hypotheſeos Tychonianæ & Copernicanæ differentia 217.
Hypotheſes Carteſii de Ordine in Operibus Creationis non ſunt omninò falſæ 355, quomodo in ſequentibus aſſumantur 356, 398, 399.
per Hypotheſin Copernicanam optimè phænomenæ poſſunt explicari 429, in ſpecie viciſſitudo dierum & noctium 235, 444.

I.

Idea etiam de impoſſibilibus formari poteſt 869. *Mundi.*
Ideam Indefiniti Mundi habent omnes homines, licet non omnes ſecundùm eam judicent 143.
Ideæ rerum innatæ ſunt ad intelligendum neceſſariæ 642.
Vide etiam *Conceptus.*
Ἰδία ἐπίλυσις 919.
Jer. IV. 13. 85.
Jer. X. 13. 493.
Jer. XXVIII. 1, 5. 580.
Jer. XXXI. 35. 86.
Jer. XLIX. 36. 475.
Ignis eſſentia eſt ejus calor. 89.
Ignobiliſſimum corpus an ſit Terra? 237.
Ignorantiæ Profeſſio de rebus, quas nec ex Scripturæ nec ex rationis lumine poſſumus cognoſcere, eſt laudanda 126.
ab Ignorantibus ſolis contradicitur Mathematicis demonſtrationibus 289.
Illuminatio major reſpectu noſtri unde oriatur 524.
Imago Cæſaris non vocatur Cæſar eo modo, quo Diabolus in ſacris literis Samuel appellatur 596.
Imagines Dei non ſunt figuræ columbæ & ſenis 648.
Imperfectio eſt, contactu opus eſſe ad Objecti perceptionem 643.
quæ Imperfectionem important conſentientibus omnibus Deo Anthropopathice non tribuuntur 634, 635.
Impietas nulla eſt in ſententiâ, quod Scriptura utatur formulis vulgaribus &c. 762.
Impoſitio coronæ quid ſignificet 684.

Im-

Impropriæ locutiones non inferunt falſitatem. 881.
Immobilitas idem eſt quod *Immutabilitas*.
Immutabilitas Fidei, Juſtificationis & ſanctificationis quomodo ex Immutabilitate Dei colligatur. 318.
ex Immutabilitate Dei recte infertur, Motus eandem quantitatem in Mundo remanere 323, quomodo & qualis Operum Dei Immutabilitas inde inferatur. 318.
Inane quid Job. XXVI. 7. ſignificet. 497, 499.
Incomplexæ veritati nulla opponitur falſitas 541.
Incorruptibilas *Cœli*.
Indefinita diuiſio 118.
Indefinitæ magnitudinis corpuſcula ſpatium quodvis replere poſſunt. 360, 363.
Indefinitas Mundi quid ſit 112, 150, non obſtat ejus Pulchritudinis 884.
Indefinitatis Mundi conceptus non eſt ex præjudicio 138, nec eſt Nihili 139, nec eſt fictus 139.
ex Indefinitate Mundi non infertur ejus Æternitas 153, neque Omnipræſentia, 203, neque Omnipotentia divina imminuitur, ſed exaltatur 204.
de Indefinitate Mundi Veritas quomodo primùm à Carteſio ſit eruta 1 9.
Indefiniti non omnia exempla adducere voluit des Cartes Pr. I. 26, ſed quædam tantùm 118, 119, Mundi ideam habent omnes homines licet non omnes ſecundùm eam judicent. 143.
Independentia Dei cognoſcitur ex motibus Cœlorum miraculoſis 887.
Infernus ex ſententiâ Copernici non ſtatuendus in ipſo Sole 243.
Infinitas Mundi ſi quæ eſſet, alterius planè generis eſſet quàm Infinitas Dei. 189, 191, 194, 195, 166, 198, 200.
Infinitus ſolus Deus cognoſcitur 112, 162.
Infinitus extenſione an Mundus ſit necne cognoſci à nobis nequit 180 —— 190, 196, 306.
Infinitum Potentiale & Indefinitum in genere acceptum differunt 117.
in Infinitum poteſt augeri Motus celeritas 286.
Ingredi in Solis radios quomodo ſtellæ fixæ dicantur 460.
Inſitum Motus Principium in rebus naturalibus nullum datur 185, 227, 263.
ex Inſtituto agere de rebus naturalibus Scriptura quomodo dicatur. 43, 710.

ex Inſtituto debuit Scriptura loqui de Chriſti humanâ naturâ; unde debuit eam accuratè explicare 753.
Intelligentis creaturæ natura non requirit, ut Operum Dei amplitudinem cogitatione comprehendat 202.
Intellectus captivatione non opus eſt ad intelligenda loca Scripturæ, quæ de rebus naturalibus loquuntur. 766.
nihil in Intellectu quod non prius fuerit in ſenſu, an ſit verum 634, 642.
Interpretatione aliquâ verâ propoſitâ & probatâ eo ipſo omnes alienæ concidunt 491.
Intuitu primo non ſemper apparet ſenſus Scripturæ, ſed opus eſt circumſtantiarum inſpectione. 931.
Jobi XI. 8. 164, 166.
Jobi XXII. 11. 164, 166.
Jobi XXVI. 7. 497, 500.
Jobi XXVI. 11. 480, 488.
Jobi XXXVI. 32. 86.
Jobi XXXVIII. 38. 86.
Joh. V. 31. 599.
Joh. XVI. 13. 726, 727.
Joh. XIX. 12, 15. 585.
Joh. XX. 23. 829.
Joh. XX. 31. 35.
Joſua de utroque luminari locutus eſt ſecundùm præjudicia 827.
an Joſua omnia ſciverit? 811, 815.
Joſuæ X. 12, 13. eſſe locutiones vulgares non poteſt negari 841, idque confitentur Belgæ 841, 843, 841, & Herbinius. 846, 847.
Joſuæ II. 7, 16, 22. 591, 593.
Joſuæ X. 12, 13. 811, 812, 813.
Joſephus lib. XVII. Antiq. cap. 10, 11, 12, 13. 15. docet, nec Archelaum, nec Herodem Antipam regem fuiſſe. 586, docet quomodo Philoſophia ſit propagata 92.
Iracundia quomodo in anima excitetur 561.
Ironiæ in quem finem adhibeantur. 574.
Irrationalibus creaturis nonniſi impropriè Obedientia competit 684, iis tribuitur Obedientia ex præjudicio 694, quid ſignificet 694.
Irregenitus poteſt habere rectum uſum rationis in naturalibus & civilibus 26.
Judæ comm. 3. 529.

Digitized by Google

nter Judæos viguit cognitio Philoſophiæ 92, an recepta fuerit ſententia de motu Solis 814.

à Judæis Græci Philoſophiam acceperunt. 92.

Judicium quod ſequitur claram & diſtinctam perceptionem non poteſt eſſe erroneum. 147.

in Judicio tenentur rei vel teſtes teſtari veritatem, de quâ quæritur 688.

Junius. 579, 675, 475, 476, 663, 674.

Juſti dicuntur in ſacris literis qui ſunt tales ſecundùm apparentiam 568, 571, 572, 573.

Juſtos eſſe aliquos ſecundùm apparentiam cum nullo fidei articulo pugnat 576.

K.

Καρδιογνώστης Deus rectè dicitur etſi ſtatuas, animæ ſedem eſſe in cerebro 557.

Kepleri Definitio Motus. 261.

Keplerus. 261, 867.

L.

Laertius. 252, 255.

per Lapſum hominis eſſentia non eſt immutata 159.

per Lapſum notitia hominis quomodo ſit obſcurior facta 159.

ſecundùm leges naturæ fieri motus directionem docet Philoſophia Carteſiana 856, ſcholaſtica contrarium 886.

Leidenſium ſynopſis 587, 674.

Lemnius de occultis naturæ miraculis 555.

Libertas Arbitrii quid. 2.

per Lineam parabolicam fit lapidis projecti Motus verſus Terram 440.

Lingua & ſtylus humanus exprimit hominum conceptus, de rebus ſenſibilibus, prout ab iis ſolent formari ex his, quæ ſenſibus occurrunt, neque eos alitèr exprimere vel debet vel poteſt 461.

Linguâ quâcunque dictum aliquod efferatur ſemper idem eſt ejus ſenſus 902.

Lipſius in Tacitum 859.

Livius lib. 1. cap. 18. 251.

Locus Verus Aſtri. 21.

Digitized by Google

Loci acceptio varia 279.
Loco nulla per ſe Nobilitas vel Ignobilitas competit 237.
de Loco in Locum tranſlatio quomodo fiat. 156.
Locorum inæqualitatem compenſat celeritas Motus 310, 311.
Locutiones Exotericæ 701, 702, diſtinctio inter eas & Acroamaticas 701, 702, 717.
Locutiones ad ſenſum vulgi accommodatæ quo ſenſu dicantur 449.
Locutiones vulgares quid ſint 861, quid ſignificent unde cognoſcendum 453, 614, 658, 671, 685, 700, 704, 705, 706, 754, 788. ob varias cauſas in Scripturâ adhibentur, non ſemper ob unam eandemque 571, 573, 593, 792, 793, 808, Scriptura non emendat 684, 766, tales Joſ. x. 12, 13, reperiri non poteſt negari 841, idque confitentur Belgæ Interpretes 841, 843, 845, & Herbinius 846, 847, quænam in Pſal. 19. reperiantur 858.
Locutionibus vulgaribus Scriptura utens non ſemper ſemet explicat 657, tenetur tantùm ſe explicare quando talibus utitur circa ea quæ ad inſtitutum Scripturæ pertinent 657, 720, 722, 723, 525.
Vide etiam *Formulæ Vulgares.*
Loquela quomodo Deo adſcribatur in ſacris literis 634.
Loqui falſum in Scriptura Deus non dicitur, 803.
Loqui ſecundùm opinionem vulgi duplici modo poteſt intelligi 455, ſecundùm apparentiam quid ſit 458, 459.
Loquendi *Conſuetudo.*
לא חמוט non infert negationem omnis motus. 902.
Lucra dicuntur in ſacris literis ea quæ tantùm in opinione ſunt talia. 603, 604.
Lumen naturæ conceſſum eſt ad notitiam Philoſophicam acquirendam 736.
Lumen interdiu Terra reflectit 433, inſitum competit ſtellis fixis 513.
Luminare potiori jure Terra eſt appellanda quàm Luna 504, 514.
de Utroque Luminari Joſua decimo capite loquutus eſt ſecundùm præjudicia 827.
Luminaria magna quid Geneſ. I. 26. deſignent 502, 503.
Luna an habeat arbores necne non determinatur 434, dimidia quo ſenſu dicatur 460, nullam habet lucem inſitam 504, 523, non niſi æquivoce poteſt dici luminare 504, 509, 510, alio ſenſu luminare vocatur ac Eccleſia dicitur ſancta 511, luminare magnum dicitur ex præ-

judicio

Digitized by Google

judicio 502, 503. 504, 508. Gen. I. 16. dicitur luminare magnum oppoſite ad ſtellas 502, 517, luminare magnum nobis non ita dicitur quemadmodum calceus magnus dicitur pedi minori. 515.
Lunæ lumen ei eſt plane externum 511, 512, partes ſunt quædam depreſſiores quædam altiores 434, *Eclipſes*.
à Lunâ eſt humectatio, non in eâ. 89.
Lutherus. 579.
Lux Solis non eſt collecta ex luce ſtellarum fixarum & Planetarum. 524.

M.

Macularum Solis poli differunt à polis lineæ Eccliptic æ in Cœlo 382. ſed iidem ſunt cum polis corporis ſolaris 382.
Magnitudo operum Dei in quo conſiſtat 314, Solis per ſenſus cognoſci non poteſt 413.
Mahometen an quis Chriſtianus ſine mendacio Prophetam Dei vocare poſſit 658.
Maimonides More Nebochim 258, 674.
Maimonidæ encomium 632.
Marci VI. 14. 583.
Mareſii Judicium de Controverſiis Theologicis &c. 542. Theologus paradoxus 164.
Marcionitis an ſtante ſententia de Stylo Scripturæ vulgari in rebus naturalibus poſſit oſtendi veritas naturæ humanæ Chriſti 567, 711, 753, 754.
Materia omnium Mundi corporum una eſt & eadem 291, *Cœli*. quædam ſubtilis eſt in centro Terræ 303, quæ ibidem movetur 404, Cœleſtis circa Terram minus celeriter gyrat, quam materia Solis. 381.
Materia ſubtilis debuit intercedere inter particulas Sphæricas 359, 360, talis in centris vorticum movetur motu vorticis in circulum 366, talis ex polis cujuſcunque vorticis verſus centrum & ex centro verſus alias partes fluit. 373.
Mathematica *Abſtractio. Methodus.*
Mathematicæ *Demonſtrationes.*
Matth. V. 25. 829.
Matth. V. 45. 907.
Matth. VI. 21. 556.

Matth.

Digitized by Google

Matth. IX. 13. 568.
Matth. XIX. 16, 17. 621.
Medici communitèr Animæ ſedem præcipuam ſtatuunt eſſe cerebrum 554.
Melancholia quomodo in Animâ excitetur 561, 562.
Melchiſedecus non fuit ipſe filius Dei 615, fuit homo 615, 619, dicitur ἀπάτωρ & ἀμήτωρ &c. quia parentes ejus ignorantur 615, 619, 620.
Mendacii Definitio 728. definitio prava 733, non poteſt argui Deus ex ſententia de Stylo Scripturæ vulgari 677, 716, 721, 728, 733, 734, 801.
ad Mendacium deceptio actualis non requiritur 733.
Menſurare formalitèr eſt opus intellectus 936, tempora Sol dicitur objectivè 936.
ad Menſurationem temporum non requiritur Motus ejus quod objectivè menſurat 936, 937.
Mercari aliquando ſumitur in ſacris literis ſecundùm opinionem & apparentiam externam 607, 609, 610.
Mercerus. 480, 497.
Merces in Indiam tranſlatæ poſſunt dici moveri & non moveri pro diverſo reſpectu 271.
Mercurius circuitum circa Solem tribus menſibus abſolvit. 444.
Metaphoræ deſumtæ à Præjudiciis 21.
Metaphoricæ voces etiam poſſunt à plebejis uſurpari 870.
Methodus Mathematica Cap. 18. hujus Tractatus fuit obſervata in quantum requirebatur 288, 296. Carteſiana quænam 837, quare talis vocetur 837.
Miraculum apud Joſuam non fuit Solis ſtatio realis 824, idem in quo conſtiterit 848, 850, tempore Ezechiæ in quo factum 853.
Miracula ſenſibus ut plurimum cognoſcuntur quando fiunt 778, 782, facilius credi poſſunt quàm ea quæ repugnant ſenſuum præjudiciis 781, 782.
Miraculorum & rerum naturalium tractatio in ſacris literis differt. 778.
Miraculorum patratio docetur in Scripturâ. 778.
Miraculis à Scripturâ relatis credere non eſt difficile 689.
ad Miracula divina ab aliis diſtinguenda non ſufficit ſenſuum apparentia 782.
ad Miracula quæ Scriptura narrat intelligenda ſufficit Notitia rerum natu-

Digitized by Google

naturalium Communis 772, 779, 782.
Modeſtia in eo, quod quis ſcribit, requiritur propter lectores. 838.
Modeſtia Carteſii. 129, 838.
Montes ipſi connotantur per Fundamenta montium 480, 486, 487, 490, 491, quomodo dicantur Columnæ & Fundamenta Cœli 480.
Mortuos conſulere dicuntur δοξαστικῶς qui conſulunt Diabolum 597.
Moſes Cauſam Primam & Univerſalem omnium docet in Scripturâ, non particulares rerum naturalium 98, non philoſophatur in Geneſi 518.
Motus avium in âëre quomodo fiat 336. duorum globorum ejuſdem magnitudinis & duritiei ſibi mutuò occurrentium qualis futurus 333, de loco in locum quomodo fiat 165, omnis ex ſe eſt rectus 325, 351, ut talis motui non eſt contrarius 333, navium in aquâ quomodo fiat 336, navis ſi æquabiliter deferatur non ſentitur 415, lapidis projecti verſus Terram fit per lineam Parabolicam 440, quomodo ſit naturalis quomodo non ſit 436, quare debeat definiri per tranſlationem 262, projectorum 265, muſculorum tonicus 275. Proprius & Communis quid 282, quomodo Deo tribuatur 634, 641, non eſt illud tertium in quo Pſal. xix Sol cum curſore comparatur 871. Violentus quomodo dicatur 321, non requiritur ad Vitæ in genere conſideratæ eſſentiam 634, Rectus quomodo Terræ competat quomodo non 436, Terræ quomodo conveniat quomodo non. 283. Vide *Terra delatio*.
Motus Planetarum in longitudinem 374, eorundem in latitudinem 382.
Motus an Soli an Terræ competat per ſenſus cognoſci non poteſt 413.
Motus Solis non eſt medium, à quo deſumitur in Pſal. xix. argumentum ad gloriam Dei celebrandam 872. 891, 892, 893, 895, 919. non eſt medium à quo argumentatur Pſal. civ. 913.
Motus Solis non probatur clarè locis Scripturæ quantumvis claris, quæ pro ea adducuntur 698, 784, 757, 798, 799, 848, 931, idem non docetur Eccleſiaſtæ I. capite 934.
Motus celeritas non eſt illud tertium, in quo Sol cum equis Eccleſiaſte I. comparatur 932. directionem fieri ſecundum leges naturæ docet Philoſophia non Scholaſtica, ſed Carteſiana 886, communicatio quomodo fiat 265, celeritas compenſat locorum inæqualitatem 310, 311. Cauſa primaria eſt Deus 312. Definitio Ariſtotelica examinatur 259. Definitio Carteſiana proponitur & examinatur 260. ſeqq. Definitio Auguſtini & Kepleri convenit cum Carteſianâ 261. Definitiones aliæ examinantur 264. Celeritas in infinitum poteſt augeri 286, determinationem aliam tantùm accipit corpus motum alteri fortiori oc-

Digitized by Google

currens 329, 330, quantitas eadem in mundo ſemper manet, 321, 323, quod rectè colligitur ex Immutabilitate Dei. 323. Principium in rebus corporeis nullum datur 185, 227, 263. omnis negationem non infert ſtabilitas. 900, minus Terræ à Carteſio tribuitur quàm à Tychone vel Ptolemæo 284, ſimplicitas quomodo ex Dei Simplicitate inferatur 326, 328.
Motum Terræ Scriptura non tradit 471.
ad Motum plus requiri actiones quam ad quietem eſt præjudicium quod refutatur 268, iſtius Præjudicii cauſa 272.
ad Motum Sol ita ſe non habet ut ad gloriam 888.
inter Motum & Motum non eſt contrarietas 333, ſed inter Motum & quietem 333, & inter Motus determinationem. 333.
Motu è mundo ſublato, corporum nulla erit diſtinctio, ſed omnia corpus unum conſtituent continuum 182, 183, Terræ non obſtante ſagitta poteſt perpendiculariter decidere 440.
in Motu omni fit circulus 307, 308.
de Motu Solis ſententia an fuerit inter Judæos recepta 814, ſi ea clarè ex Scripturâ poſſit oſtendi auctor libenter vult admittere 753.
de Motu Solis nullum datur Dei teſtimonium 799.
Motus Terræ vide *Delatio Terræ*.
ex Motu Lunæ circa Terram probatur Terræ gyratio circa ſuum axem 405.
Motus Cœlorum miraculoſi celebrant gloriam Dei Independentiæ 887, ordinarii celebrant gloriam Dei ſapientiæ. 887.
quæ Moventur circulariter tendunt ſemper recedere à centro ſui circuli, quem deſcribunt 320.
omne quod Movetur ab alio movetur 227, 285.
Moveri & non moveri poſſunt dici merces in Indiam tranſlatæ pro diverſo reſpectu 271.
Moveri non poſſe putat Viſus illud, in quo exiſtit immotus 417.
Mundus Indefinitus debet vocari 112, an ſit finitus an infinitus Carteſius non determinat 128, neque id determinari poteſt, 136, an poſſit augeri necne determinari nequit, 186.
Mundi *Centrum*. axis idem eſt cum axe Terræ 223, æternitas non ſequitur ex Mundi Indefinitate 153. *Figura*. Idea qualis eſſet futura in noſtrâ mente annihilatis omnibus corporibus 141, 144, 145, *Centrum*. terminus non eſt Cœlum Beatorum 170. Indefinitas quid ſit 112, 115, Vide etiam *Indefinitas* & *Indefinitum*. Pulchritudo in tantum perci-

percipitur, in quantum Mundus cognoſcitur. 885, ei non obſtat Mundi Indefinitas 884, *Figura.* fines poſſe cognoſci ex Eph. IV. 10. non probatur. 170, *Infinitas.*
de Mundi corporum ſitu ſententia Carteſii 245, ſententia Ptolemæi 246. ſententia Tychonis 247, quæ refutatur 406, 409, 411, & abſurditatis à Carteſio accuſatur 409.
Mundo non tribuitur Omnipræſentia ex ſenſu eorum, qui eum ſtatuunt Indefinitum 203.
Mundum eſſe finitum non probatur ſufficienter ex ejus finitis partibus. 197.
ante Mundum Conditum debet tantùm concipi ſpatium poſſibile 301.
extra Mundum non debet Omnipræſentia divina poſitivè, ſed negativè tantùm conſiderari 166.
Mundo annihilato annihilantur omnia loca 155.
Mundos plures h. e. à ſe invicem diſcretos creari implicat contradictionem. 154.
Munus *Significandi.*
Muſculorum *Motus.*
Muſculus. 589, 674.
Mutare formulas vulgares Spiritus Sanctus non debuit 790, 820, 825.
Myſteria in Scripturâ doceri debent 769, circa ea vulgus de τῷ διότι non eſt ſolicitum 769.
de Myſteriis præjudicia ſenſuum non fuerunt formata, quibus propterea nec ſermo vulgaris fuit accommodatus. 764, 768.

N.

Naſus Cereus Scriptura non conſtituitur per ſententiam de locutionibus Scripturæ vulgaribus 704.
apud Nationes omnes reperiuntur Præjudicia Infantiæ 866.
Natura eſt Principium Motus & Quietis diſpoſitivum, non activum 185, hominis ſive Eſſentia per lapſum non eſt mutata 159.
Naturalis *Motus.*
Naturalium rerum explicationem Philoſophicam Pſalm. CXLVIII. non continet. 46. ortum à priori conſiderare non temerarium, ſed neceſſarium eſt 339, 345, explicatio vulgaris non eſt eadem quæ falſa 46, veritatem optimè poteſt Sp, S. in ſacris literis revelare, ſed non vult 736.

Digitized by Google

Naturalium rerum & Miraculorum tractatio differt in ſacris literis 778
de Naturalibus rebus quare Scriptura non ſubtiliter diſſeruerit. 47.
de Naturalibus Scripturam agere ex inſtituto quomodo ſit intelligendum. 43, 710.
Navis Motus, ſi æquabiliter ea deferatur, non ſentitur 415.
Naves in aquâ quomodo moveantur 336.
quæ Neceſſaria ſunt ad ſalutem de iis Scriptura debet accuratius loqui, quàm de iis quæ minus ſunt neceſſaria 784.
Negatio puræ religionis non infertur ex ſententiâ de Stylo Scripturæ vulgari. 761.
Negatur aliquid in Scripturâ quia à nobis non eſt cognitum 615, propter negatam revelationem 618.
Neldelii Pratum Logicum 468, 702, 898.
de Neufville ſententia de Philoſophiæ ex Scripturâ probatione 87.
Nihil in Intellectu eſſe quod non prius fuerit in ſenſu an ſit verum 634, 642.
Nihilum non eſt dicendum corpus poſſe comprehendere 297, privativum & negativum quid 501.
Nihili conceptus debet eſſe negativus 297.
ex Nihilo nihil fit quomodo ſit axioma æternæ veritatis 302.
Nivis frigus. 89.
Nobilitas *Centri. Loci.*
Nominum dierum uſus 684.
Norma nulla eſt extra Scripturam, ad quam ejus veritas debeat examinari. 707, 718, 805, 806, 807.
Notitia hominis poſt lapſum quomodo ſit obſcurior facta 159. naturalis non eſt tribuenda omnibus rebus 914, Soli tributa quid deſignet, 907, 912, 919.
Notitia rerum naturalium accurata non requiritur ad ſcopum Spiritus Sancti in Scripturâ 34, 785, nec proinde poteſt ex ſacris literis hauriri. 27, 55, 81, 85.
Notitia Philoſophica rerum naturalium non poteſt ex Moſe hauriri. 64 —— 68. nec ex Daniele 71.
Notitia rerum naturalium Vulgaris ſive Communis appellatur Eccleſiaſtæ cap. XII. 2. *Ratio filiorum hominis.* tantùm poteſt ex Scripturâ hauriri 35, 36, 39, 40, 85. ſufficit ad cognitionem Dei ſapientiæ, Bonitatis &c. 738. eadem ſufficit ad intelligenda miracula quæ Scriptura narrat, 778, 779, 782.

Noti-

Digitized by Google

Notitiæ Philoſophicæ præſtantia præ vulgari 24. Communis ſive Vulgaris Objecta. 6 — 15. ejuſdem defectus 15, 16.
Notitiam Philoſophicam acquirendi modus. 24, 25, 94, 110, 446, 759, 837.
Notitiam omnium & ſingularum rerum non confert Spiritus S. afflatus 814, 816.
ad Notitiam Philoſophicam acquirendam conceſſum eſt lumen naturæ. 736.
per Notitiam Communem poteſt etiam ex creaturis gloria Dei manifeſtari 714.
Novæ & antiquæ ſunt ſententiæ quæ per lumen naturale cognoſcuntur. 762.
Novas veritates detegere eſt glorioſum 762.
propter Novitatem aliqua ſententia non eſt rejicienda 762.
Nuda veritas quid ſit 452. talis non eſt, quando locus aſtri apparens vocatur verus 460.
Numa Pompilius Solem in medio univerſi collocavit 251.
Nummi in arcâ quieſcentes non coaleſcent in unum corpus continuum. 183.

O.

Obedientia propriè tantùm Creaturis rationalibus competit, impropriè etiam irrationalibus tribuitur 684. Creaturis irrationalibus tributa quid ſignificet 694, ortum tunc habet ea locutio ex præjudicio 694.
Objecti *Perceptio.*
Objectionibus quibuſdam contra Auctoris ſententiam de Stylo Scripturæ vulgari jam antea reſpondit Ameſius 612, Junius 663, & Piſcator. 677.
Occaſus quomodo poſſit dici Soli obtingere 916.
Occaſus vide *Ortus & Occaſus.*
Occidere non eſt idem quod videri Occidere 909, non neceſſariò infert motum 909, 912, 913, 918.
Occultatio ſub Horizonte Soli reverâ competit 911.
Oleaſter conatus eſt ex Scripturis probare aquas ſupercœleſtes. 92.
Omnipotentia Dei non imminuitur per ſententiam de Mundi Indefinitate, ſed potius exaltatur maximè 204.
Omnipræſentia Deo tribuenda etiam reſpectu Eſſentiæ & quomodo.

do 201, 203. divina non debet referri ad ſpatia quæ ſunt apta repleri, ſed quæ ſunt actu repleta 166, eadem non debet poſitivè extra hunc mundum conſiderari, ſed tantùm negativè 166.

Omnipræſentia non tribuitur Mundo ex ſenſu eorùm qui eum ſtatuunt Indefinitum 203.

Opera Dei tanquam maxima ſunt ſpectanda 423, eadem tanquam ſucceſſive formata debent conſiderari, etſi conſtet, non fuiſſe ſucceſſive facta. 337, 389, 392, 394.

Operum Dei magnitudo in quo conſiſtat 314, eorum amplitudinem ut comprehendat creatura intelligens non eſt neceſſe 202.

Orbis Terræ unde dictus 492, 867.

Orbita in quâ defertur Terra, ad ſtelliferum Cœlum nullam habet proportionem 219.

de Ordine in Operibus Creationis Hypotheſes des Cartes non ſunt omninò falſæ 355.

Oriri connotat actionem ex primâ vocis origine, ſed non ex uſu 844, 930, proprie ſignificat è planitie in altum ſurgere 860, 867.

Ortus & Occaſus quid 427, 845, 907, Soli reverâ competunt 913, 918, etiam ſecundùm hypotheſin Copernicanam Soli ſunt tribuendi 427, 441, quamvis non niſi improprie Soli aſſignari poſſint 860, 867, 907.

Ortus Solis & caſus pluviæ non eodem modo à providentiâ divinâ procurantur. 907, 920, 922.

Ortum rerum naturalium à priori conſiderare non temerarium, ſed neceſſarium eſt 339, 345.

P.

Parabolica *Linea*.

Paréus in Gen. I. 1. 64, 675, 681. in Gen. I. 16. 501, 674. in 2 Pet. II. 1. 608.

Parkerus de deſcenſu Chriſti ad inferos 676.

Paulus. 867.

ad Perceptionem Objecti opus eſſe contactu eſt imperfectio 643.

Perceptiones qualitatum ſenſibilium ſunt obſcuræ 15.

Perfectio major vel minor ſenſuum à quibuſvis, ſi non in actu ſignato ſaltem in actu exercito, diſtingui poteſt 640.

Perihelia Planetarum 383.

Perkin-

Perkinſius 502, 589, 594, 674.
Permanere in ſeculum Terra quomodo dicatur 925.
Perſequi poſt aliquem adhibetur aliquando ita in ſacris, ut opinioni erroneæ ea phraſis innitatur 591.
Perſpicuitas ſenſus Eſaiæ VIII. 1. reſpicitur 464.
Perſpicuitas Scripturæ requirit, ut retineantur formulæ vulgares uſu tritæ etſi opinionibus erroneis innitantur 461, 462, 463, 464, 689, 740.
Petita res ſæpe exhibetur à Deo etſi non ſecundùm modum quem petiimus. 848.
1 Petri II. 2. 739, 741.
2 Petri II. 1. 607, 609, 610.
Phænomena per hypotheſin Copernicanam optimè queunt explicari 429.
ad Philipp. III. 7. 603, 604.
Philolaus Terram deferri docuit. 255.
non Philoſophatur Moſes in Geneſi 518.
Philoſophi priſci an laboraverint præjudiciis 837.
Philoſophia non tractanda Theologicè 409, non eſt ancilla Theologiæ 92, quomodo propagata ſit docet Joſephus 92.
Philoſophiæ cognitio viguit inter Judæos 92, eadem utilis eſt Theologis 103. ejus genus Italicum 252, genus Jonicum 252, 257.
Philoſophiam Græci à Judæis acceperunt 92, potuiſſet in Scripturâ tradere Spiritus Sanctus ſed noluit 748.
Philoſophica *Notitia*.
Phyſicæ res accuratè traditæ excedunt captum hominis idiotę 786, 787.
Phyſica ſyſtemata non debent ex ſacris literis formari 27.
Phraſis Scripturæ eadem in eodem loco pro diverſitate ſubjectorum diverſimodè debet exponi 829.
Phraſeos *Sanguis Chriſti purgat nos ab omni peccato* non eſt eadem ratio, quæ iſtius: *Sol lætatur tanquam robuſtus decurſurus viam.* 687.
Phraſes, *Papa eſt caput Eccleſiæ, Chriſti vicarius &c.* quomodo à Reformato ſine falſitate poſſint uſurpari. 688.
Phraſes *Prodire, decurrere viam* Pſalmo XIX. non deſignant motum Solis, ſed tantùm ſitus ejus variationem reſpectu noſtri oculi. 874.
in Phraſibus conjunctis ſæpe repeŕiuntur tropi diverſi 485.
Vide etiam *Locutiones, Formulæ*.
Piſcator. 502, 580, 674, 677.

Planetæ

Planetæ non appellantut tales per antiphraſin 534. dicti ſunt quia errare videntur 529, 530, 534, cum Terrâ maximam habent convenientiam 432, 433, 434, quomodo ſint ſtellæ & quomodo non 433, non moventur in vorticibus ſuis circa ſolem, ſed in orbitis quas in vortice Solis obtinent 365.
Planetarum motus in Longitudinem 374, motus in Latitudinem 382, perihelia 383, aphelia 383. orbium *Centrum.*
Plutarchus de Placitis Philoſophorum 209, 255. in Numâ 251.
Plato. 255.
Pluviæ caſus non eodem modo procuratur à providentia divinâ, quo Ortus & Occaſus Solis 907, 920, 922.
Polani Syntagma Theologiæ. 502, 559, 674.
Poli *Vorticum.*
Poli macularum Solis non differunt à polis corporis ſolaris 382, alii tamen ſunt à polis lineæ Eclipticæ 382.
ex Polis cujuſque vorticis verſus centrum & ex centro verſus alias partes materia ſubtilis fluit 373.
Pontificem Romanum an quis Reformatus ſine mendacio caput Eccleſiæ & vicarium Chriſti vocare poſſit? 688.
Pontificios ſententia de Stylo Scripturæ vulgari contra Reformiatos nihil quicquam juvare poteſt 718.
Poſſibile *Spatium.*
Potentiale *Infinitum.*
Prædicatum debet intelligi prout admittitur à ſubjecto 829.
Præjudicium de Extremitatibus Cœli & Terræ 475.
Præjudicium Infantiæ eſt, Terram latiſſimâ planitie circulariter excurrere in omnes plagas 867.
Præjudicium eſt quòd plus actionis requiratur ad motum quàm ad quietem 268, ejus cauſa 272.
Præjudicium commune eſt, Solem ſub Terrâ veſperi ſe recondere 859, 899.
ex Præjudicio ortum eſt quòd Obedientia tribuatur Creaturis irrationalibus 694.
Præjudicia quid 268, 275, 827, 836, 837. Senſuum non ſunt nugæ 19. à Viſu orta 18. non ita ſunt formata à vulgo circa Prophetias ac circa res naturales 764, 772. Senſuum de myſteriis non fuerunt formata 764, 778. eadem non formavit vulgus circa Chronologica, cùm circa ea non verſetur 764, Hiſtorica & Chronologica non ſunt tam

firmitèr

firmitèr radicata, quàm Præjudicia de rebus naturalibus 50, 54. Infantiæ apud omnes nationes reperiuntur 866. Infantiæ de Sole multa ſunt 869. differunt à ſimilitudinibus, quamvis hæ etiam præjudiciis poſſint inniti 868, quibus Pſalm. XIX. 5, 6, 7. innituntur quænam. 858.

Præjudiciorum Infantiæ & ſenſuum Ortus 17. Confirmatio 22. depoſitionem opus eſt poſtulare Phyſicum 289, 290.

Præjudicia non confirmant in hominibus formulæ vulgares à Scripturâ adhibitæ, niſi fortè per accidens 693, 699, 700, 758.

ſecundum Præjudicia loquebatur Joſua de utroque luminari 827.

Præjudiciis an laboraverit Salomon & priſci Philoſophi? 837.

à Præjudiciis deſumtæ Metaphoræ 21.

an ex Præjudiciis ſenſuum ſermo vulgaris habeat ortum ex origine ſermonis non ex Scripturâ poteſt oſtendi. 516, 614, 705, 806, 841, 866, 871, 927.

in Præjudiciis quomodo ſermo fuerit fundatus 21, 280.

cum Præjudiciis ſenſuum pugnantia ſi docuiſſet Spiritus Sanctus difficulter ei vulgus fidem potuiſſet adhibere 774, 775.

in Praxi multa ſunt toleranda ne turbetur Eccleſia 542.

Principium inſitum Motus in rebus corporeis nullum datur 185, 227, 263.

Productio rei non infert Finitatem Extenſionis. 17.

Projectorum motus 265.

Projecti lapidis motus 440.

Propheta Cretenſium ſive doctor divinus non fuit Epimenides reverâ, ſed ſecundùm eorum opinionem 605, 606.

Prophetæ vox etiam doctoribus tribuitur 605, 606. in ſacris literis Pſeudo-prophetis quoque applicatur 580, 581, 582,

circa Prophetias vulgus non multum verſatur, ac proinde circa eas nulla formavit Præjudicia 764, 772.

Propoſitionum : *Sanguis Chriſti purgat nos ab omni peccato* , & , *Sol lætatur tanquam robuſtus decurſurus viam* , non eſt eadem in ſacris literis ratio 687.

in Proſopopæjis poteſt eſſe votum & preces. 823.

Proverbiorum II. 10. 556.

Proxerbiorum VII. 7. 556.

Proverbiorum VIII. 22. 99.

Proverbiorum VIII. 31. 758.

Digitized by Google

Proverbiorum xv. 14. 556.
Proverbiorum xviii. 17. 568.
Proverbiorum xxx. 5. 739, 741.
Proverbiorum xxx. 19. 577, 579.
Pſalmus cxlviii. non continet explicationem rerum naturalium Philoſophicam 46.
Pſalm. II. 8. 493.
Pſalmus viii. totus. 65.
Pſalm. xii. 6. 739.
Pſalm. xvii. 5. 902.
Pſalm. xviii. 8. 480.
Pſalmi xix. 2 — 7. analyſis & paraphraſis. 857.
Pſalm. xix. 9. 739, 741, 750.
Pſalm. xxii. 28. 493.
Pſalm. xxiv. 2. 901.
Pſalm. xxiv. 4. 556.
Pſalm. xxxiv. 4. 556.
Pſalm. xlviii. 11. 493.
Pſalm. lxxxix. 37. 902.
Pſalm. cxiii. 1. 902, 904.
Pſalm. xcv. 4. 238, 239.
Pſalm. ciii. 11. 238, 239.
Pſalm. civ. 5. 900, 903. paraphraſis 906.
Pſalm. civ. 19. 907.
Pſalm. cxxxii. 8. 829.
Pſalm. cxli. 2. 902.
Pſalm. cxlviii. 1 — 12. 46.
Pſalm. cxlviii. 8. 86.
Ptolemæi ſententia de Situ Corporum Mundi 246, quæ rejicitur 248.
Pulchritudo quid ſit 883, Mundi percipitur in quantum Mundus cognoſcitur 885. Cœlorum magis cognoſcitur per Philoſophiam Carteſianam, quàm per vulgarem 883.
Pulchritudini Mundi non obſtat quòd ſit Indfinitus 884.
Purum quot modis dicatur 740.
Pura quomodo Scriptura 740.
Punctum dicitur ſimpliciſſimum longè alio ſenſu quàm Deus 199.
è Puppi emiſſa ſagitta in eam recedit. 440.

Q. Qua-

Q.

Qualitatum ſenſibilium perceptiones ſunt obſcuræ 15.
Quantitas *Motus.*
Quies quomodo Deo tribuatur 634, 641. *Terra.*
Quieſcit Terra in vortice ſuo 283, 284, 440, 444.
Quieſcentes nummi in arcâ non coaleſcent in unum corpus continuum 183.

R.

Rainholdus de libris Apocryphis 675, 682.
Rarefactio quomodo fiat 303.
Ratio eſt medium per quod cognoſci poteſt quæ formulæ ſint vulgares quæ accuratæ 516, 614, 705, 806. non eſt norma ad quam ſenſus Scripturæ examinandus 805, 806, 807.
Rationis in civilibus & naturalibus aliquis poteſt eſſe rectus uſus in irregenito 26.
Rationalibus tantùm Creaturis propriè competit obedientia 684.
Ravanellus. 480, 676.
Regula Veritatis eſt: Omne id quod clarè & diſtinctè percepimus Verum & Bonum pro Vero & bono eſſe habendum 4, 5. 148.
1 Regum IV. 33. 75.
1 Regum VIII. 27. 164, 166.
1 Regum XVIII. 44. 85.
Res quælibet ſemper manet in eodem ſtatu niſi ab alio deturbetur 319, 320, 321.
Res remotæ à ſenſibus non poſſunt ideas valdè ſimiles ſibi repræſentare. 699.
Reverſus Sol quomodo dicatur 852, 854.
Reſpondens ſuo officio ſatisfacit, ſi oſtendat, verba Scripturæ ab Opponente objecta alitèr accipi poſſe ac vult opponens. 818.
Rex non fuit Herodes Antipas 583, quamvis talis creditus fuerit à vulgo 583, 585.
Rex in Scripturâ vocatur etiam is qui pro Rege habetur. 583, 784.
Riveti Iſagoge in Scripturam 661, 674.
Rom. XV. 4. 35.

Digitized by Google

S.

Sagitta, etiamſi Terra deferatur, perpendicularitèr poteſt decidere 440.
è puppi emiſſa in eam relabitur 440.
Salmurienſes Theologi. 559.
Salomon an laboraverit præjudiciis 837.
Samuelis nomen δοξαστικῶς tribuitur Diabolo 594, 595.
cum Salutis doctrinâ non pugnant errores de rebus naturalibus. 548.
1 Sam. xxviii. 12, 15, 16, 20. 594.
2 Sam. xxii. 8. 480.
Sanctitas Eccleſiæ quomodo competat. 410.
Sapientia qualis intelligatur 1 Cor. I. 22, 23. item 1 Cor. II. 6, 7, 12. 55, 59.
Sapientia Dei cognoſcitur ex motibus Cœlorum ordinariis 887.
Sapientiæ liber cap. vii. 22. 100.
à Sapientiâ Spiritus Sancti oritur, quòd ſeſe accommodet ad captum 731
Scaligeri Exercitationes. 702.
Scientia & Fides quomodo differant 774.
Sciendi deſiderium quomodo ſit in omnibus 736.
Scientificè & per Fidem eadem Concluſio cognoſci poteſt 724.
ad Scopum Spiritus Sancti in Scripturâ non requiritur notitia rerum naturalium accurata. 785.
Scriptio de Terræ delatione imputari debet adverſariorum clamoribus 546, 691.
Scriptores ſacri ne quidem in levioribus potuerunt errare 448, 815, iidem debuerunt modum agendi dialecticum circa res naturales uſurpare 468, 472.
Scriptura non tradit delationem Terræ 47, nec tamen etiam quietem Terræ docet per phraſes receptas, quibus à vulgo Motus Solis ſolet conſignificari 693, 696, non emendat locutiones vulgares 684, 766, utitur formulis receptis quatenus talibus, ſive opinionibus erroneis nitantur, ſive non 933. ob quam cauſam fuerit formulis receptis uſa. 23, 50, 792, 793, 808. de variatione Situs Solis reſpectu Terræ incolarum non alitèr potuit, non alitèr debuit loqui, quàm revera eſt locuta 811. debuit loqui accuratius de iis, quæ magis ſunt neceſſaria ad ſalutem, quàm de iis, quæ minus 784, nullos loquitur, docet, teſtatur errores 751, 766, 770, 774, 798, demum id tradere & docere dicitur,

Digitized by Google

tur, quod Spiritus Sanctus in ea vult ſignificare, 744, non conſtituitur cereus naſus per ſententiam de ſtylo ejus vulgari &c. 704, quæ docet de rebus naturalibus ſunt certiſſima. 36, quare non diſſeruerit ſubtiliter de rebus naturalibus, 47, debet accuratè res Fidei docere 704, 761. omnia ad Chriſtum refert 55, 63. ex inſtituto agit de Chriſti humanâ naturâ, quam proinde debuit accuratè explicare 753. in quem finem doceat Chronologica & Hiſtorica 37, 50. ad nullam normam extra ſe poteſt examinari 707, 718, 805, 806, 807: quomodo pura, 740. proponit Deum tanquam hominem mutabilem, 636, 645. locutionibus vulgaribus utens non ſemper ſe explicat, 657.

ſi Scriptura non omnibus verbis præcisè quâ talibus doceat non ſequitur, nullam in eâ eſſe certitudinem 543, 760.

ſi Scriptura alicubi utitur phraſibus, quibus veritas relata ad opinionem & apparentiam ſignificatur, non ſequitur quod ubique hoc faciat 567.

Scripturæ *Auctoritas & Veritas*. teſtimonium quid ſit. 448, 685, 798, 799. omnia verba ſunt accipienda ex uſu aliquo recepto 851. formulæ aliquando nudam veritatem exprimunt 107. Veteris & Novi Teſtamenti ſunt incorruptæ 570. *Phraſis*. *Perſpicuitas*. loca attentè conſiderata non inferunt motum Solis 757, nec cum teſtantur 798, 799, 931. locutiones de Corde, quamvis ex originè innitantur errori, tamen veritatem ſignificant 558.

ad Scripturæ loca, quæ de rebus naturalibus loquuntur, intelligenda non opus eſt captivatione intellectus 766.

Scripturam uti formulis receptis &c. non eſt impium aſſerere 762. loqui falſum ad placitum vulgi nullibi dixit auctor 855. agere ex inſtituto de rebus naturalibus quomodo ſit intelligendum 43, 710.

ex Scripturâ non debent formari Phyſica ſyſtemata 27, aquas ſupercœleſtes probare conatus eſt Oleaſter. 92.

in Scripturâ aliquid negatur quia à nobis non eſt cognitum 615, & propter negatam revelationem 618, Deus loquitur hominibus non angelis 740, non explicatur Philoſophicè fluminum ortus 45.

Scultetus. 577, 615, 674.

Secunda *Creatio*.

Sedes Virtutum 564.

Sennertus. 555.

Senſus quomodo fallant quomodo non. 20. malè conſtituuntur judices omnium rerum, 227, 272, 275, 320, 330, 634, 635. non aliter poſſunt fieri quàm per contactum quo res, quæ ſentitur, tangit nervum ſenſorium

Digitized by Google

rium 643, beſtiis non denegant Carteſiani 756.

Senſuum apparentia non ſufficit ad miracula divina ab aliis diſtinguenda 782. perfectio major vel minor à quibuſvis ſi non in actu exercito ſaltem in actu ſignato diſtingui poteſt 640.

à Senſu res remotæ non poſſunt ideas ſibi valde ſimiles repræſentare 699

ad Senſum omnem requiritur contactus 635.

per Senſus non poteſt cognoſci, an Sol an Terra moveatur 413, nullius ſubſtantiæ natura interior poteſt cognoſci 16. non ſufficienter intelligitur qualitatum ſenſibilium natura 15. non poteſt cognoſci Solis magnitudo 413.

Senſus alicujus dicti idem eſt quâcunque linguâ proferatur 902.

Senſus Scripturæ non eſt is, quem primo intuitu verba adſpiciens exiſtimat 694, 695, 794, 931. ex ſcopo & circumſtantiis textus eſt colligendus 931, non eſt à nobis formandus ex cognitâ aliquâ veritate naturali 707, 718, 805.

Senſus legitimus verborum divinorum eſt verbum divinum 686, 705, 748.

Senſum legitimum poſſunt habere verba quædam in Orthodoxi ore, quæ in ore heterodoxi habent falſum. 688.

Sententia de Stylo Scripturæ vulgari non revocat in dubium Veracitatem Dei. 800. & ſeqq. eadem nihil quicquam prodeſt Pontificiis contra Reformatos 718. de Solis motu ſi clare ex Scriptura poſſit oſtendi, eam libenter admittere vult auctor. 753. eadem an fuerit inter Judæos recepta 814.

Sententiam auctoris alicujus non poſſunt declarare verba quædam ab aliis ſeparata, quæ ad eorum intellectum faciunt 390.

ex Sententiâ de Stylo Scripturæ vulgari &c. non infertur Dei contemtus vel purioris religionis negatio 761.

Sententiæ quæ per lumen naturale cognoſcuntur novæ ſunt & antiquæ 762.

Sermo quomodo in præjudiciis fuerit fundatus 21, 280, qui non accuratam veritatem ſed præjudiciis involutam exprimit quiſnam 539.

Sermo vulgaris ab Aſtronomis debuit retineri etiam poſt errores ſenſuum cognitos 21, 427, 460. idem multorum errorum eſt cauſa 280, qualem veritatem exprimat 450. à Spiritu Sancto tantùm adhibetur ad ſignificandam veritatem 522, 791, 819. à vulgo ad conſignificandum errorem 522, 819. an ex præjudiciis ſenſuum habeat ortum non ex Scripturâ, ſed origine ſermonis poteſt oſtendi 516, 614,

Digitized by Google

614, 705, 806, 841, 866, 871, idem poteſt oſtendi ex ratione 927.
Sideris *Globuli*.
Significant alii plus, alii minus tùm vocibus tùm quibuſvis ſignis arbitrariis 684, 688.
ſi Significetur res una diverſis modis non committitur ταυτολογία 906.
Significandi munus formularum vulgarium ſæpe eſt duplex, non tamen prout adhibetur à Spiritu Sancto. 658, 791.
Significandi munus præcipuum formularum vulgarium 669, 797.
Signis arbitrariis alii plus alii minus ſignificant 684, 688.
Similitudo Creaturarum cum Deo quouſque poſſit extendi 327, 346.
Simplex corpus non eſt Terra 436.
Simpliciſſimum dicitur punctum longè alio ſenſu, quàm quo Deus dicitur ſimpliciſſimus. 199.
Simplicibus terminis utens qui fundati ſunt in præjudiciis utitur ſermone, qui non accuratam veritatem, ſed præjudiciis involutam exprimit. 539.
ex Simplicitate Dei quomodo inferatur Motus ſimplicitas 326, 328.
Situs *Solis*.
Solaris *Gloria*.
Solares radios quomodo ingredi dicantur ſtellæ fixæ 460.
Sol an major ſit quàm ſtellæ fixæ determinari nequit 425, quomodo dicatur deſcendiſſe 852, 856, quomodo dicatur reverſus 852, 854, quomodo appelletur Gigas 864, quomodo cum cognoſcente comparetur 907, 911, ne quidem ſecundum Ptolemæum & Tychonem reverâ poteſt dici adſcendere 890, non ita ſeſe habet ad gloriam ut ad motum 888, ſeſe elevat ſupra Horizontem & aſcendit ad medium Cœli, ſicut aquila ſeſe elevat à ſuperficie Terræ, & ad nubes uſque evolat 888, non ita ſe habet ad gloriam ut ad motum, 883, currenti comparatur propter celerrimam ſitus variationem 687, circa proprium centrum gyrat 366, 379. eſt centrum circumvolutionum Planetarum Phyſicum non Geometricum 217, 241, 377.
Sol ſtetit, &, *Sol ſtetit apparenter* ſibi invicem non contradicunt 831.
Solis gyratio circa proprium centrum eſt celerrima, 380. lux non eſt collecta ex luce ſtellarum fixarum & Planetarum 524, materia celerius gyrat, quàm materia cœleſtis circa Terram, 381. magnitudo per ſenſus cognoſci non poteſt, 413. *Aſcenſio*. permanſio ſupra Horizontem poteſt ſignificari, etiamſi cauſa ejus non conſignificetur, 834, permanſio ſupra Horizontem poteſt optimè explicari à Copernicanis, 834. ſtatio apud Aſtronomos quoſvis etiam uſurpatur de ſtatione

Digitized by Google

tione apparenti, 833. ſitus variatio per quas phraſes Scipturæ deſignetur, 852, 874. *Vortex.*

Soli quomodo competat tentorium, 862. tributa notitia quid deſignet, 907, 912. 919. occultatio ſub Horizonte revera competit, 911. quomodo Occaſus poſſit dici obtingere, 916.

Solem ſub Terra veſperi ſe recondere commune eſt præjudicium, 859, 899. in medio Univerſi Numa Pompilius collocavit, 251.

in Sole non eſt ſtatuendus infernus ex Copernici ſententia, 243.

de Sole multa ſunt præjudicia Infantiæ, 869.

Spanhemii Dubia Euangelica. 675.

Spatium quodvis repleri poteſt per corpuſcula indefinitæ magnitudinis, 360, 363. poſſibile ante mundum conditum tantum concipi debet. 301.

Spatia Imaginaria argumentis refutantur 165.

Spatiorum Imaginariorum conſtitutio ante Mundum conditum infert Mundi æternitatem. 297.

ad Spatia quæ actu ſunt repleta debet referri Omnipræſentia divina, non ad ea quæ apta ſunt repleri, 166.

ex Spatiis Imaginariis ante Mundum conditum ſequitur Mundi æternitas 297.

Sphærica figura an Mundo conveniat, 206, 207, 208.

Sphærica figura & circularis ſunt ſimpliciſſimæ, 211.

Sphæricam figuram debuerunt conſequi particulæ, in quas materia à Deo diviſa fuiſſe conſideratur 357, 358.

inter Sphæricas particulas debuit intercedere materia ſubtilis, 366.

Spiritus Sanctus quo ſenſu dicatur balbutire cum vulgo, 454, 646, 647, 653, 758, 810. quomodo fungatur officio Conſolatoris, 736, non inducit in errores, 804, non delectatur erroribus de rebus naturalibus, etſi eas non emendet, 758, in Scriptura nulla falſa aſſerit, 721. potuiſſet quidem delationem Terræ melius docere quàm ulli homines, ſed noluit 546, 692, potuiſſet etiam in Scriptura ſacra Philoſophiam tradere, ſed noluit, 748.

Spiritus Sancti afflatus non infert omnium & ſingularum rerum notitiam, 814, 816.

Spiritum Sanctum in ſacris literis cum vulgo errare à ſententia auctoris eſt alieniſſimum. 43.

à Spiritu Sancto non poterant in totum præteriri formulæ vulgares innitentes errori de motu Solis, 690, 692, 770.

Digitized by Google

Spiritualia attributa quare aliquando Deo in Scriptura aſſignentur, 638.
Spiritus *Erroris.*
Spiritus Mundi 1 Cor. II. 12. quid ſignificet, 55, 60.
Stata *Tempora.*
Stabilitas non infert negationem omnis motus, 900.
in Statu eodem quælibet res manet, niſi ab alio ex illo deturbetur, 319, 320, 321.
Stellæ fixæ an Sole ſint minores determinari nequit, 425.
Stellarum *Altitudo.*
Stellæ fixæ quomodo dicantur ingredi Solis radios, 460, non ſunt omnes in unâ ſuperficie collocatæ 215.
Stellis fixis lumen competit inſitum, 512.
Strigelius, 559.
Stylus ſecundùm δόξαν quid ſit, 898, falſus, ad placitum vulgi compoſitus, non eſt idem cum Stylo humano formulis è trivio deſumtis conſtante, 772. craſſus quid, 22.
Stylo humano ſcribere quid ſit. 464, 466, 772.
Suarezii locus de Spatiis Imaginariis, 164, quid in eo cenſurâ ſit notandum, 166, 168, 169.
Subjectum omnium Attributorum, quæ corpori conveniunt, eſt extenſio. 293.
Subſtantia *Dei.*
Subſtantiam multi homines non aliam intelligunt, quàm imaginabilem & corpoream, 640.
Surſum & deorſum quomodo dicatur, 241.

T.

Tacitus de moribus Germanorum, 859.
ex Tacito æquè ac aliunde probari poteſt, formulas vulgares in Scripturâ uſurpatas ortum habere ex præjudiciis, 866.
Tactus requiritur ad omnem ſenſum, 635. Deo in Scripturâ non tribuitur, 635.
Ταυτολογία non committitur, ſi una res ſignificetur diverſis modis, 906.
ex Temporibus ſtatis Solis & Lunæ gloria divina reverâ probatur, 907.
Tentorium Soli quomodo competat, 862.
Terminationem non infert corporis conditio, 182.
Terminus *Mundi.*

Digitized by Google

Terminis ſimplicibus utens, qui fundati ſunt in præjudiciis, utitur ſermone, qui non accuratam veritatem, ſed præjudiciis involutam exprimit, 539.

Terra eſt centrum circuli omnis imaginarii, quales ſunt Horizon, Æquator &c. 221, 223, 233. in ſeculum permanere quomodo dicatur, 925. potiori jure Luminare accuratè loquendo appellari poteſt, quàm Luna, 504, 514. an ſit corpus ignobiliſſimum, 237. quomodo debeat prius ut ſidus conſiderari, & quare, 387, 388. debet ſpectari ut obducta maculis, 391. conſiderari debet ut detruſa verſus Solem, 393. in eum locum in quo nunc eſt, 395, 436. defertur circa Solem annuâ delatione, 397. circumvolutione diurnâ gyrat circa ſuum axem, 400. reſpectu Cœli ſtellati habet rationem inſenſibilis puncti, 423. cum Planetis maximam habet convenientiam, 432, 433, 434. lumen reflectit interdiu, 433. quomodo poſſit dici eſſe in Cœlo, 433, 434. non eſt corpus ſimplex, 436. quieſcit in vortice ſuo, 283, 284, 440, 444.

Terræ *Baſes. Centrum.* delatione non obſtante globus verſus Ortum vel Occaſum exploſus eâdem celeritate movetur 442. delatione non obſtante ſagitta perpendicularitèr poteſt decidere, 440. delationem melius potuiſſet docere Spiritus S. quàm ulli homines, ſed noluit, 546, 692. fines & extremitates quid deſignent in Scripturâ, 493, 494. extremitates non ſunt eæ, quæ mari quâquaverſum terminantur, 494, orbis, 493, 867. orbita ad Cœlum ſtelliferum nullam habet proportionem, 219. rotatio circa ſuum axem probatur ex Motu Lunæ circa Terram, 405. quietem non docet Scriptura per phraſes, quibus à vulgo ejus quies conſignificatur, 693, 696. *Vortex.*

de Terræ delatione ſcriptio imputari debet adverſariorum clamoribus, 546, 691.

Terræ non competit Gravitas, 229, 436. ſed Terræ partibus, 436, vox ambigua, 258. conſideratio ut ſideris optimè convenit cum hiſtoriâ Creationis, 389. orbita, in quâ defertur circa Solem, rationem inſenſibilis puncti habere poteſt, ſi major concipiatur mundus, quàm vulgo fit, 423. quomodo Motus conveniat, quomodo non, 203. minus motus tribuitur à Carteſio, quàm à Tychone vel Ptolemæo, 284. quomodo competat Motus rectus, quomodo non. 436.

per Terræ delationem non corruunt ædificia nec creſcentia impediuntur, 438.

Terram latiſſimâ planitie circularitèr excurrere in omnes plagas eſt Præjudicium Infantiæ, 867, deorſum infinitis radicibus extendi putavit

tavit

Digitized by Google

tavit Lactantius ex præjudicio 479, 493, 496. aliiſque, 869.
Teſtimonium Chriſti dicitur non eſſe firmum ex opinione Judæorum, 599, 600, 601. Dei non redditur falſum per formulas vulgares 798. Scripturæ quid ſit, 448, 685, 798, 799. nullum eſt de motu Solis, 799.
Theologicè non ſunt tractanda Philoſophica, 409.
Theologia practica an diſciplina diſtincta ab Ethicâ, 48.
Theologiæ ancilla non eſt Philoſophia, 92.
Theologi quidam animæ ſedem præcipuam in cerebro ſtatuunt, quidam in Corde, 559.
Theologis eſt utilis cognitio Philoſophiæ, 103.
תהו Jobi XXVI. 7. quid ſit, 497, 498.
2 Timoth. III, 16, 17. 35.
Tit. I. 12. 605, 796.
Tonicus motus muſculorum, 275.
Tradere Philoſophiam in Scripturâ Spiritus S. potuiſſet, ſed noluit, 744. Scriptura id demùm dicitur, quod Spiritus Sanctus in eâ vult ſignificare, 744.
Translatio, vide *Motus*.
Tropus, quo Cor ſupponitur pro Animâ vel voluntate, innititur opinioni erroneæ, Cor eſſe Animæ præcipuam ſedem, 556, 564.
Tropi diverſi ſæpe in phraſibus conjunctis reperiuntur, 485, 488.
à Tropicis locutionibus alicubi obtinentibus in ſacris literis, non licet argumentari, tales ubique locum habere, 567.
ne Turbetur Eccleſia multa in praxi ſunt toleranda, 542.
ne Turbarentur ſimpliciores debuerunt ſcriptores ſacri formulas loquendi è trivio deſumtas retinere, etiamſi eæ ſæpe veritatem non nudam, ſed præjudiciis involutam ſignificarent, 542, 546, 684, 689, 723, 731, 740, 759, 764, 765, 771, 774, 784.
Tychonis Brahæi ſententia de ſitu Mundi corporum, 247. quæ refutatur, 406, 409, 411. abſurditatis accuſatur à Carteſio 409.

V.

Vacuum dari non poteſt, 295. non infertur per conſtitutionem & motum vorticum Cœli, 352.
Variatio ſitus Solis per quas phraſes deſignetur 852.
propter Variationẽ ſitus celerrimam Sol cum currente comparatur, 687.

Digitized by Google

Ubi Angelorum quomodo debeat concipi, 300. non eſt ſine corporibus cogitandum, 154, 155.
Velius Longus, 867.
Velthuiſen, 671, 691, 756,
Velle nos ſcimus eo ipſo quo volumus, 272.
Veracitas Dei per ſententiam de ſtylo Scripturæ vulgari non poteſt in dubium vocari, 800. & ſeqq.
Verbum divinum eſt ſenſus verborum legitimus, 686, 705, 748.
Verba Auctoris alicujus ſeparata ab aliis, quæ ad intellectum eorum faciunt, non poſſunt ſententiam ejus declarare, 390, concionatorum quomodo ſint purum Dei verbum, 740. locorum Scripturæ pro Solis motu adductorum poſſunt in nobis alias ingenerare cogitationes, quàm ut motum Solis iis adſtrui exiſtimemus, 794. Scripturæ omnia accipienda ſunt ex uſu aliquo recepto, 851.
Verba eadem poſſunt legitimum habere ſenſum & vera eſſe in ore Orthodoxi, falſum ab heterodoxo prolata, 688.
Verbis divinis quomodo commenta humana admiſceantur, 743.
Veritas aliqua ſignificatur à Spiritu S. per formulas vulgares ex præjudicio ortum habentes, 728. tantùm generalis aliquando in Scripturis ſignificatur non ſemper ſpecialis. 615 nuda quid ſit, 452. nuda non eſt, quando locus Aſtri Apparens vocatur Verus, 460. accurata non opponitur falſitati, ſed veritati non accuratæ, 686, 689. ad homines & eorum ſenſus relata quid, 452. præjudiciis involuta quid. 452.
Veritas Scripturæ ad nullam normam extra ſe poteſt examinari, 707, 718, 805, 806, 807.
Veritatis Regula eſt, *Omne id quod clarè & diſtinctè percepimus ut Verum pro vero eſt habendum*, 4, 5, 147, 148.
Veritati incomplexæ nulla opponitur falſitas, 541.
Veritatem qualem ſermo vulgaris exprimat, 450, generalem tantùm non ſpecialem ſignificat Scriptura formulis vulgaribus, 784, tantùm eam Scriptura docet quæ ad ſcopum ſuum facit, 738. rerum naturalium optimè poteſt Spiritus Sanctus in ſacris literis revelare, ſed non vult, 736. nudam aliquando exprimunt Scripturæ formulæ, 107.
ad Veritatem ſignificandam uſurpantur à Spiritu Sancto formulæ vulgares, 522, 791, 819.
de Veritate Scripturæ ſententia Auctoris, 31, 161, 446, & ſeqq. 700, 708, 719, 745, 928.
ex Veritate naturali cognitâ non eſt nobis formandus ſenſus Scripturæ, 707, 718, 805.

pro

pro Veritate Chriſti humanæ naturæ argumentum. 753.
Veritates novas detegere eſt glorioſum, 762.
Verſionem LXX. Interpretum citârunt Apoſtoli, etiam ubi diſcrepantia à textu originali eſt manifeſtiſſima, 661 —— 664.
Verulamii ſententia de Philoſophiâ ex Scriptura deducenda, 87.
Verus locus aſtri, 21. dicitur etiam apparens, 460, 832, & quo ſenſu 832.
Viam *Decurrere*.
Viciſſitudo rerum, quibus argumentis Eccleſ. I. probetur, 925, 929. dierum & noctium cui adſcribenda, 875, 892. eadem rectè explicatur per hypotheſin Copernicanam, 444.
Virgilius Epiſcopus eo nomine à Zachariâ Papâ Romano fuit damnatus, quòd ſtatueret Antipodes. 493.
Virtutum ſedes ubi, 564.
Virgilius, 859.
Virgo intacta per vocem עלמה ſemper ſignificatur, 578.
Viſionum Ecſtaticarum & locutionum vulgarium convenientia, 695.
in Viſionibus Ecſtaticis nulla eſt falſitas, 695. aliud videtur, aliud intelligitur. 695,
Violentus motus quomodo dicatur, 321.
Vis in corporibus motis quid ſit 266, 321.
Vis in corporibus motis nulla datur inſita 185, 227, 263.
Viſus quomodo dicatur fallere. 527. illud in quo exiſtit immotus non moveri putat 417.
Vita Dei aliquando popularius deſcribitur in ſacris literis, aliquando accuratius, 641. non denegatur beſtiis à Carteſianis, 756.
ad Vitæ eſſentiam in genere non requiritur Motus, 634.
Voetius 662.
Vocibus & ſignis arbitrariis alii plus, alii minus ſignificant, 684, 688.
Vortex Terræ debet ſpectari ut abſumtus à vortice Solis, 391.
Vorticis Terræ diameter, 415.
Vortices cœleſtes jam ita ſunt inter ſe compoſiti, ut unus alterius motum quàm minimè impediat, 368. ſunt latiores verſus Eclipticam quàm verſus polos, 371.
Vorticum quorumlibet poli debent eſſe magis vicini aliorum Eclipticæ quàm polis. 370.
Voſſius. 209, 656, 700, 811,
Votum ad Deum poteſt locum habere in Proſopopæia, 823.

Digitized by Google

ex Uſu aliquo recepto ſunt omnia Scripturæ verba accipienda, 851.
Urſinus, 577, 674.
Vulgaris explicatio rerum naturalium non eſt eadem quæ falſa, 46.
Vulgares *Locutiones.*
Vulgus non ita verſatur circa Chronologica, & Prophetias, ac circa res naturales, nec proinde circa ea præjudicia ſenſuum formavit. 764, 772. Spiritui Sancto difficultèr potuiſſet adhibere fidem, ſi docuiſſet quædam, quæ cum præjudiciis ſenſuum pugnant, 774, 775. non habet cauſam ſufficientem Scripturam rejiciendi, etſi deprehendat Spiritum Sanctum in eâ formulis vulgaribus eſſe uſum, 767.
ſecundùm Vulgi opinionem loqui duplici ſenſu poteſt accipi, 455.
cum Vulgo aliquando ipſe Carteſius loqui debuit, 748.
cum Vulgo conveniunt ii viri docti, qui præjudicia infantiæ & ſenſuum retinent 816.

W.

Wollebius, 728.

Z.

Zwingeri in Pſalmum XIX. analyſis, 860.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google